1
[31]

EOS

COMMENTARII SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORVM

EDITORES

R. GANSZYNIEC TH. ZIELIŃSKI

VOLVMEN XXXI 1928

EDITVM AVXILIO MINISTERII INSTRVCTIONIS PVBLICAE
LEOPOLI 1928
PROSTAT LEOPOLI APVD BIBLIOPOLAS GVBRYNOWICZ ET FILIVM
PARISIIS APVD EDITORES LES BELLES LETTRES, 95 BOVL. RASPAIL

Participes Societatis Philologae Polonorum, qui stipem annuam 16 francorum helveticorum pendunt, commentarios q. i. Eos gratuito accipiunt. Stipes sodalium et pretia commentariorum (24 franc. helv.) colligit quaestor Societatis, prof. M. Golias, qui habitat Leopoli, ad viam s. Sophiae n. 22 (Lwów, ul. św. Zofji 22).

Secretarius Societatis, prof. Dr. L. Chodaczek, habitat Leopoli, ad viam Theatinorum n. 37.

Libri manuscripti, libri typis exarati, epistulae, omnia quaecumque editoribus committenda sunt, inscribantur secundum hunc nominum et domiciliorum indicem: R. Ganszyniec, Leopoli, ad viam Andreae Potocki n. 20, Th. Zieliński, Varsoviae, in aedibus Universitatis.

Eos XXX 1927. 456 p.

Barbasz G., De *Aegr. Perdicae* fontibus arte compositionis tempore 151
Hausknecht L., A propos des inscriptions lydiennes . . . 267
Jarecki C., Sur l'*App. [Probi]* III, son lieu d'origine et son auteur 1
Jus L., De duodeseptuagesimo carmine Catulli I 77
Kowalski G., Est-ce qu'Augustin se confesse dans ses *Confessions*? 379
Kuryłowicz G., Origine indoeuropéenne du redoublement attique 206
Lisiecki St., Demosthenes orationes suas salibusne condiverit . 93
Manteuffel G., Epistulae privatae ineditae 211
Michałowski C., Les Niobides dans l'art plastique grec . . 175
Ogrodziński V., Fines Germaniae quinam fuerint secundum Caesaris et Taciti opinionem 59
Orosz I., Etude sur l'Athéna Lemnia 195
Popławski M. St., L'apothéose de Sylla et d'Auguste . . . 273
Przychocki G., De vitis vel accessibus Vergilianis . . . 27
Rosenthal Ch., Aristophanis comoediae quatenus secundum populi opiniones conformatae sint III 63
Schächter R., Philodemus quid de psychagogia docuerit . . 170
Schnayder G., De infenso alienigenarum in Romanos animo I 113
Sinko Th., De vita Platonis Apuleiana 101
Smereka I., De dinosi I 227
Srebrny St., De mimi Graeci fragmento Londinensi . . . 401
Sternbach L., Cercidea 347
Strilciw N., De arte rhetorica in Petronii Satyris conspicua . 367
Śmiałek C., Remarques sur l'origine du symbole de la tête de mort 217
Śmieszek A., ΑΓΓΕΛΟΣ et ΑΑΒΥΡΙΝΘΟΣ 259
Zakrzewski C., La politique théodosienne 334
Zieliński Th., De *Auge* Euripidea. — De Helenae simulacro . 54

EOS

COMMENTARII SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORVM

EDITORES

R. GANSZYNIEC TH. ZIELIŃSKI

VOLVMEN XXXI 1928

EDITVM AVXILIO MINISTERII INSTRVCTIONIS PVBLICAE
LEOPOLI 1928
PROSTAT LEOPOLI APVD BIBLIOPOLAS GVBRYNOWICZ ET FILIVM
PARISIIS APVD EDITORES LES BELLES LETTRES, 95 BOVL. RASPAIL

Index auctorum voluminis XXXI

Auerbach Marianus (Leopoli) . . 62. 140. 180. 198
Bulanda Edmundus (Leopoli) 297
Ganszyniec Ricardus 77. 204. 218. 296. 304. 319. 368. 438. 452. 473. 484. 494. 536. 552
Gostkowski Raimundus (Cracoviae) 321
Handel Iacobus (Leopoli) 501
Jarecki Casimirus „ 453
Jus Ludovicus „ 63
Kagarow Eugenius (Leningradi Russorum) . . . 195
Klinger Vitoldus (Posnaniae) 475
Kowalski Georgius (Leopoli) 141. 169
Landman Sara (Drohobycii) 485
Lisiecki Stanislaus (Varsoviae) 115
Manteuffel Georgius „ 181
Markowski Hieronymus (Wąbrzeźno Pom.) . . 219
Matakiewicz Helena (Leopoli) 337
Michałowski Casimirus (Leopoli) 305
Novotný Franciscus (Brno Bohemorum) . . 40. 199
Ogrodziński Vincentius (Catoviciis) 263
Oko Ioannes (Vilnae) 79
Orosz Ioannina (Leopoli) 309
Otrębski Ioannes (Vilnae) 481
Popławski Mieczyslaus (Lublini) 237
Przeworski Stephanus (Varsoviae) 335
Schaechter Regina (Stanislaviae) 439
Schnayder Georgius (Cracoviae) 289
Sinko Thaddaeus (Cracoviae) 41
Smereka Ioannes (Leopoli) 87
Śmiałek Vincentius (Leopoli) 447
Śmieszek Antonius (Posnaniae) 537
Smolka Franciscus (Leopoli) 205
Srebrny Stephanus (Vilnae) 495
Steffen Victor (Posnaniae) 365
Steinberg Gustava (Leopoli) 479
Turyn Alexander (Varsoviae) . . . 262. 505. 518
Wałek-Czernecki Thaddaeus (Varsoviae) . . 369
Winiewicz Casimirus (Rydzynae Posn.) . . . 519
Zakrzewski Casimirus (Leopoli) . . . 405. 417
Zieliński Thaddaeus (Varsoviae) 1
Zimmerspitz Eleonora (Varsoviae) 123
Zmigryder-Konopka Zdzislaus (Varsoviae) . . 557

Index rerum voluminis XXXI

I DISSERTATIONES: Pag.

Zieliński Th., De Andromacha posthomerica . . . 1
Sinko Th., De Archyta Horatiano 41
Jus L., De carmine duodeseptuagesimo Catulli II . . 79
Oko J., L'ode de Catulle sur le passereau (carm. 2) . . 63
Smereka I., De dinosi II 87
Lisiecki St., Plato boni ideam quatenus in *Civitate* illustraverit 115
Zimmerspitz E., Quomodo Lucretius dogmata exemplis e natura et vita cotidiana petitis comprobaverit . . 123
Kowalski G., Studia rhetorica I. De Varronis *De lingua Latina* libr. VIII—X doctrina et fonte Studia rhetorica 141
II. Ad figurae παραδιαστολῆς historiam 169
Manteuffel G., Studia papyrologica 181
Kagarow E., Sur la signification du terme μόδιος . . 195
Novotný Fr., Annotationes ad quosdam Platonis Epistularum locos 199
Smolka Fr., Ptolémée Philadelphe dans la lumière de sources nouvelles 205
Markowski H., De nonnullis locis *Rerum Gestarum Divi Augusti* 219
Poplawski M. St., Lucrèce et les Romains 237
Ogrodziński V., In catharsin tragicam observationes aliquot 263
Schnayder G., Ad Ciceronem *De officiis* II 16, 56 . . 289
Bulanda E., Les Thraces sur une oenochoé à figures noires 297
Michałowski C., Un vase à figures rouges de Łańcut . 305
Orosz J., Ulysse chez Circé (vase à figures rouges de la Collection du comte Potocki à Łańcut) . . . 309
Gostkowski R., Bacchants romains sur un sarcophage de Krzeszowice 321
Przeworski St., Deux bases de colonnes en bois de Boghaz-keuï 335
Matakiewicz H., De Terra Matre a Graecis culta . . 337
Steffen V., Quelques remarques sur l'accusatif pluriel attique du type πόλεις 365
Wałek-Czernecki Th., Les origines de la seconde guerre de Macédoine 369
Zakrzewski C., Le consistoire impérial du Bas-Empire romain 405
Un homme d'état du Bas-Empire: Anthémius . . 417
Schaechter R., De Homero in Philodemi περὶ ποιημάτων l. II laudato 439
Śmiałek V., De ἐπιούσιος vocis vi ac fatis 447
Jarecki C., Silvaniae Itinerarium appelé *Peregrinatio ad loca sancta* 453
Klinger W., A propos de la critique du texte de Simonide d'Amorgos 475
Otrębski I., L'origine des adverbes *comminus* et *eminus* . 481
Landman S., Seneca quatenus in mulierum personis effingendis ab exemplaribus Graecis recesserit . . . 485
Srebrny St., De Aristophane et Iophonte 495
Handel I., Sententiae quaedam Horatianae cum Veteris Testamenti locis comparatae 501

Turyn A., Studia Byzantina I. De Homeri et Ioannis Actuarii codd. Varsoviensibus, II. De Theodosio Zygomala . 505
Winiewicz C., Βασιλεύς et quelques autres titres égéo-asianiques du roi 519
Śmieszek A., Origine asianique du titre grec ἄναξ . . 537
Ganszyniec R., Animadversiones criticae in Novatiani *De Trinitate* 552
Zmigryder-Konopka Zd., A propos de CIL IX 5699 . 557

II. MISCELANEA:

Auerbach M., Archimedes, *De sphaer. et cyl.* I 11. 21 62.180 — Heronis, *De mensuris* 38 140 — Heronis, *Definit.* 104 198
Ganszyniec R., De columna ignea praecedente Israelitas 77 — De Aeoli Vergiliani antro 204 — Κεστὸς Ἀφροδίτης 218 — De Theogonia Hesiodea 319 — Novatianea 296. 304. 368. 438. 452. 473. 484. 494. 536
Novotný Fr., De aoristica quae putatur imperfecti latini vi 40
Steinberg G., Ad Ovidii *Trist.* I 3, 75 479
Turyn A., *Tantum sui similis* (Tac. *Germ.* 4) — 236 Sapphicum 236 — De epistularum loco quodam proverbiali 262 — De Meletii Pigae patriarchae *Dialogo* — Aeschyli *Prometh. λυόμ.* fgm. 199,6—518.

ERRATA

P. 3	v. 22	pro	argumentem	lege	argumentum
„ II	„ II	„	cum Phocica	„	Phocica
„ II	„ 25	„	in domum	„	domum
„ 12	„ 5	„	patratas	„	patratam
„ 15	„ 29	„	oriatur	„	oreretur
„ 24	„ 18	„	non sunt	„	sunt
„ 30	„ 26	„	actu,	„	actu
„ 34	„ 24	„	vulgaren	„	vulgarem
„ 38	„ 4	„	vociferatiooes	„	vociferationes
„ 39	„ 25	„	die	„	diu
„ 39	„ 29	„	Quod	„	Quid
„ 39	„ 35	„	benigma	„	benigna

Ceterum quod p. 39 scripsi Wilamowitzium libri Nietschiani virtutibus facultates suas superari sensisse, id nolo ita accipi, quasi eum invidia permotum in auctorem eius invectum esse crediderim, a quo morbo ut ipse mihi alienissimus esse videor, ita etiam illum non minus esse alienum certo scio. Immo cum Nietzschii liber in tragoediae origine „e musices spiritu" repetenda versetur, hunc ipsum spiritum Wilamowitzii facultatibus quamvis amplis concessum non fuisse censui. Id ille in Apomnemoneumatis suis nuper editis diserte confessus est (v. pag. 59); cuius libri pag. 128 sqq. etiam Nietzschianae illius litis mentionem facit. T. Z.

IMPRESSUM IN TYPOGRAPHIA UNIVERSITATIS, LEOPOLI, AD VIAM PISTORIAM 3
DIRIGENTE RICARDO GANSZYNIEC, LEOPOLI, AD VIAM ANDREAE POTOCKI 20

DE ANDROMACHA POSTHOMERICA

scripsit
THADDAEUS ZIELIŃSKI

I

De Andromachae post Troiam capiendam fatis Homerus, utpote qui carmen Iliacum non ultra mariti eius exequias produxerit, nihil admodum praecipere debuit; nec tamen fieri potuit, quin attentus eius lector, cum sibi semel persuasisset poetam aliquam de hac re praeceptam opinionem in mente habuisse, duas allusiones in usum suum converteret.

Et alteram quidem Hectoris praebebat triste vaticinium *Z* 448 sqq., qui ubi de instante urbis excidio nobilia illa verba pronuntiavit, maxime se de uxoris futura sorte anxium esse ostendit; in servitudinem enim redactam Argis ad nutum dominae pensa esse facturam, aut etiam aquam portaturam de fonte Messeide vel Hyperia. Licetne hinc colligere certam a poeta de captivae fatis famam indicari? Minime vero; Argos enim pro Graecia poni solere vel tirones sciunt, fontium autem nomina appellativa potius quam propria esse etymologia docet. Nihil igitur uxori praenuntiat heros, quod non cuivis de matronis Troianis post patriam excisam accidere potuerit.

Alterum vaticinium non tam ad ipsam, quam ad filiolum pertinebat; cum enim mariti mortem deflet, puellum praesentit aut secum in servitium abductum crudelis domini iussa executurum esse, aut etiam Danai alicuius manu de moenibus terrae illisum tot hostium a patre occisorum poenas pensurum (Ω 730 sqq.). Hoc vero loco vel dilemmaton obstaculo est, ne certam de matris filiive sorte famam poetae obversatam esse credamus.

II

Nec tamen mirum est aliter de utroque loco sensisse Iliadis continuatores; quibus cum hoc unum opus fuerit, ut de heroum superstitum futura sorte indicia Homerica quoquo modo elicerent, etiam Andromachae Astyanactisque fata secundum illa testimonia digerere conati sunt. Abierit igitur in servitutem Hectoris matrona; domino addicta cuinam? Mariti occisoris filium ipsa ratio commendabat. Hinc Andromacha Neoptolemi ancilla eademque, qui communis erat in formosis ancillis usus, paelex.

Filiolum matri comitem additum esse, quae dilemmati prior erat pars, multis saeculis post repraesentaturus erat Racinus; cyclicorum ingenia crudelissima quaeque maxime temptabant. Fuerit ergo de turri deiectus. Recte hactenus; sed a quo? Andromacha Homerica aliquem de Danais indicat; quod indicium ut expleat, *Ilii excidii* auctor Argivorum concilium de pueri nece statuisse narrat, Ulixe sive Calchante machiavellisticam rationem commendante: νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει. Concilii scitum executurus Talthybius praeco ex matris amplexu puellum eripit; ereptum aliquis carnificis vices gerens de turri deicit; tum mortuus in patris scuto honorifice sepelitur. Hanc *Excidii* versionem a Welckero egregie restitutam — nam Bethii hypercriticismum, qui cum *antea Scyllam non vitasset, nuper* (*Homer* II 217) *praeceps in* Charybdin incidit, aliis extrahendum relinquo — hanc, inquam, versionem secutus est Euripides in *Troadibus* et ante eum, ut videtur, Sophocles in *Polyxena.*

Sed haec ultima paulo accuratiorem disputationem flagitant.

III

In traditione enim mythographica Polyxena Achillis mânibus mactata arcte cum Astyanactis morte coniungitur: καὶ θύσαντες πᾶσι τοῖς θεοῖς Ἀστυάνακτα ἀπὸ τῶν πύργων ἔρριψαν, Πολυξένην δὲ ἐπὶ τῷ Ἀχιλλέως τάφῳ κατέσφαξαν — ita Apollodorus (*Epit.* V 23), quem una cum Proculi epitoma ad poetam cyclicum redire constat. Euripidem scimus in priore sua *Perside* — *Hecubam* dico — puellae Priamiae fata ab Astyanactis interitu separata cum Polydori morte coniunxisse; quo factum est, ut in *Perside* posteriore — *Troadibus* igitur — infelicis puelli necem ceteris reginae infortuniis sola Polyxena excepta adiungeret. Sed *Hecubae* scholiasta Marcianus cum sola τὰ περὶ τὴν Πολυξένην ἔστι καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ εὑρεῖν dicit, eo ipso τὰ περὶ τὸν Πολύδωρον ab eius *Polyxena* excludit, quo testimonio diserte etsi oblique confirmatur cyclicum ordinem ab antiquiore poeta servatum esse.

Quod etiam exstantibus fabulae fragmentis comprobatur, quorum unum (fgm. 479 N.) ad ampla Achivorum sacrificia, duo (480 et 481 N.) ad Polyxenam mactandam referuntur; de Astyanacte Graeca non exstant, aliunde tamen constat Accium *Astyanactis* suae argumentum ab hac ipsa fabula mutuatum

esse. Circumstantiam discimus ex Servio ampliore (*In Aen.* III 427): *Superato Ilio cum Graeci ad patriam redituri contrariis flatibus prohiberentur, Calchas cecinit deiciendum ex muris Astyanacta Hectoris et Andromachae filium, eo quod si adolevisset, fortior patre futurus vindicaturus esset eius interitum. Hunc Ulixes occultatum a matre cum invenisset, praecipitavit e muro, et ita Graeci Troia profecti sunt.* Haec qui oculis minus lippis perlegerit, facile duplicem hiatum animadvertet. Ad contrarios flatus placandos Calchas Astyanactis mortem postulat; quasi vero infans de muro deiectus pro sacrificio placatorio haberi potuerit! Ne quis tamen excerptoris neglegentiam damnet, idem in clausula occurrit: praecipitatus est puer, *et ita* profecti sunt Graeci. Vides igitur rem quamvis absurdam methodo tamen non carere.

Quid plura? Tollitur hiatus, modo Polyxenae sedes legitima restituatur. Achilles enim — videlicet ut ποντάρχης (cf. Sen. *Tro.* 176 *et pontus s u u m adesse Achillen sensit ac stravit vada*) — ventis sive adversis sive nullis detinuit Achivos, usque dum sibi Polyxenam mactarent; hoc ex Euripidis *Hecuba* (v. 37) discimus haud dubie — cf. scholion supra citatum — ex Sophoclis *Polyxena* profectum. Servius cum Polyxenam omittit, fabulae argumentem adumbrat, quae ipsa quoque Astyanacte retento Polyxenam exulare iusserit. Hanc vero fuisse Accii *Astyanactem* et titulus docet et fragmenta satis ampla, quae omnia fere aut ad Calchantis vaticinium aut ad puerum investigatum referuntur.

IV

Invitus de via decedo; sed ipsa disputandi ratio secum fert, ut hoc subinde faciendum sit. Velut nunc, ubi in Acciana fabulam incidimus, suo iure quaesierit lector, tantine stuporis damnandum existimem poetam Romanum, ut eiectis necessariis incohaerentia coniunxerit. Cui obiectioni ita optime respondetur, ut aliqua semita ostendatur, qua poeta imitator inconstantiae crimen effugere potuerit; non quo hanc semitam continuo pro demonstrata habeam, sed ubi de crimine refellendo agitur, sufficit sola possibilitas. Haec ego tam putida non premerem, nisi a cavillatoribus pessima quaeque expertus etiam nunc cupide quamvis ansam arrepturos viderem, ut me solito more summae licentiae criminari possent.

Poscitur ad mortem a Calchante Astyanax propterea, quod si adoleverit, fortior patre futurus... Huic tamen loco confidenter celebres Hectoris de filio preces subesse dixerim (*Z* 479):

καί ποτέ τις εἴπῃσι πατρὸς γ' ὅδε πολλὸν ἀμείνων

— quo simul evincitur hunc quidem locum ex exemplari Sophocleo in imitationem Accianam pervenisse, praesertim cum optime cum versu illo: νήπιος ὃς κτέ. (supra c. II) coniungi potuerit.

Sed videamus de ceteris. *Fortior*, inquit, *patre futurus vindicaturus esset eius interitum*. Hoc est, poenas eius sanguinis expetiturus ab occisoris filio. Non igitur plane absurda fuit Accii fictio, qui Achillis umbram stirpi suae prospicientem Achivis reditum denegare iussit, nisi antea hoc summum periculum, quod ei immineret, removissent.

Hinc puer Astyanax pro Polyxena tragoediae heros; quem sollerter a matre occultatum sollertius investigat Ulixes. Huc Acciana fragmenta IX—XI apud Ribbeckium pertinent; quae vereor ut quisquam humano sensu praeditus sine summa aegritudine legere possit. Piget huius taetrae in iniuria inferenda voluptatis, piget diligentiae, qua tener puellus, Ἑκτορίδης ἀγαπητός, tamquam fera quaedam a venatoribus capitur. Malim igitur hanc prolixam descriptionem ab humaniore poeta Graeco afuisse; et debuit sane imitator Romanus, cum omnia quae ad Polyxenae sacrificium pertinebant eiecisset, aliquo modo vacuum resarcire. Ipsum tamen pueri occultati investigatique motivum a Sophocle non alienum fuisse ex eis quae iam dicturus sum colligitur.

Interim moneo aediculae Numitorianae anaglyphum (M. Bieber, *Theaterwesen* fig. 109) posse per Accianam fabulam ad Sophoclis *Polyxenam* (non ad *Aechmalotidas*, de qua tragoedia cf. *Aiacem Locrensem* meum) referri; favet aetas pueri, non infantis. Dubios sane reddit Andromacha puero opitulans; sed hoc ad particularia pertinet nobis ignota.

V

Hoc ipsum enim pueri occultati et investigati motivum in *Andromacha* sua repetivit Euripides, a maiore tamen filio ad minorem, ab Astyanacte ad Anchialum (de nomine videbimus) translatum; sed quo minus de imitatione dubitaremus, non admodum feliciter ei cessit translatio. Illic enim — apud Sophoclem igitur in *Polyxena* — omnia sibi constant; ad exi-

tum enim vergentibus Troianis rebus Hectoris vidua, ut stirpem dumtaxat mariti sui salvet, tuto loco filiolum deponit; quod idem propter eandem rationem etiam Hecubam fecisse scimus, cum Polydorum filium Thraci hospiti committeret. Haec Euripidea autem qua ratione, cum ipsa supplex ad Thetidis aram tutissimum quaereret asylum, filium nescio quo amandavit? An deam pronepotis minorem curam habituram quam adventiciae hostili e domo mulieris? Aliter et rectius Megara una secum etiam pueros Heraclidas Iovis Salvatoris tutelae commisit. Vides igitur poetam posteriorem, dum quovis pacto antecessoris motivum in rem suam convertere studet, πιθανοῦ neglegentiorem fuisse; quod satis certum est imitationis indicium.

Vix igitur dubium est, quin Astyanactis a matre amandati, ab Ulixe investigati motivum *Polyxenae* sit assignandum. Irritum ergo fuit servandi pueri consilium; iam si quis de lectoribus *Tragodumenon* meorum recordatus erit, quaeret fortasse, an hic quoque haec pueri asportatio rudimentalis motivi locum obtineat, cum efficax fuerit in priore quadam tragoedia.

VI

Et recte quaeret. Dionysius enim Chalcidensis[1]) Κτίσεων auctor, quem suo iure Ed. Schwartz (*RE* V 929) IV saeculo assignatum Atticas famas sequi animadvertit, haec de Scamandrio sive Astyanacte refert, quae a Lysimacho cyclographo excerpta scholiasta ad *Androm.* 10 citat: Διονύσιος δὲ ὁ Χαλκιδεὺς τὸν Ἀκάμαντα παρὰ Ἑλένου καὶ Ἀγχίσου[2]) φησὶ διὰ τὴν πρὸς Λαοδίκην οἰκειότητα (de qua mox dicendum erit) Σκάμανδρον τὸν Ἕκτορος εἰληφότα καὶ Ἀσκάνιον τὸν Αἰνείου ἐπιχειρῆσαι μὲν Ἴλιον καὶ Δάρδανον τειχίζειν· τῶν δὲ Ἀθηναίων αὐτὸ παραιτησαμένων, τηνικαῦτα τῆς ἐπιβολῆς ἀποστάντα τῆς Τρῳάδος Γέργιθα καὶ... (undecim praeterea oppida recenset) οἰκίσαντα ἀναγορεῦσαι οἰκιστὰς Σκαμάνδριον καὶ Ἀσκάνιον.

Vides secundum hanc versionem servatum esse Astyanactem; quod quomodo fieri potuerit, Anchisae mentio explicat. Nulla enim Andromachae amandandi filii optatior evenire

[1]) Dionysii Chalcidensis vestigia pressisse videtur municeps eius Euphorio in eis, quae Pausania teste (X 24) de Laodice narrat.

[2]) Cur non ab Aenea potius? Puto quia is tum secundum *Iliadis Parvae* fgm. XIX in captivitate versabatur.

potuit commoditas, quam desperatis patriae rebus Aeneae profectio. Hanc ipsam autem in *Laocoonte* sua Sophocles fusius descripsit (344 N.); quid igitur expeditius, quam Astyanactis quoque salvationem huic ipsi tragoediae assignare?

Sed haec ipsa Astyanactis salvatio a Dionysio cum Acamantis actis coniungitur; quae res longiorem disputationem flagitat. De Troade enim saeculare fuisse inter Athenienses et Mytilenaeos discidium notum est; Atheniensibus per Pisistratum vindicata Hippiae Athenis pulso ut paterna hereditas cessit, donec Persis devictis Deliacaque foederatione ab Aristide et Cimone condita rursus ab Atheniensibus contra Mytilenaeorum postulata reposceretur. Parum de longaeva hac lite edocti sumus; credibile tamen est circa *Oresteae* Aeschyleae tempora eam recruduisse, factione Cimonea Atheniensium iura tuente, si quidem in *Eumenidibus* Pallas (v. 397 sqq.) hanc ipsam terram Scamandriam Thesei filiis — quorum unus fuit Acamas — concessam occupasse se dicit.

Iam vides quam bene haec omnia cohaereant. Acamanti Laodice Priami filia in matrimonium datur; quorsum haec, nisi ut regia Priami iura per filiam in Atheniensium reges transeant? Ita etiam Demophon frater eius per Phyllidem τῶν ἐπὶ Θράκης heredes reddidit Athenienses: tu, felix Attica, nube! Honorificentius tamen per filium Hectorem nepotemque Astyanactem descensura erat hereditas; fingitur Acamas regni Astyanactei restitutor. Quod si nobis Κτίσεων libri servati essent, legeremus opinor Astyanactis aliquam filiam ἐπίκληρον Acamantis filio in matrimonium datam eorumque progeniem quoquo modo in Philaidarum gentem irrepsisse. An hoc parum credibile videtur? At notum est Polygnotum, cum *Troiae excidium* pingeret, Laodicae Elpinices, Cimonis sororis, voltus lineamenta indidisse; quorsum haec, nisi ut longo intervallo genitricis speciem doceret in nepti revixisse?

At Sophoclem ex multis indiciis scimus primo vitae tempore Cimoni favisse, a quo a. 468 tragicam palmam acceperat; quid igitur mirum, si in *Laocoonte* sua Iliacas eius origines celebravit? Ita etiam in *Scyriis* laudes eius praedicasse videtur, qua de re *Tragodumenon* meorum p. 111 consulatur.

Sed ne ad longinqua aberremus, summa rei in eo vertitur, quod Astyanactis occultati investigatique motivum *Polyxenae* Sophocleae assignavimus.

VII

Et hi quidem erant radii, quos Arctini — quis enim vetat brevitatis causa hoc nomine uti, quod cavillatio, non ratio proscripsit? — epopoea in subsequentium saeculorum seriem emisit. Post certum tamen annorum spatium novum de Troiae temporibus carmen extitit — ea quae vulgo Lescheti tribuitur *Ilias Parva*. Aliter haec Astyanactis exitum informavit: non enim Ulixes concilii decreto obsecutus, sed proprio motu Neoptolemus puerum praecipitat (fgm. XIX Allen). Quod cur innovaverit, facile perspiciemus, ubi cetera Neoptolemi in capienda Troia facinora in memoriam reduxerimus. Idem enim Priamum Iovis ara avulsum in regiae limine obtruncat (fgm. XVI), idem Polyxenam Achillis mânibus mactat: scilicet haec tria hominum genera, quibus parcere iubetur Apollinea Graecia — infantium, mulierum, senum — ab uno Neoptolemo ludibrio habentur. Quid ita? Quia Apollinis inimicus est.

Parum enim animadversum est epicum cyclum efflorescentis Delphicae religionis aetate ortum variis modis in hanc religionem affectum fuisse; et veteris quidem disciplinae Homeridas admodum diffidenter Delphici collegii innovamenta accepisse, adeo ut — id quod in *Sophocle* meo rossico docui — *Oedipodeae* auctor cyclicae acerrime ea damnaret. Et fieri potest ut haec ipsa causa extiterit, cur Mytilenaeus poeta Ionicae *Persidi* suam opponeret; utut est, Neoptolemi personam admodum atris coloribus pinxit. Quae Apollinis in Scyrium iuvenem inimicitiae unde ortae essent forsitan sciremus, si de tempore quo Neoptolemus pro Epirotarum archegete haberi coeptus esset melius essemus edocti; nunc conicere tantum licet Epirotarum contra Delphos bellum, cuius Euripides in *Bacchabus* (v. 1336) meminit, in causa fuisse. De inimicitiis quidem ipsis nulla dubitatio est; et ut Apollo apud Pindarum (*Paean.* VI 112 sqq.) Neoptolemum, qui seni Priamo parcas vitae reliquias inviderit, ipsum senectutis limina attingere vetat, ita etiam de ceteris pergere poterat: propter Polyxenam mactatam nullo eum coniugis legitimae amplexu fruiturum, propter Astyanactem occisum nullum legitimum filiolum genibus foturum. Haec omnia enim ut eventu comprobata fuerunt, ita facile fatidico Cassandrae alicuius animo occupari potuerunt.

Euripides tamen cum *Andromacham* suam scriberet, Leschetis innovamentum sprevit. Nec iniuria; cum enim propter

Apollinis odium Neoptolemo faveret, facile intellexit non potuisse eum matri, cuius filium ipse occidisset, coniugium suum quamvis illegitimum obtrudere. Idem tamen ex eadem *Iliade Parva* Heleni personam ascivit; ab eo enim utpote vate Neoptolemo consilium datur terrestri itinere patriam petendi, quod consilium in *Nostis* nepoti dat Thetis.

De ceteris communis est traditio. Una Phthiam attingunt sive Pelei excessu orbatam, sive in extremam necessitatem post filii obitum reducto sene. Regno recuperato ex Andromacha captiva filium suscipit Anchialum; attamen non potuit ambitioso iuveni satisfacere de barbarorum praeda concubina. Uxorem igitur ad nuptias legitimas quaerens de Menelai domo postulat Hermionen.

Sed hoc loco grave discidium incipit inter Euripidem maioremque poetam Sophoclem.

VIII

Scripsit Euripides *Andromachen*; scripsit de eodem argumento Sophocles *Hermionen*. Quae inter has tragoedias ratio intercederet, ante hos duos annos *Tragodumenon*[1]) meorum p. 114 sqq. exposui. Quem librum non sine plausu acceptum esse gaudeo; nam et *Societas Parisina studiis Graecis promovendis* praemium mihi ob eum a. 1926 extraordinarium decrevit, et Mauritius Croiset eius censuram non minus accuratam quam benevolam periodico menstruo *Journal des Savants* (1926 VI) inseruit. Quod libenter hoc loco commemoro, ut his tam insignibus viris debitam gratiam referam.

Longe ab hac sententia aberravit A. Koerte *(Philol. Woch.* 1927, 577—586); quid postea? Licuit. Putaverit tamen quispiam libri, qui non cuivis praesto esset, ante omnia rationem reddendam fuisse. Nil simile noster; quomodo ego locos rudimentales digessissem, ut scilicet conduplicationes, irrita consilia, cetera distinguerem; quam mihi severam sobriamque regulam imposuissem, ne scilicet ullam ex locis rudimentalibus coniecturam caperem nisi aliis extrinsecus indiciis adiutus (p. 11) —

[1]) Tragodumenon libri tres: I De locis tragoediae Graecae rudimentalibus; II De trimetri Euripidei evolutione; III De Iphigeniae et Danaes mythopoeia tragica. Cracoviae apud bibliopolas Gebethner et Wolff. — Bibliopolas addidi, quia me experientia docuit, ne ubi prostaret quidem liber notum esse extra Poloniam.

haec omnia, quae tamen gravissima erant, alto pressit silentio. Immo totam se rem conficere posse putavit, si a limine mihi oraculum Wilamowitzianum obiecisset insuperque minutas aliquot cavillationes addidisset; quae tamen cum vel maxime ad rem nostram pertineant, praetereunda mihi non sunt.

Et Wilamowitzii quidem verba *in seiner schönen* (re quidem vera leviuscula) *Behandlung der Andromache* (Hermes 1925, 288) haec sunt: *Die attische Tragödie will ja gar kein im Unwesentlichen getreues Abbild der Tageswirklichkeit sein. Wer das nicht weiss, wird sie niemals verstehen.* Haec ultima cum admirabundus diductis litteris exaravit, censorie addit: *Z. weiss das nicht und will es nicht wissen.* Mihi vero nunquam aeque beatus visus est Wilamowitzius ac nunc; cui satis est summa cum gravitate pronuntiare bis bina quattuor efficere, quod qui nesciat, eum nunquam computum differentialem intellecturum esse — ut continuo a Koertio profundae huius doctrinae auctor proclametur. Vellem tamen Wilamowitzianis saltem melius attendisset; qui non de realitate in universum agit, sed tempus solum, quod duos actus separet, indefinitum esse ait. Hanc ego doctrinam solea viatoria tritiorem iamque — ut exemplum afferam — ante hos L annos ab Ussingio ad Plauti *Bacch.* 107 quamquam sine anathematismate expositam tantum abest ut unquam neglexerim, ut inde a scamnis scholasticis semper et tenuerim et professus sim.

Mihi vero cum cotidiana hac realitate nihil omnino rei est. Quod ego contendo hoc est: curasse probos poetas, ut fabulae suae etiam in circumstantiis quamvis minutis sibi constarent. Hoc ego et theoretice ex *Arte* Horatiana et practice ex tragicorum usu evici; Dopheidiique et Wilamowitzii iunioris libros non ideo damnavi, quod eorum auctores ab illa nescio qua realitate descivissent, sed quod hac constantia Sophocli denegata ultro citroque eum vagantem artem suam ad stolidissimi cuiusque spectatoris neglegentiam accommodasse finxerunt. Et illos quidem iuventus excusat; de Koertio quid dicam dubius haereo.

IX

Sed veniamus ad *Hermionen.* Hanc ego propter et argumentum et effectum nobilissimam fabulam dixi; obloquitur Koerte, cum εἰρωνευόμενος duo nobis tantum ex ea fragmenta

superesse dicit. Idem tamen paucis lineis ante Ovidium in *Her.* VIII hanc ipsam fabulam expressisse concedit; qui potuit, si revera *früh vergessen* erat? Et secundum fragmentorum numerum de fabulae celebritate iudicat! Quasi nesciat haec fragmenta plerumque aut sententiarum causa ab ethicis aut rarorum vocabulorum causa a grammaticis servata esse; quod nisi casum excusare malumus, concedamus licet neque sententiis neque glossis admodum abundasse *Hermionen*; num ex eis fabulae virtus pendebit? At eandem in *Andromacha* impugnando dignam iudicavit Euripides; eandem vicennio post retractata impugnatione idem agnovit in *Oreste* 1657; eandem saeculo III latine vertit Livius Andronicus; eandem saeculo II imitando expressit Pacuvius; ad eandem saeculo I in *Heroide* VIII se applicavit Ovidius. Omitto monumenta figurata, ipsa quoque ex Sophocle pendentia, cum contentiosa Euripidis tragoedia nullum in traditione reliquerit vestigium: nonne haec sufficiunt, ut nobilitatem tragoediae evincant?

Videamus tamen de singulis.

Disertum testimonium scholium nobis ad Odysseae δ 4 praebet plenissime ab Eustathio p. 1479, 10 relatum: Σοφοκλῆς δέ, φασίν, ἐν Ἑρμιόνῃ ἱστορεῖ 1. ἐν Τροίᾳ ὄντος ἔτι Μενελάου ἐκδοθῆναι τὴν Ἑρμιόνην ὑπὸ τοῦ Τυνδάρεω τῷ Ὀρέστῃ· 3. εἶτα ὕστερον ἀφαιρεθεῖσαν αὐτοῦ ἐκδοθῆναι τῷ Νεοπτολέμῳ, a Menelao haud dubie, 2. κατὰ τὴν ἐν Τροίᾳ, eiusdem haud dubie Menelai, ὑπόσχεσιν· 5. αὐτοῦ δὲ Πυθοῖ ἀναιρεθέντος ὑπὸ Μαχαιρέως, 4. ὅτε τὸν Ἀπόλλω τινύμενος τὸν τοῦ πατρὸς ἐξεδίκει φόνον, 6. ἀποκαταστῆναι αὖθις αὐτὴν τῷ Ὀρέστῃ· 7. ἐξ ὧν γενέσθαι τὸν Τισαμενὸν φερωνύμως οὕτω κληθέντα παρὰ τὴν μετὰ μένους τίσιν, ἐπεὶ ὁ πατὴρ Ὀρέστης ἐτίσατο τοὺς φονεῖς τοῦ Ἀγαμέμνονος. Septem sunt quae inde discimus, tria scilicet ad res ante fabulam gestam pertinentia, tria (4—6) ad ipsam fabulam, unum ad rem post fabulam eventuram.

X

1. Oresti igitur etiamtum puero patre ad Troiam bellum gerente Tyndareus avus, in cuius tum potestate erat neptis, despondit Hermionen. Ita, despondit; nam quod scholiasta ἐκδοθῆναι habet, id non solum cum Welckero Ribbeckius et Pearson (Fragm. I 142 *betrothal*), sed etiam nuper Wilamowitzius (p. 286 *verlobt*) ipsius neglegentiae tribuendum

censet[1]). Dissentit Koerte, hac in re etiam Wilamowitzianam rationem deserere ausus, dummodo mea impugnare simulque Sophoclem summae absurditatis arguere possit. Ipsius verba exscribam necesse est, ne absentem calumniari me censeat lector: *...Dabei liegt es doch auf der Hand, dass die chronologischen Voraussetzungen der Elektra, nach der Orestes beim Tode des Vaters ein Kind war, sich auf keine Weise mit seiner Vermählung während des troischen Krieges vereinigen lassen. Sophokles hat eben in beiden Stücken ganz verschiedene Sagenversionen verwertet.* Adultus ergo belli Troiani tempore Hermionen per aliquot annos in conubio habuit; sed quid cum Phocica eius missione fiet? An corruet traditionalis cum Pylade amicitia? Corruat sane; sed quomodo fortis iuvenis matris cum Aegistho adulterium tulit? Aut cur patri contra eundem Aegisthum nullam opem praestitit? Profuit sane critico Dopheidius Tychoque de Wilamowitz lectus: nihil iam tam absurdum iudicat, quin Sophocli imputari possit. Qui ex eis ipsis tragoediis Thebanis, ad quas in sequentibus provocat, discere poterat, poetas ita de circumstantia singula immutasse, ut tamen fixos traditionis terminos intactos relinquerent.

2. Menelaus autem cum hanc sponsionem aut ignoraret aut non agnosceret, sub belli finem Neoptolemo filiam despondit.

3. Finito bello Menelaus in patriam rediturus procellis in novennes errores abigitur; Agamemnon cum recto itinere in domum properasset, ab Aegistho conscia uxore necatur. Orestes undecennis ab Electra sorore servatus, Talthybii ope Crisam ad Strophium patris hospitem abducitur. Unde cum vicennis fere revertisset, patrem ultus regnum Mycenarum et a Tyndareo, absente etiamtum Menelao, Hermionen uxorem accipit. Nec tamen diu eius conubio fructus est: Menelaus enim cum ex longis erroribus revertisset, promissi memor filiam ab Oreste abductam Neoptolemo tradidit.

XI

Hoc enim est punctum saliens: habueritne Orestes ante Neoptolemum in matrimonio Hermionen necne. Negat Euripides, apud quem Hermionen Neoptolemi uxorem ne voltu qui-

[1]) Scholiastae dico, non Eustathii; hinc enim pendet quod habet Servius ad Verg. *Aen.* III 328: *ut quidam promissam, ut quidam coniunctam* — nisi haec ultima ita sunt intellegenda, ut cap. XIII docui.

dem patruelis agnoscit (896). Ait Sophocles; etenim 1. ἀφαιρεθεῖσαν eam Oresti testatur scholiasta. Quin etiam ἐκδοθῆναι illud, quod tantas turbas movit Koertio, ita facillime explicatur, ut duo momenta confuderit neglegens auctor, sponsionem etiamnunc furente bello et nuptias post ultionem patratas[1]); 2. Ovidius, qui Sophoclem sequitur, haec Hermionen Neoptolemo obicientem inducit (v. 8):

Haec tibi sub dominost, Pyrrhe, puella suo,

quod in nuptam valet, non in sponsam. Eodem tendunt v. 18 *rapta coniuge*, 19 ipsius cum Helena rapta comparatio, 25 *marito*, 29 *vir uxori*, 35 *cum tibi nubebam, nulli mea taeda nocebat*, 101 *coniunx Orestes*; eodem etiam elegantissimum distichon 115:

Saepe Neoptolemi pro nomine nomen Orestis
Exit....

antiquae consuetudinis signum.

Hac in re autem utrumque poetam mirifice sibi constitisse iam in *Tragodumenis* (p. 115) docui. Sophocles enim primus in *Electra* sua pro summo quem in Apollinem habebat amore Oresten post patris ultionem patratam Argis remansisse regnumque sine controversia obtinuisse posuit; quid igitur mirum, si antiquae sponsionis memor sine mora sororem etiam patruelem in vitae regnique societatem a consentiente avo materno ascivit? Ita apertissime poeta *Electram* suam Delphicam non minus Delphica *Hermione* continuavit. Contra Euripides cum ad volgarem redisset famam Orestemque a Furiis agitatum exulare iussisset (*Andr.* 978), nullum matrimonio locum reliquit. Recte igitur in sola sponsione acquiescit; cuius tamen auctorem pro Tyndareo Menelaum induxit (*ibd.* 968), cupide occasione arrepta novae perfidiae Spartanorum regi obtrudendae.

Qua duplici constantia quid tandem fingi poterat ad probandum aptius? Immo omnibus numeris absolutam habes argumentationem; sequitur autem *Electra* Sophoclea posteriorem fuisse *Hermionen*, cui opposuisse Euripidem *Andromachen* subsecutura mox eiusdem poetae *Electra*, itidem antidelphica. Cui ratiocinationi tam dilucidae ne Koertium quidem quicquam obloquturum esse puto, nisi mea quoquo modo destruendi cupidus

[1]) Nisi praestat hoc ἐκδοθῆναι eodem modo intellegi, atque *mihi datast* Pacuvianum, de quo cf. cap. XIII: hoc enim perinde est, modo ne inepta illa de adulto Oreste suspicio oriatur.

simulque Dopheidii successorisque eius bullis saponaceis prospiciens ἐκδοθῆναι illud Eustathianum arripuisset, ut monstra super monstra struendo insanam Sophocli tragoediam imputaret.

XII

Haec omnia ante fabulam. Ipsam Delphis scaenam habuisse Pacuviana imitatio docet, ut bene a Ribbeckio (*Die röm. Trag.* p. 261) animadversum est. Hinc etiam unicus versus explicatur, qui nobis de exemplari Graeco relictus est:

ἀλλ', ὦ πατρῴας γῆς Ἀγυιαίου πέδον —

Ἀγυιαίος enim sive Ἀγυιάτης cum Apollo sit[1]), aperte Delphi indicantur. Quis tamen haec loquitur? Equidem Orestem crediderim, cui olim Mycenis abducto Phocis pro secunda patria fuit — id quod in sequentibus versibus accuratius explicari poterat. Cui explicationi etiam hoc favet, quod ita obscuro versui Vergiliano subita lux infunditur (*Aen.* III 330), ubi haec de Neoptolemo:

> Ast illum ereptae magno inflammatus amore
> Coniugis et scelerum Furiis agitatus Orestes
> Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.

Nam Neoptolemum ad Apollinis aram cecidisse constans est traditio — talionis scilicet iure, qui et ipse Priamum super aram obtruncaverit. Haec igitur ara Orestis patria dicitur — ex Sophocle puto epitheto sumpto. Nam duplex necis causa non morabitur eum, qui in *Tragodumenis* meis caput quod est *de conduplicatione* perlegerit: *ereptae coniugis* (NB!) *amor* Sophocli debetur, in Furiis appellandis vulgatam traditionem secutus est doctus poeta.

Sed haec in transcursu notavi; neque enim eis egemus, ut et Orestem et Neoptolemum Delphos venisse ponamus. Quaeritur tamen, qua de causa eo venerit uterque. Et de Neoptolemo quidem facile res transigitur, modo antea Ribbeckii error tollatur. Ponit enim genealogos secutus de stirpe sua oraculum consulturum, quippe qui per longum tempus nullis ex Hermione liberis auctus sit; quod ego nullo pacto concedere possum. Credibile est oraculum consulere eum, cui cum uxore normalis est consuetudo; quod in Euripideam Hermio-

[1]) Nollem hoc negasse Pearsonem, qui vertit: *provided with streets,* immemor definitionis Stephanianae: τὸ τοπικὸν Ἀγ. Duplicis vero genitivi frequens est apud tragicos usus.

nen vel maxime cadit, in Sophocleam neutiquam. Meminerimus eam iam antea cum Oreste coniugaliter vixisse, tum ab amato viro in invisi raptoris potestatem cessisse, sed ita, ut prioris coniugis cupida post breve temporis spatium eum recuperatura esset; credimusne eam per id tempus alienos amplexus tulisse? Hoc vero et per se minus est credibile et *Heroide* Ovidiana excluditur; cf. v. 107 sqq., quibus in extrema sponda cubantem repraesentat captivam puellam. Immo certissimum est eam secundum Sophoclem immaculatam servasse priori veroque marito fidem.

Quod non ideo solum moneo, ut Ribbeckium erroris arguam, sed quia haec res bene cognita cum vera Delphici itineris causa apte coniungitur; eam autem nullam aliam esse video quam ab Eustathio relatam (supra cap. IX § 4): ὅτε τὸν Ἀπόλλω τινύμενος τὸν τοῦ πατρὸς ἐξεδίκει φόνον[1]) — quod motivum cum apud Sophoclem efficax fuisset, apud Euripidem rudimentalis locum obtinuit, ut *Trag.* p. 44 docui. Quod si quis quaesierit, cur antiquae huius iniuriae tam sero recordatus esset, hoc quod modo monui, responsum ei suppeditabit: credibile enim est Hermionen prioris mariti matricidium sibi exprobranti ita respondisse: „At ille quidem patris est mortem ultus, cum tu hucusque tui patris necem inultam reliqueris" — et quod sequitur, coniugales ei amplexus tamdiu denegasse, donec huic pio in patrem officio satisfecisset. Hinc audax Neoptolemi et sacrilega θεωρία; cuius quod comitem duxit uxorem, nemo mirabitur — testem enim patratae ultionis habiturus erat.

Ceterum quod de deo poenas repetivit, verbis mirabilius est quam re ipsa; multam enim secundum heroicae aetatis usum, ut Achivis Nauplius occisi filii, templi antistitibus irrogavit, ut ex *Andr.* 1095 coll. *Ione* 447 colligere possumus.

XIII

Haec ergo Neoptolemi profectionis causa; Orestis autem quae?

Hic iterum psychologice nobis progrediendum est. Hermione enim si novo marito patris ulciscendi condicionem impo-

[1]) Cf. scholion nuper repertum ad Pind. *Paean.* VI 118 *(Oxyrh. Pap.* V 77): ἤτοι τῶν κρεῶν· ἢ διαρπαζόντων συνήθως τῶν ἄλλων ἐθυσχέραινε καὶ ἐκώλυε. διὸ καὶ ἀνήρητται (hoc Pindaricum)· ἢ τῶν χρημάτων ἃ διαρπάζων εἰς ἐκδικίαν τοῦ πατρὸς ἀνῃρέθη (Sophocleum). Turbat schol. *Nem.* VII 150.

suit, eone hoc animo fecit, ut post patratam ultionem prioris mariti fidem rumperet? Immo id eius consilium fuit, ut ab hoc priore marito abduci posset; quod Phthiae in Neoptolemi regia difficile fore, Delphis autem in civitate Oresti amicissima sine ullo negotio fieri posse videbat. Quod si ita erat, socium consilii adsciscere debuit Orestem; debuit igitur, ut uno vocabulo rem transigam, ei s c r i b e r e. Has ego Hermiones ad Orestem litteras, quas nobis ipsa ratio suggerit, modo ratione scribentis poetae vestigia ipsi quoque ratione usi sequamur, in *Tragodumenis* meis ex dissimulata Euripidis invectiva v. 964 evici. Haec enim apud eum ad Hermionen Orestes:

ἦλθον δὲ σὰς μὲν οὐ σέβων ἐπιστολάς

(quae apud Euripidem nullae erant). Quem obscurissimum locum[1]) methodo mea usus ita demum intellegi posse ostendi, si Sophocleus Orestes Hermionae σέβων ἐπιστολάς inducebatur. Addidi ut πάρεργον Euripidem vel ideo rem immutare debuisse, quod sibi heroicae aetatis mulieres litterarum ignaras fuisse persuasisset, quod loco ex *Iphig. T.* 584 allato evici. Irridet rationem meam quisquiliarum, ut ceteroquin captator Koerte, ipse *Tauricae Iphigeniae* versuum explicationem proponit nullam[2]) in Clytaemnestra ex *Aulidensi* accita acquiescens, ad quam vel binas litteras ab Agamemnone missas esse. Quasi vero usquam dictum sit has litteras ab ipsa regina lectas legendasve fuisse, aut difficilius ei fuerit quemvis de consilio suo adsciscere quam Iphigeniae apud Scythas moranti captivum Graecum litteratum invenire! Id enim identidem monui non curare poetas in tragoedia arctis limitibus circumscripta minutias, eosdem tamen diligenter cavere, ne ex his minutiis contradictionis sibi crimen inconstantiaeve oriatur.

Erit igitur insidiis locus; habemus etiam ex hac parte fabulam *Electrae* similem. Ut enim ibi Orestes (v. 37) δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκους σφαγάς iubetur, ita etiam in coniuge recuperanda astutiam, non vim adhibet, Hermiones litteris, ut illic

[1]) Nam Wilamowitzius p. 293, 2 verborum nebulas offundendo poetae sententiam sibi explicavisse visus est, vix cuiquam praeter Koertium hac quidem in re admirandus.

[2]) Nullam enim inventurus erat ut in re plane certa; cf. Weilii adnotationem: *si Iph. s'est fait écrire cette lettre par un prisonnier grec, c'est qu'elle ne sait pas écrire.* Quod in omnes heroidas valere et facta probant et ratio demonstrat; cur enim Agamemnonis filiam singularis inscitiae argueret?

Electrae, arcessitus. Delphos si venit, veterem amicum Pyladen necesse est invenerit; ultro haec persona ad prologum Sophocleo more informandum offerebatur — quis enim vetat in reconstruenda fabula etiam phantasiae paulisper indulgere, modo ne incerta pro certis venditentur? Ei igitur et iniuriam suam et Hermiones litteras et quid de re agenda constituerit exponit, expositis omnibus alteram suam patriam, Apollineam terram, ut consilia sua secundet orat (fgm. 200):

ἀλλ', ὦ πατρῴας γῆς 'Αγυιαίου πέδον —

plane eodem modo atque in *Electra* (67)

ἀλλ', ὦ πατρῴα γῆ θεοί τ' ἐγχώριοι
δέξασθέ μ' εὐτυχοῦντα...

Primum tamen rem secundum fidem componere temptat; et hic in agonem incidimus inter Neoptolemum et Orestem, in quo matricidium sibi exprobranti adversario ea quae debuit respondet Agamemnonis filius simulque patriam in filiam Menelai potestatem alleganti antiquiorem Tyndarei avi auctoritatem opponit. Servavit huius agonis vestigia Ovidius v. 49 sqq.:

Nec virtute cares. Arma invidiosa tulisti;
Sed tu quid faceres? induit illa pater.
Materia vellem fortis meliore fuisses!
Non lectast operi, sed data causa tuo.
Hanc tamen implesti, iuguloque Aegisthus aperto
Tecta cruentavit, quae pater ante tuus.
Increpat Aeacides laudemque in crimina vertit...

— plane supervacuo labore Oresten apud Oresten defendentem inducens Hermionen. Sufficit tamen pro secunda persona primam ponere, ut legitimi inter duos adversarios agonis loci principales appareant. — Feliciore opera Tyndarei avi patronatum ad puellam transtulit (v. 31 sqq.):

Me tibi Tyndareus[1]), vita gravis auctor et annis,
Tradidit: arbitrium neptis habebat avus.
At pater Aeacidae promiserat inscius acti:
Plus quoque, qui prior est ordine, posset avus.[2])

Quis non amaret piam hanc neptem tantum in avum obsequium profitentem... ubi scilicet eius auctoritas cum sua voluntate concordaret?

---

[1]) Manifestam hic quoque vides originem Sophocleam; apud Euripidem enim non Tyndareus, sed ipse Menelaus (v. 969) ante bellum infantem infanti despondet.

[2]) Formulam de suo addidit poeta iurisconsultus; invertit enim notum proverbium: *prior tempore potior iure.*

Eiusdem agonis vestigia etiam apud Euripidem (*Andr.* 972) reperiemus:

τὸν δ'[1]) ἐλισσόμην
γάμους ἀφεῖναι σοὺς, ἐμὰς λέγων τύχας
καὶ τὸν παρόντα δαίμον', ὡς φίλων μὲν ἄν
γήμαιμ' ἀπ' ἀνδρῶν, ἔκτοθεν δ' οὐ ῥᾳδίως,
φεύγων ἀπ' οἴκων ἃς ἐγὼ φεύγω φυγάς·
ὁ δ' ἦν ὀβριστὴς εἷς τ' ἐμῆς μητρὸς φόνον
τὰς θ' αἱματωποὺς θεὰς ὀνειδίζων ἐμοί.

Quem ille agonem haud inconsideranter exilio Furiisque adiectis ad suam adaptavit fabulam; locum non indicavit, sed nullus praeter Delphos esse potuit, nec inverisimile est ideo eum triduanam finxisse Neoptolemi theoriam, ut et cum praesente Oreste agon, et absentis insidiis patrata nex suum inveniret tempus.

Si nunc ab his Ovidianis Euripideisque vestigiis ad Pacuvianam translationem oculos convertimus, eiusdem agonis fragmenta reperiemus et Oreste (fgm. V. XVIII R.) et Neoptolemo (fgm. VI) ius suum tuente. Quorum fragmentorum primum

Prius datast quam tibi dari dictast, aut quam reditumst Pergamo

ne in rem suam convertere possit Koerte (supra cap. X), monendum est Menelao profecto apud Clytaemnestram educatam esse Hermionen (*Or.* 64.[2]) 109), ut colludentes sponsus puer cum sponsa aequali infantilis matrimonii speciem praebere potuerint.

Quam testium concordiam intuentibus quid firmius apparebit, quam et Ovidianae imitationi, et Euripideo rudimento et Pacuvianae versioni eundem fontem subesse, scilicet tragoediam Sophocleam? Quam opinionem omnibus quod sciam probatam primus impugnavit Wilamowitzius (p. 286, 2), cum fabula Pacuviana *Andromachen* respici contendit: quippe Andro-

[1]) Iusto neglegentius munere suo functus est Robertus (*Griech. Heldensage* p. 1463), qui hoc τὸν δὲ non ad Neoptolemum, sed ad Menelaum trahit; vide enim poetae verba: ἐπεὶ δ' Ἀχιλλέως δεῦρ' ἐνόστησεν γόνος, σῷ μὲν ξυνέγνων πατρί, τὸν δ' ἐλισσόμην κτλ. Quod ego non ideo moneo, ut Roberto invidiam moveam — quippe *operi longo fas est obrepere somnum* — sed ne iterum *über Robert hinausgegangen* neger.

[2]) Vides Euripidem etiam hac in re abdicata *Andromacha* sua, ut v. 1657, ad Sophoclem rediisse. At retinuit a Furiis vexatum Oresten. Mirum ni retinuisset, cum hac quidem in re iamdudum ipse Sophocles Delphicam suam asperitatem mitigasset (*Tragod.* p. 315).

machen inter dramatis personas fuisse fgm. XV ostendere, Pelei autem partes similes fuisse ex fgm. I (adiectum 66 quid significet nescio) sequi. At de Peleo id unum video, utrobique eum grandaevum apparere; quem extante pronepote iuvenem fingi vel Koertianam audaciam superaret. — At ab Andromacha pronuntiatur fgm. XV:

Quántamque ex discórditate cládem importem fámiliae.

— Quasi vero non Hermione discordiae causa extiterit inter Tyndareum Orestemque et Menelaum! Omnino hunc de *Andromache* excursum quamvis probatum Koertio dormitans scripsisse videtur; quod ego nolo in summi viri vituperationem accipi. Ad exitum scilicet vergente actuosissima vita aeque prodiga manu aera cum lupinis spargit, iusto iure minoribus segregandorum curam relinquens.

Video tamen praeter et post Wilamowitzium etiam Robertum in opere postumo (*Griech. Heldens.* p. 1465) posteuripideum tragoediae Pacuvianae fontem admittere; qui omnino quantopere disceptatione sua totam quaestionem conturbaverit dici non potest. Cum enim e. c. Ribbeckius vel ideo Sophoclis *Hermionen* respexisse dicat Pacuvium, quia *von einer dramatischen anderweitigen Bearbeitung des Stoffes nichts bekannt ist* (p. 261), apud Robertum totum agmen tragicorum existere videmus, qui hoc argumentum tractaverint: quattuor scilicet saeculi quinti (Sophoclem, Philoclem, Theognidem, Euripidem), tum duos aetatis Alexandrinae (Alexandrum Aetolum et Sosiphanem), tum medium inter utrosque fontem Pacuvii, quibus an addenda sint duo ulteriora dramata, ipsa quoque posteuripidea, dubius haeret (p. 1466, 1). Quod totum plane ex nihilo est conflatum. Si enim Philocles et Theognis Hermionen ante Neoptolemum Oresti nupsisse testati sunt, sequiturne inde peculiares eos tragoedias de ea scripsisse? Quod etiam magis dubium est de Alexandrinis, qui praeter poesin etiam grammaticam tractabant.

Omnino in hac *Hermione* Pacuviana Sophocli abiudicanda permira est inconstantia philologorum. Respuitur *Hermione* Sophoclea, quippe quam cito in oblivionem venisse paucitas fragmentorum demonstret; adsciscitur posterior quaedam fabula, cuius neque fragmentum ullum neque adeo index conservatus est. Faciamus tamen periculum sobrie rei tractandae. Scimus e. c. *Niptra* a Pacuvio *paene ad verbum* — ita Cicero

Tusc. disp. II 48 — ex Sophocle esse expressa; idem de *Teucro* et *Chryse* creditur. Cepit consilium etiam *Hermiones* scribendae. Praesto erat exemplar solitum, cognominis Sophoclis fabula, fortasse unicum; sed largiamur Roberto etiam Philoclis fabulam in eius scriniis fuisse, eius qui secundum Aristophanem αἰσχρὸς ὢν αἰσχρῶς ποιεῖ (*Thesm.* 168), itemque Theognidis τοῦ ψυχροῦ, quin etiam posteriorem quandam, quamquam haec mera hariolatione nititur; credimus prae eis a Romano poeta Sophocleam spretam esse? Quam tandem ob rem? Nonne etiam hic valere debet Livianum illud: *id ut tutius consilium ante rem foret, ita acta re ad fidem pronius est?* Credo hoc sufficere hactenus dumtaxat, ut probandi onus in contraria sentientes devolvatur, nam cum nullum, sed prorsus nullum indicium prolatum sit, quod nos ab illa Welckeriana Ribbeckianaque ratione desciscere cogeret, qua tandem de causa a fonte certo ad nubes et inania transeundum censebimus?

Iam si Sophoclem expressit Pacuvius, „paene ad verbum" expressisse putandus est; iusto igitur diffidentior fuit Pearson (I 142), cum nos in Sophoclis fabula reconstituenda fragmentis Pacuvianis uti vetuit.

XIV

Sed iusto tempore sum Andromachae admonitus; cuius quae partes in Sophoclis tragoedia fuerint vel potius non fuerint, ex Ovidii in primis imitatione liquet. Cuius Hermionae — ut mea ipsius verba (*Tragod.* p. 117) repetam — quantam querimoniae materiem hic, quem Euripides finxit, Troianae mulieris paelicatus dedisset! At vides eam v. 13 aequissimo animo de ea loqui, ut de absente quaeque res suas ne tantulum quidem tangat. Necesse est igitur iam ante in matrimonium petitam Hermionen concubinam removerit Neoptolemus; quo minus dubitemus Sophocli adsignare quae de se narrat Andromacha Vergiliana (*Aen.* III 325):

> Nos patria incensa diversa per aequora vectae
> Stirpis Achilleae fastus iuvenemque superbum
> Servitio enixae tulimus; qui deinde secutus
> Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos
> Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.

Amandavit igitur concubinam in Epirum, ut purum lectum genialem coniugi legitimae offerret — ex communi, credo,

hominum more. Neque ullam causam mihi fingere possum, cur aut eam aut Helenum secum et cum Hermione Delphos vexerit.

Longe tamen alia fuit matris, alia filii conditio, quem a sese procreatum apud se ut vel invita noverca retineret, ipsa vox sanguinis suadebat: ita ne Telamo quidem, ut longinquiora praeteream, Teucrum ab Aiacis sodalicio removit. Et fieri potest, ut in hoc amore etiam Peleum adiutorem habuerit et huc trahendum sit fgm. I R.[1]) Delphos proficiscens secum puerum vehit: qua de causa? Nescio, sed factum ex eis quae iam ostensurus sum sequitur.

Post agonem enim Orestemque cum infamia a superbo Achillis filio repulsum (fgm. XIX coll. Eurip. *Andr.* 981) postque clandestinum Orestis cum Hermione colloquium, quod tamen Neoptolemi diligentiam non fugisse videtur, fabulae culmen sequebatur: Neoptolemus ab Apolline occisi patris poenas repetens. Trepidatio inde, tum horribilis extra scaenam tumultus; nuntius tandem supervenit, ut choro Hermionaeque quid actum sit narret — Neoptolemum Oreste impulsore fatale volnus a Delpho quodam (Machaereo scilicet) accepisse. Hoc enim maximum fuit discrimen inter Sophocleam Euripideamque mythopoeiam, quod ibi praesens Orestes, hic absentis serpentes calumniae Delphos in Neoptolemum insti-

---

[1]) *Quod tamen ipsa orbitas grandaevitasque Pelei per penuriam stirpis subaxit* (*-xet* cod.) apud Nonium 116, 20 M.; quod qui se intellegere simulant, vellem etiam nobis plebeis luminum suorum aliquantulum impertiissent. Valet hoc in primis in Robertum (*Gr. Held.* p. 1466): „Neoptolemus, der befürchten muss, dass das Aiakidenhaus aussterben wird, da Peleus hochbetagt und nicht mehr zeugungsfähig ist, begibt sich... nach Delphoi". Hoc vero etiam deerat, ut prolificandi munus a valente nepote ad senio confectum avum transferretur! Idem eodem loco non minus infeliciter de fgm. IV: *cum néque me aspicere aequáles dignarént meae* Ribbeckio obloquitur: „Wenn Hermione klagt, dass ihre Gespielinnen sie nicht ansehen wollen, so geschieht dies nicht, ...weil sie sie wegen ihrer verbuhlten Mutter Helena, sondern wegen ihrer Unfruchtbarkeit verachten". Satis pro imperio; ego tamen neque quae matronae esse potuerint *Gespielinnen* satis intellego (quae fuerant, eas Spartae reliquerat), et orbitatem apud Iudaeos pro opprobrio (*Isai.* IV 1), apud Graecos pro infortunio habitam esse scio (Eurip. *Suppl.* 955). Contra infamiam matris in filios redundare vel ex Eurip. *Hipp.* 424 elucet. Immo cum certissimum sit aetatis suae puellaris tristitiam respicere Hermionen, ignominiosa ex matris fuga natam, novam habemus cum *Heroide* Ovidiana comparandi materiem, ubi haec eadem Helenae fuga domusque ob eam maeror fusius enarratur. Ita crescere vides indiciorum numerum, quibus ad eundem fontem redire fabulam Pacuvianam et *Heroidem* Ovidianam — ad Sophoclis igitur *Hermionen* — demonstratur: omnia scilicet favent dissensione prorsus nulla.

gant: quare non dubitandum est, quin etiam amphora illa Rubensis, quae Orestem de omphalo Delphico Neoptolemo insidiantem ostendit quamque cum aliis Séchan (*Etudes sur la tragédie grecque dans ses rapports avec la céramique*, Parisiis 1926, 253 sq.) ad Euripidis *Andromachen* refert, Sophocleae potius fabulae assignanda sit; ut supra monui artis figuratae monumenta non minus quam litterariam traditionem ex nobilissima Sophoclis tragoedia pendere, cum litigiosa Euripidis fabula neutrubi sui memoriam reliquerit.

XV

Ecce autem ipse Neoptolemus moribundus ante chori spectatorumque oculos affertur; quem ad finem? An ut paenitentia motus Apollini debitum honorem, Oresti ereptam coniugem restituat? Nescimus.

Morienti de comitibus aliquem assistere fas est unaque spurium ex Andromacha filium; hoc ultimum simulque pueri nomen ex Livii Andronici unico qui servatus est versu discimus:

Óbsecro te, Ancíale, matri né quid tuae advorsús fuas.

Non aliter etiam Aiax Sophocleus, animo Neoptolemi nostri paene geminus, Eurysacem suum ex captiva filium crescere iubet (v. 559) μητρὶ τῇδε χαρμονήν.

Sed de nomine me Koerte interpellavit, cui non abs re esse iudico data occasione respondere. Cum enim (*Tragod.* p. 117, 1) ex *Andromaches* personarum indice Molossi nomen ut cum v. 1243 sqq. pugnans eiciendum, Anchiali restituendum esse dixerim, ille de priore iudicii mei parte quippe iam ab aliis occupata consentit, de Anchialo refragatur, ne me scilicet quidquam et ipsum vidisse concedat: *von Anchialos hat Euripides vermutlich ebensowenig etwas gewusst, wie die Mehrzahl der Leser dieser Zeitschrift.* Ei igitur *vermutlich* argumenti loco est; mihi, qui testibus et ratiocinatione nitor, *verfehlte, voreilige Schlüsse* imputat. Sed Anchiali nomen Livii Andronici tragoedia praebet; ab ipsone inventum an ex unico fonte, Sophoclis *Hermione* traductum? Credo etiam sine Hygini testimonio, qui *fab.* 123 *Amphialum* praebet[1]), illud quemvis

[1]) Hanc Hygini fabulam totam e Sophocle pendere argumenta evincunt haec: 1. nomen Amphiali; 2. Hermione Orestis uxor a Menelao abducta Neoptolemoque data; 3. Neoptolemus Delphis ab Oreste occisus (c. infra cap. XIX). De 4. sepultura cf. infra.

reiecturum, hoc probaturum esse. Habuit ergo Sophoclis *Hermione* Neoptolemi filium Anchialum; hoc ignorasse credemus Euripidem? aut Athenienses patheticae Neoptolemi morientis cum filio parvulo scaenae testes, cum in Euripidis tragoedia hunc eundem filium apparentem vidissent, non sua sponte eum Anchialum appellaturos fuisse? Credo hoc sufficere, ut etiam in nostris editionibus pulcrum hoc nomem reponatur[1]).

Sed haec de personis anonymis quaestio latius patet. Irridet me Koertius quod tragodumenis in singulis realitatem vindicem, velut quod *Electrae* Sophocleae pseudopaedagogum vero nomine Talthybium appellari volo — *denn T. war doch der treue Diener des Agamemnon*, ut εἰρωνευόμενος pergit. Vix credo eum infeliciore exemplo uti potuisse. Non enim id quaeritur, quid ego, sed quid fabularum spectatores pro reali habuerint. An ii, qui de Agamemnonis realitate nunquam dubitaverint, praeconem eius Talthybium, Talthybiadarum gentis auctorem, unquam vixisse negaverunt? An iidem qui propter Copreum interfectum per millennium feralem pompam ornaverint, hunc ipsum Copreum pro ficticio habuerunt? Sed ne hoc quidem quicquam interest, totaque illa de realitate quaestio sine ulla causa a Koertio mota est; mihi enim sola sufficit traditionis continuitas. Vide modo *Ionis* v. 190 sqq. Ancillae Athenienses in aede Delphica Herculeos labores contemplantur, hydram Lernaeam ex lapide sculptam. „Is autem quisnam est, qui prope Herculem facem ardentem tollit? An is, de quo inter texendum canimus, scutifer Iolaus?“ — Quid? cum senem apparitorem Orestis in Aegistho occidendo opem praestantem videbant Athenienses, num dubitabant, quin is idem

[1]) Omnino filii filiorumve Neoptolemi et Andromachae nomina traduntur haec (testimonia apud Robertum p. 1457): Anchialus, Amphialus, Peleus, Phthius, Megapenthes, Molossus, Pielus, Pergamus, Pyrrhus, Aeacides et filia Troas. Horum pars (Phthius, Molossus, Pergamus, Troas) aperte ethnographorum, pars (Peleus, Megapenthes, Pyrrhus, Aeacides) genealogorum commentis debetur. Remanent Anchialus, Amphialus, Pielus, quae omnia ad unum reducuntur Anchialum, quod unum et per se poesin sapit et a testibus cum poetico fonte coniungitur. Quo certius est hoc ipsum nomen et a Sophocle inductum et ab Euripide eiusque spectatoribus subintellectum esse, idque eo magis quod hoc unum — Anchialus — ab Asclepiade, qui *Tragodumena* scripsit, proditum est.

esset Talthybius, quem similem opem praestantem nominatim vascula exhibebant et hucusque exhibent? [1])

Video tamen in hisce quaestionibus hucusque vigere Hilleri sententiam, qui ante hos L annos commentatione hypercritica (*Hermes* VIII) omnes quae in textu non nominarentur dramatum personas anonymas remanere iussit. At ego in *Ranis* Aristophanis Aeaci nomen utpote personae accommodatum retinendum censui. Quid quaeris? Operam perdidi; poteratne enim iuvenis, extranei praesertim, auctoritas contra Hillerianam praevalere? Ecce autem duplici sensu redux ab inferis *Perithous* Aeacum secum in lucem restituit; orcino iudicio victor sum declaratus. Tacitus mihi ipse gratulatus sum; neque enim quisquam hanc victoriam agnoscere dignatus est.

XVI

Non est Sophocleum in fabulae fine futura praedicentem inducere deum; in hac tamen fabula, quae ante Delphicam acta est aedem, poterat vel Pythia sacerdos Apollinis voluntatem declarare. Haec autem erat de Hermione priori marito restituenda, de futuro Molossorum regno, fortasse etiam de Tisameno restituti matrimonii pignore, cum verisimile sit etiam ultimi Eustathiani testimonii verba (cap. IX § 7) ne etymologia quidem exclusa ex hac tragoedia fluxisse — certo tamen de occisi Neoptolemi corpore. Et hoc est quod admirationem nostram movere debet.

Cum enim secundum traditionem hoc corpus prope aedis Delphicae limen sepultum ferretur, apud Hyginum, quem ex Sophocle pendere supra (cap. XV) vidimus, *ossa* viri *per fines Ambraciae* in Epiro *sparsa sunt*. Estne hoc quoque Sophocli imputandum? Parum est verisimile hac una in re Hyginum

[1]) Scilicet hoc quoque loco habenda est ratio nobilium Antiphanis versuum (fgm. 191 K.) de tragoedorum commoditate:

ἂν πάλιν
εἴπῃ τις Ἀλκμέωνα, καὶ τὰ παιδία
πάντ' εὐθὺς εἴρηχ', ὅτι μανεὶς ἀπέκτονε
τὴν μητέρ', ἀγαναχτῶν δ' Ἄδραστος εὐθέως
ἥξει πάλιν τ' ἄπεισι.

Non exspectabant igitur de scaena nominari Adrastum de sorore matricidam obiurgantem, quin continuo ipsum esse scirent. Hoc idem in Talthybium non valere putabimus?

Sophoclis vestigia deseruisse. Accedit quod eiusdem famae alter extat testis in *Ibide* 301 Ovidius:

> Nec tua quam Pyrrhi felicius ossa quiescant,
> Sparsa per Ambraciae quae iacuere vias.

Penitus videlicet inhaeserunt menti poetae, quae iuvenis in Sophoclis *Hermione* legerat, ut eorum ne senex quidem oblivisceretur. Immutandae traditionis rationem facile perspicere possumus, cum qui eam restituit Euripides (v. 1241) diserte Neoptolemum iuxta Apollinis limen sepultum Δελφοῖς ὄνειδος fore dixerit. Optime haec conveniunt; attamen aegre ferimus Sophoclem eorum, quae ipse in *Aiacis* fine dixerat, oblitum eo ultionis processisse. Verum τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται.

Utut est, victor ex certamine prodit Delphicus deus; victoriam autem Orestis dolis debet. Non alius fuit *Electrae* exitus: δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκους σφαγάς. Neutrum tulit Euripides. *Electrae* suam opposuit *Electram, Hermionae — Andromachen.* Sed Athenienses ne male quidem ab Apolline habiti numen eius offendere non sunt ausi: *Andromache* nullum Athenis chorum obtinuit, *Electra* plus decem annos coacta est exspectare, donec faventem sibi archontem inveniret. Sed nobis de sola agendum est *Andromache.*

XVII

Et argumentum quidem licet mutato indice idem remansit: Hermione per Neoptolemi mortem Oresti reddita. Sympathiae tamen cursum ab Oreste Apollinis ministro in Neoptolemum direxit poeta, quem ut sacrilegii crimine liberaret, non poenas ab Apolline exigentem, sed contra, prioris audaciae veniam petentem a maligno deo per Orestis insidias morti dari iussit. Et ut hoc antidelphicae suae inclinationi largitus est, ita misolaconismum in Hermione Menelaoque patre eius exercuit. Utriusque autem rei causa scaenam tragoediae Delphis Phthiam transtulit; neque enim tulissent spectatores venerandam Delphicam aedem ludibrii causa in aspectum datam, et ad Hermiones Menelaique invidiam augendam insignis fingenda erat iniuria in alia muliere patrata. Habebat sane ea res difficultatem; cum enim fabulae culmen in Neoptolemi morte positum sit, aegre eum tam longe a nobis amoveri

patimur[1]). Idem tamen in Iphigeniae morte fecerat Sophocles, qui ipse quoque, cum apud antecessorem eius Aeschylum Aulide res gesta esset, Mycenas scaenam transferendo ultima heroinae fata ex spectatorum oculis sustulit *(Tragod.* p. 271).

Ea autem mulier quae alia esse potuit nisi Andromacha captiva? Finxit ergo — contra et traditionis auctoritatem et hominum si non severos at aliquos mores — eam etiam post Hermiones nuptias in domini familia remansisse. Quae res ei occasionem dedit controversiae spectatoribus repraesentandae plane unicae ex intima gynaeconitide petitae; de qua ut recte iudicare possimus, obliviscendum est non solum Hectoris viduam ante oculos nostros comparere, sed omnino heroidem in vitae discrimine versantem. Zelotypiae est scaena — amoris igitur, sed mere carnalis. Hermione plane puella est, ἀντίπαις (v. 326); Oresten nunquam noverat, ad vitae sexualis ardorem a solo Neoptolemo excitata est. Hunc igitur toto animo, vel potius toto corpore amat. Eadem autem muliebri instinctu ducta neque se eius appetitui sufficere sentit, neque ab illo tanto se amoris impetu diligi, qui excitatae concupiscentiae suae satisfacere possit; hoc ipsum, quod nondum concepit, huic in amando defectui non sine causa adscribit. Frustra tamen hunc *corporeum* appetitum honestorum verborum involucro tegere cupit: experta enim rivalis triumphans ei et ξυνεῖναι μὴ ἐπιτηδείαν (206), et ἀπληστίαν λέχους (218), et φιλανδρίαν (299) obicit, et — ne ulla de rei cardine dubitatio remaneat — ita simulatam eius σωφροσύνην coarguit (238):

νέα πέφυκας καὶ λέγεις αἰσχρῶν πέρι —

de voluptatis scilicet fructu deficiente[2]).

Si autem iuvene uxore parum est contentus iuvenis maritus, unde tandem voluptatis plenitudinem petere putandus est?

[1]) Mutatae scaenae indicium: Neoptolemi corpus Delphis Phthiam advectum rursusque Phthia Delphos avehendum. Quocum comparandae sunt eaedem in *Hecuba* eandem ob causam difficultates (*Tragod.* p. 51).

[2]) Equidem haereo, utrum honestius sit talibus in rebus profiteri peritiam an ignorantiam confiteri; miras interdum in angustias philologi descendimus. Nec tamen dubito quin rectam viam sit ingressus Verrallius, qui secundum Wilamowitzium *ohne den geringsten Anhalt* (puto tamen me satis multos attulisse) *die H. für verliebt in ihren Gatten hält.* Cui cum idem obicit: *diese Sorte Liebe gehört freilich nicht in die hellenische Poesie, sondern in die moderner Romane,* mirari potius debebat largum Euripidis ingenium, qui vel Tolstoii Zolaeque revelationes occupavisset.

Cum concubinam, cuius corpori per tot annos assueverat, domi retinet, cum antiquae consuetudinis consortem cotidie ante oculos versantem videt, credetur et amator et dominus a furtivis eius amplexibus abstinere?[1]) Non credit hoc ipsa uxor, quae rivali v. 172 praesentem usum (τολμᾷς ξυνεύδειν) exprobrat; non credunt amicae, quae v. 933 λέχους κοινουμένην praetendunt; fortasse autem credendum erit ipsi? Audimus enim dicentem v. 36:

ἀγὼ τὸ πρῶτον (λέκτρα scil.) οὐχ ἑκοῦσ' ἐδεξάμην,
νῦν δ' ἐκλέλοιπα· Ζεὺς τάδ' εἰδείη μέγας

Muto sententiam; Iovis enim numen offendere cavebit supplex arae insidens. Sed vide quid sequatur:

ὡς οὐχ ἑκοῦσα τῷδ' ἐκοινώθην λέχει.

Nunc demum confitentem et ipsam intellexi; quem callidum versum qui eiciunt, vereor ne periuram reddant Andromachen.

Hoc igitur scaena Delphis domum reducta lucratus est poeta, ut duas feminas, animalia mere corporea, de maris in Venerem ruentis munere decertantes inducere posset. Nam quod Andromache rivali ἀρετήν suam praetendit (208), quo sensu accipiendum sit, sequentia docent: prudentem concubinae moderationem significat, quae lites et iurgia dotatae uxori relinquens id solum curat, ut domino suo placeat eique post quaslibet excursiones amatorias sinum suum quasi stabilem portum reservet; nihil ad Hectorem, ad quem sacrilego abusu v. 222 provocat, sed ad Trygaei cuiusdam potius faciles mores τὴν Θρᾷτταν κυνοῦντος τῆς γυναικὸς λουμένης.

XVIII

Hanc paene comicam scaenam sequitur tragica ut quae maxime eademque politica: filii salvatione pacta Andromacha asylo ad mortem excita foedusque impudenter a Menelao fractum; inde alia vel magis tragica: Andromacha cum Anchialo filio ad mortem triumphante Spartano ducta. Tandem ad extrema re redacta senex supervenit Peleus; cuius honesta truculentia non solum erga iniuriae auctores, sed etiam data occasione in pavidam pronepotis matrem liberatorium quiddam in sese habet. Sonora diceres tempestate purgari aerem perfidiae vaporibus vitiatum.

[1]) Tractavit hoc ipsum argumentum ea qua solet animi humani scientia is quem modo nominavi Leo Tolstoi novella postuma, cui index est *Diabolus*

Hic ego uno solo loco correcto ad ulteriora pergam. Versus enim 587 sq. ita leguntur:

ΜΕΝ. ὡς τήνδ' ἀπάξεις οὔποτ' ἐξ ἐμῆς χερός.
ΠΗΛ. σκήπτρῳ δὲ τῷδε σὸν καθαιμάξω κάρα.

Quod responsum magis ad laedendum Menelaum quam ad consolandam Andromachen valet. Immo ut utrumque assequeretur, dialogorum stilo dicere debuit:

σκήπτρῳ γε τῷδε σὸν καθαιμάξας κάρα.

Chori quod sequitur stasimum politicae inconstantiae poetam arguit; cum enim supra (v. 479—485) Homerum secutus monarchiam praedicaverit, tum (v. 693—702) Pelei ore radicalissimam democratiam, nunc aristocratiae laudator existit — quandoque Aristophaneum iudicium subiturus non tutam sibi esse hac in sphaera ambulationem.

Tum Hermiones iustam mariti vindictam metuentis querellae nutricisque vana consolatio: trepidantibus supervenit Orestes. Quod sequitur sane elaboratum patruelium colloquium nimia subtilitate pessumdedit Wilamowitzius. Id sane recte monet (p. 292): *die Redenden sprechen nicht alles aus, was sie sagen wollen, der Schauspieler hat es durch Haltung und Ton herauszuholen;* quod ego cum ante hos XXX annos primus in *Trachiniis* postulassem, magna banausorum irrisione exceptus sum. Sed haec quam dixi *viva interpretatio* ratione ex traditis verbis cum circumstantia collatis extrahenda, non domo afferenda est. Ille autem primum persuasit sibi omnia de Hermione Menelaoque iam nota esse Oresti; quae neque unde rescisscere potuerit ille satis intellegitur[1]), neque quidquam ad rem, ut non dicam, nusquam eum hanc scientiam prodere. Tum etiam magis ex arbitrio — dolere eum, quod Hermiones in rivalem maleficium successum non habuerit; quod ne ipsum quoque usquam prodit, neque facile quisquam dixerit, quid ex mulieris puerique morte lucraturus fuerit[2]). Iam v. 929 Oresti tri-

[1]) V. 959 id modo nosse se dicit, quod et Hermiones amicis et vulgo notum erat, veterem ambarum mulierum rivalitatem.

[2]) Dixerit quispiam ideo hoc ex re ei futurum fuisse, quod ita irreparabile inter coniuges discidium oriebatur — invito tamen Euripide. Quid enim aliud in mente habebat Hermione et qui ei opitulabatur Menelaus, nisi ut remota rivali ad reconciliandam gratiam via muniretur? Et recte iudicabant: legatur modo Grillparzeri *Iudaea Toletana*, quae tota circa hoc problema versatur. Nunc vero res plane perditae: viva enim rivalis vivum remanet ad furtivum amorem incitamentum, cui novum adiungitur ex tollendo crimine odium. Scilicet huc quoque valet Ovidianum illud: *Aut non temptaris aut perfice.*

buere per tragicam consuetudinem non licet, quae longiorem orationem uno interlocutoris versu interrumpi fere vetat. Unum quod primo obtutu probaturus eram, loco accuratius examinato retractare debui; satis enim lepide (v. 919) συνῆκα de Menelao intellegit: *den Herrn kenne ich; Ausreden überflüssig.* At sequentia verba ταρβεῖς τοῖς δεδραμένοις πόσιν alio hanc intellegentiam trahi iubent.

Immo στοχασμόν habemus sane accuratum, etsi brevitatis causa simulque dissologiae vitandae in paucas interrogationes responsaque retractum. Neoptolemo enim occiso Phthiam venit ad uxorem eius rapiendam; convisendae frater patruelis salvis moribus largam occasionem habuit, etiamsi gynaeconitide evocanda fuisset. Ecce autem nullo negotio ipsa in conspectum datur, desperationi tamen propior quam saluti. Matronae luctus *plerumque aut ad maritum aut ad filios refertur; ad maritum* igitur, quoniam filios nondum peperit. Coniugalis autem discidii plerumque in zelotypia radix; confirmat hoc simulque de ultione temptata confitetur. — „Hanc ipsam ad finem perduxisti annon"? — „Immo Peleus obstitit, a patre autem derelicta sum". — „Nunc demum desperationis tuae causam intellego: mariti vindictam times". — Et potuit sane hunc timorem lucri facere fratrisque iure trepidantem sororem abducere; sed nondum omnia explicavimus.

Ut enim cum Hermione colloqui possit, iter fingit Dodonaeum, quod eum cum per Phthiam duxerit, commoditate oblata de cognatae suae vita quaerit — hoc enim premendum: neque chorus neque ipsa Hermione quicquam aliud in Agamemnonis filio videt nisi fratrem patruelem. Extemplo supplex ad pedes eius procidit salutem sibi ab eo in rebus arduis expetens, deque culpa sua confessa iterum per Δία ὁμόγνιον (921) eum obsecrat, ut se aliquo potissimumque ad Menelaum patrem abducat. Dubitantem cum videt, satisne ei purgata sit haeret; puellariter igitur culpam a se ad malas consiliatrices declinat; optime enim scit invitos se et patres et fratres coniugum iurgiis immisceri pati[1]). Quo magis v. 929 ipsi est dandus; Orestem enim longe aliae curae premunt.

[1]) Hac quoque in re comoediam occupavit Euripides; velut in *Menaechmis* principio a genero stat senex, non a filia, cui de Erotii paelicatu querenti ita respondet (v. 805):

Eaedem scilicet quae et ipsum poetam. Nescit enim Hermione se ab Oreste non ut sororem, sed ut sponsam expeti; nescit se occiso marito viduam et orbam nullo amplius cum Phthia vinculo coniunctam esse. — Quid postea? Nesciat sane; quasi vero non amplam occasionem praebiturum sit longum iter de utraque re edocendae. — At minime dramaticum est de statu suo ignaram ex oculis spectatorum removeri. — Ita sane; valet praeceptum Horatianum:

nec desilias imitator in artum,
Unde pedem proferre pudor vetat aut operis lex —

aut τὸ πιθανόν, aut ἡ οἰκονομία, ut Graecorum terminis utar. Simplex et naturalis erat evolutio apud Sophoclem Delphis actione constituta; difficultas ex difficultate oriebatur Phthiam scaena translata. Aliquid tamen temptandum erat; vicit πιθανότητα οἰκονομία. Et primum quidem de suo amore eam certiorem facit, si amor dicendus est cognati coniugii appetitus ceteris ducendi viis praeclusis. Hic libenter mihi fingo Hermionen, quae antea ad pedes fratris procubuerat, nunc paulatim sese erigentem et pudore suffusis genis ad patrem rem revocantem:

νομφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
μέριμναν ἕξει...

Restat altera pars eaque difficilior: de Neoptolemo occidendo narratio. Quid Hermione? Quod incredibile duxeris: nihil. Desperata poesi actori omnia reliquit Euripides, qui quomodo se ex laqueis extricaverit, neque scimus neque ullo modo fingere possumus.

XIX

Insequens actus nuntii de occiso Neoptolemo narrationem continet, quam cum topographia Delphica comparare operae pretium est. Feci hoc a. 1916, cum defuncti amici mei

---

Quándo te auratám ét vestitám béne habet, ancillás, penum
Récte praehibet, mélius sanamst, mulier, mentem sumere.

Idem de fratre suspicatur Hermione, cum de peccato confessa ita in sese ipsa invehitur (v. 938):

ἐξηνεμώθην μωρία. τί γὰρ μ'ἐχρῆν
πόσιν φυλάσσειν;

cf. Plautinum *quid ille faciat, ne id observes.*

ᾗ παρῆν ὅσων ἔδει·
πολὺς μὲν ὄλβος, δωμάτων δ' ἠνάσσομεν.

Quibus omnibus confirmatur quod saepius dixi, ut cum fratre agere cum Oreste Hermionen.

I. Annenskii *Euripidem* rossicum cum meo commentario Mosquae ederem, et lectorum commodo consulens templi Delphici formam adieci... Ecce autem iterum in Koertium incurro, qui communi me philologorum iure orbatum eorum, quae linguis slavicis edidi, omnino mentionem facere vetat. Lascivire intellego virum beatum, qui quicquid unquam scripsit totius Europae iudicio propositum videat, cum meorum vix decima pars occidentalibus innotuerit; parum hoc linguae maternae commodo contentus novem illarum partium ne memoriam quidem ullam extare patitur. Me tamen iniusto imperio obtemperantem non habebit.

Ut illuc redeam, narrationem Euripideam cum loci natura olim comparavi; idem nunc facere video Wilamowitzium, parum tamen accurate. Totum enim drama quinque actibus conficitur. I. Ante aram, extra templum igitur (v. 1100—1111): ἐσχάραις ἐφέσταμεν (v. 1102). Hic Neoptolemum πρόμαντις de postulatione interrogat responsumque ab eo fert, quod Delphorum suspicionem movet. — II. In templo ante ἄδυτον deique signum (v. 1111—1119): ἔρχεται δ' ἀνακτόρων κρηπίδος ἐντός, ὡς πάρος χρηστηρίων εὔξαιτο Φοίβῳ· τυγχάνει δ' ἐν ἐμπόροις (hoc obscurum propter nostram cellae ignorantiam)... 1117 χῶ μὲν κατ' ὄμμα (ante signum igitur) στὰς προσεύχεται θεῷ. — III. Rursus in ara (v. 1120—1137): vulneratus a tergo a Delphis, qui ex laureto in cellam penetraverant, χωρεῖ πρόμναν (hoc rectissime perperamque a Wilamowitzio vituperatum, qui etiam in secundo actu, ad aram stantem finxit Neoptolemum), per medios igitur hostes, ad παραστάδα, pronai parietem, de quo clipeum votivum detrahit (v. 1121) cum eoque arae insilit (ἐπὶ βωμοῦ 1123), in qua se per aliquod tempus clipeo et oratione defendit. — IV. In via sacra (v. 1138—1146). Undique circumventus Neoptolemus *Troiano saltu* (de ara βωμοῦ κενώσας κτέ. 1138) sese in medios hostes praecipitat, haud dubie exitum quaerens (στενοπόρους καὶ ἐξόδους v. 1143), ad *N* igitur formae Pomtowianae (*RE Suppl.* IV 1201), et iam salvus est, ἐν εὐδίᾳ 1145. — Hucusque omnia recte procedunt, turbat autem actus V: Tertium ad aram (v. 1147 — ex.). Apollinis ex adyto voce rursus ad pugnam stimulantur Delphi Neoptolemumque occidunt βωμοῦ πέλας 1156. Haec demum obscuritas est, minime tamen ex topographiae Delphicae ignorantia excusanda; hoc enim per se patet, sine ulla formae notitia, non posse eum, qui modo *Troiano*, id est longissimo, saltu relique-

rit aram, iuxta aram occidi. Dicendum erat quomodo ex ὐδία rursus ad aram repulsus esset; neque hercle difficile erat hoc explicare. Heroico enim eius saltu exterritos expeditum erat deorsum per sacrum clivum fugam capessere; nunc vero audita dei voce sese colligunt et stipato agmine sursum per clivum ascendentes Neoptolemum retro ad aram compellunt. Potest ergo cui opus est reticentiam poetae vituperare; contradictionem tamen apud eum nullam inveniet, immo summam in loci natura observanda curam, quique neglegentiae eum arguebat Wilamowitzius reapse suam ostendit.

Ad Apollinis autem aram occisum esse Neoptolemum constans erat traditio; quin etiam locus ipse Delphis monstrabatur (Paus. X 24, 4). Hic igitur terminus movendus poetae non erat; nam ceteroquin facile eo carere poterat utpote ex talione orto causae eius minime amica. Qui Priami senectuti non pepercit, eum ipsum ad senectutem pervenire vetuit Apollo; haec ex Pindaro scimus. Qui ad Iovis aram senem obtruncavit, ei suam aram auxilio esse noluit: haec facile ipsi supplere possumus. Libens crediderim haec apud Sophoclem valuisse; cui pronum erat etiam ex adyto voce ideo uti, ut Delphis omnis de sacrilegio scrupulus tolleretur.

Unum restat. Bis enim apud Euripidem vulneratur heros primum in ipsa cella (1119), tum plaga extrema ad aram (1150) a Delpho quodam — Machaereo igitur[1]), traditionem si sequimur. Haec conduplicatio suspicionem inicit motivi rudimentalis; quae suspicio confirmatur acrius priore loco collustrato. In laureto enim occultatus esse dicitur λόχος,

ὧν Κλυταιμήστρας τόκος
εἷς ἦν, ἁπάντων τῶνδε μηχανορράφος.

Miramur Oresten, qui secundum ipsius confessionem ante patratam caedem Delphos reliquerit, hic inter sicarios censeri; quae interpretatio si recta est — et rectam esse contendit cum Verrallio Wilamowitzius (p. 289) — manifestam habemus

[1]) Homericorum enim scholiorum Eustathiique (supra p. 10) auctoritatem adiungere non possumus, cum ibi codices pro Machaereo Tyndarei nomen praebeant, quod tamen quin ex dittographia irrepserit nemo dubitat. Nec tamen liberum est nobis (cum R. Wagnero *Epit. Vat.* p. 274 sqq.) Orestis nomen substituere praeter Hyginum etiam Schol. Pind. *Nem.* VII 62 respicientibus, ubi Asclepiadem in *Tragodumenis* omnes poetas de Machaereo consentire testantem invenimus.

contradictionem eamque rudimentalem: praesentem scilicet Oresten ex Sophocle incautus traduxit Euripides. Hanc tamen contradictionem graviorem esse credo quam ut Euripidi imputari possit; malo igitur cum Murrayo aliisque commate post ἦν sublato tertium huic tragoediae relativi cum demonstrativo coniuncti (cf. v. 650 et 710) exemplum relinquere.

Probabile tamen est in Sophoclis *Hermione* hanc conduplicationem locum habuisse eamque ita, ut modo dixi, explicandam; cum enim Machaerei persona tangenda non fuerit — et relictam esse Hyginus testatur — Sophoclis autem intererat, ut Neoptolemi occisorem Oresten induceret, bis feriendus fuit reus, ut scilicet et deo laesae maiestatis, et rivali raptae coniugis poenas solveret.

Plane autem Euripideum habemus Euripidem in ultima imagine, quae pulcritudine sua multa mediocris tragoediae vitia compensat: Peleo sene in Sepiadis antro, ubi quondam Thetide potitus erat, hunc eundem iuventutis suae amorem exspectante, ut ab antiquae consuetudinis memori ad aeternam beatitudinem in Nerei regiam ducatur.

Quod quo commodius a lectore perspiciatur, triplicem de occiso Neoptolemo famam sub eius oculis ponam:

1. Occisus est, dum carnes a sacerdotibus diripi vetat. Hoc est motivum sacrale, vulgatum haud dubie, a Pindaro bis (*Paean.* VI 118 et *Nem.* VII 42) repetitum, praeterea a Pherecyde apud Schol. Eurip. *Or.* 1655. De re ipsa conferri potest Veteris Testamenti narratio I *Reg.* II 12.

2. Occisus est ipso deo impulsore, dum ab eo occisi patris poenas expetit. Hoc est motivum dramaticum, a Sophocle primum inductum secundum schol. 4 et Eustathii testimonium; servatum etiam ab Euripide *Or.* 1655, tum a Schol. Pind. *Paean.* VI 118, tum a Strabone 421 ὡς μὲν ὁ μῦθος, δίκας αἰτοῦντα τὸν θεὸν τοῦ πατρῴου φόνου (quod addit: ὡς δὲ τὸ εἰκός, ἐπιθέμενον τῷ ἱερῷ eiusdem est motivi realistica explanatio) et Tryphiodoro 642 ζαθέου δηλήμονα νηοῦ.

3. Occisus est ipso deo impulsore, dum antea postulatae poenae veniam petit. Hoc est motivum mere polemicum, a primo inductum Euripide neque usquam in traditione reapparens, quin ab ipso auctore postea (in *Oreste*) abiectum. Quam solitudinem operae pretium est cum Sophoclei motivi celebritate comparare, ut penitus noscatur et recte me *Hermio-*

nen nobilissimam appellasse fabulam, et falli eos, qui de fabularum apud antiquos celebritate secundum reliquiarum numerum iudicent.

XX

Hanc quam tandem ad finem perduxi disputationem olim, cum *Tragodumenon* meorum libros conderem, cum aliis quibusdam, quas aut iam edidi aut editurus sum, eius operis libros a quarto ad sextum vel septimum efficere volui. Impedimento fuerunt difficultates pecuniariae, quibuscum tunc temporis Academia nostra conflictabatur, quibusque et chartae et literaturae haud sane invidiosa species debetur. Si tamen aut mihi aut successoribus meis contigerit, ut illud opus secundis curis edatur, hic ordo ei restituendus erit. Interim de methodo, qua per omnes libros usus sum, paucis disserere liceat; cuius illustrandae ansam cum mihi malevola Koertii recensio praebuerit, nolo nimio sibi honori tribuat, quod aliquoties de ea acturus sum.

Ego enim priusquam vastas tragoediae Graecae ruinas aggrederer, extrinsecus iudicium meum firmandum duxi — ex eis scilicet litterarum regionibus, quae nobis imitatorum et fabulas et exemplaria integra praeberent. Duos elegi auctores, Shakespearium et Grillparzerum: illius dramata aliquot, huius omnia cum fontibus comparando multum equidem temporis consumpsi (et Shakespearianae meae operae sumptuosa Vengerovii editio Petropolitana, Grillparzerianae liber manuscriptus, quem frustulatim subinde edo, documenta servant). Id autem sum certe assecutus, ut quae esset in poesi argumenti vel motivi evolutio, nemo philologus melius me sciret.

Hanc practicam investigandi operam alia comitabatur, theoretica — liceat enim homini ἐπὶ γήραος οὐδῷ cui de crastino die non multum iam sperare concessum sit, studiorum suorum rationem iunioribus reddere. Theoretica, inquam, eaque duplex. Primum enim, id quod ceteros minime sollicitos reddere solet, quae in disciplina nostra esset demonstratoria argumenti vis — germanice dixerim *die Beweiskraft des Beweises* — id mihi vel maxime quaerendum esse duxi. Idque iam de tenero ungui; libet enim reminisci me iam dissertationi meae, quam nondum vicennis Lipsiae conscripsi, caput *de*

methodo inseruisse — admodum illud quidem iuvenile, ne dicam puerile, sed tamen seriae ea de re curae testimonium. Haec me etiam postea in magistrorum magistellorumque verba iurare vetans quid in quaque quaestione esset demonstratum, quid non, accurate quaerere coegit, quare haud sane difficulter tempore progrediente multarum *fabellarum conventarum* vanitatem perspexi. Nunc vero censorem sum nactus, qui mihi (p. 581) artem nesciendi inusitatum in modum negatam esse ait; cuius haec ipsa fiducia, qua mihi putidissima quaeque ut magnam sapientiam obicit, documento est ne attigisse quidem eum severa illa studia, quibus ego iudicium meum et exercui et exercere pergo. Ego vero et sciendi et nesciendi et, quae inter utramque media est, opinandi artem ut qui maxime calleo, criticen autem non in eo repono — quod plurimorum philologorum est vitium — ut si quid non admodum firmis argumentis fultum invenerim, continuo contrarium pro demonstrato habeam, sed ut certa pro certis, verisimilia pro verisimilibus, possibilia pro possibilibus venditem, semper vero et ubique quid argumentando consequi possim experiar.

Alteram theoreticam viam psychologiam dico: cum enim nobis philologis cum animi humani operibus negotium sit, ex animi natura cognoscenda proficiscendum esse censui, ut de illorum origine et incremento recte iudicare possem. Ita primus psychologiam, sed veram, scientificam, non „vulgaren", merito a Wundtio spretam, in philologiam induxi. Cui quantum debeam vix dicere possum; eadem tamen cum mihi tot obscuras arcanasque in disciplina nostra quaestiones larga luce illustraverit, abyssum tamen inter me eosque, qui ab his studiis alieni erant, etiam altiorem fecit. Ferendum fuit; iustius est enim ita litem inter nos componi, ut illi ad meam scientiam, quam ut ego ad illorum ignorantiam accedam.

Quae si cui superbius dicta videbuntur, quam decet hominem, qui semper modestiam pro optimo scientiae tractandae lucro habuerit, perlegat velim recensionem, qua me idem ille Koerte per sesquiannum libro meo retento dignatus est. — At enim alia eum eaque graviora negotia retardaverunt. — Credo equidem; velut anno post *Ionis* editio Wilamowitziana prodiit, cuius recensio, adulatoria ut quae maxime, antequam preli atramentum siccaretur imprimenda erat. — Quid? Timuit ortasse, ne liber et a Wilamowitzio scriptus et a Weidmannis

editus sine eius commendatione lectoribus ignotus remaneret? — Immo ob hoc ipsum:

ne prior officio quisquam respondeat: urge!

Mei autem libri alia erat condicio; neque enim aut populares illius admodum curiosi esse solent eorum, quae trans Vartham in litteris dumtaxat aguntur, neque Academiae nostrae quisquam πολυπραγμοσύνην obiecerit. Exspectet igitur: οὐ σός γε πατὴρ μεταδαίνυται ἡμῖν. Aegre tuli ad felinam me mensam relegari melioribus assuetum; quid post sesquiannum? Consciusne sibi fuit libri se rationem reddere, lectoribus qui ipsis praesto non esset? Immo quo certius veritati viam praecluderet, gravissima quaeque reticens aliquot se cavillationibus rem totam transigere posse putavit. Quarum duas vel tres supra tractavi; unam hoc loco addam, quoniam ea, de quibus hoc capite egi, non male illustrat.

Is enim ut *besonders übles Beispiel* methodi meae (p. 581) *Neoptolemum* affert, *eine gänzlich unbezeugte*[1]) *Tragödie*, quam ex Soph. *Phil.* (343 sqq.) eruisse me dicit. Mitto quod tragoediae testis est auctor non plane contemnendus Aristoteles; mitto quod ex libri mei p. 320 discere poterat me de hac tragoedia peculiarem commentationem latine conscripsisse; in hac ipsa quam citat p. 109 haec tamen legerat: *hae causae* (scil. non solum *Phil.* 343 sqq., sed etiam alii huius tragoediae loci) *cum aliis quibusdam me commoverunt, ut... Sophocli Neoptolemum redderem.* Nonne sustinendum fuit iudicium, donec de his aliis causis edoceretur?

Re quidem vera haec *Neoptolemi* tragoedia luculentissimum praebet rectae methodi exemplum, si modo ingenium quis adhibeat ab argumentando non alienum. Equidem a *Philoctetae* locis rudimentatibus radium accendi alte tragicas ruinas illustrantem; neque tamen, id quod identidem monui quodque ad argumentandi vim vel gravissimum est, hoc radio solo acquievi. Secundus ex Aristotelis testimonio affulsit, tertius ex fragmento quodam adespoto, quartus ex Acciana imitatione, alii aliunde; hi omnes radii nulla invicem dependentia coniuncti cum unum in punctum convergant, tantam ei lucem infundunt, ut extra omnem dubitationem id quod demonstrandum erat tollant.

[1]) Inconscius prodit solas apud se valere πίστεις ἀτέχνους, quod certissimum est ingenii signum argumentando non assueti.

Quod tamen ut et intellegi et recte aestimari possit, animo opus est philosophica exercitatione praeparato; a qua longissime abhorret banausorum operositas in sola formicina sua per totum aevum occupata.

Unum tamen addendum est. Totus liber meus in evolutionis problemate versatur, a qua Koertii mentem alienissimam esse et olim animadverti et nunc vel maxime intellexi. Quin is extremis recensionis suae lineis tertii mei libri, qui est *De Iphigeniae et Danaes mythopoeia tragica,* rationem lectoribus reddere ideo supervacaneum censet, quod in eo *über Robert hinausgekommen* non videar. Qui si vel angulo oculi mea Robertianaque percurrisset, animadvertisset certe Robertum solam testimoniorum male digestorum farraginem praebere, mythopoeiae autem evolutionem, hoc est e fumo lucem, me et primum et solum dedisse. Eiusdem est naturae quod de metrico meo libro agens, cuius tamen aliquas virtutes agnoscit, metricam meam rationem *starr und leblos* dicit. Immo hoc in quemvis valet praeter me unum; cum enim vita in evolutione constet, versus Euripidei evolutionem ego et primus et solus ostendi. At enim numeris statisticis sum usus sane lectu fastidiosis. Vellem quamvis cursim biologorum tabellas perlustraret, quot millimetra datae plantae folium per singulos dies et ad solem et in umbra crevisset, subinde summa cum cura notantium: num etiam biologiae vitam inesse negabit? Scilicet haec est vere scientifica methodus, argumentando, non hariolando propria.

XXI

Intermissa diu bella cur tam sero moveam interroganti valebit fortasse ad excusandum libri mei incommoda condicio, praesertim cum idem Koertio per tota decennia comicis meis obtrectanti nihil unquam respoderim: poterat enim liber a Teubnero editus suam ipse causam tueri. Nec tamen omnia in eo sunt; haec enim ipsa, quae nunc scribo, quotusquisque lecturus est? Non eae sunt opes nostrae, ut non facile, si voluerit, ἐρίμυγν vincere possit. Immo altius arcum tetendi.

Aliquoties mihi in hac disputatione cum Wilamowitzio agendum fuit: neque id mirum, qui tanta operae suae monumenta reliquerit, ut vix ulla litterarum Graecarum attingi posset pars, quin aliqua eorum offenderes. Sed in tragoedia quae

optima habuit, in prioribus operibus exposuit; de *Andromacha* quidem excursus nil exhibet, quod simul et novum et probandum sit, idemque in *Ionis* editionem valet, quae tantam Koertii admirationem movit, reapse vel Weckleiniana, utilitatem si spectas, inferiorem — neque enim verbum dicere audeo de meo commentario in Annenskii (supra cap. XIX) versione deposito, quem citius sovietici mures comedent, quam ulli philologis usui esse potuerit. Nec sum nescius fore, ut haec mea de summo viro opinio Koertio eiusque similibus paene sacrilega videatur; verum ita est: *frei verehrt einen grossen Mann der Mann, der selber etwas leisten kann,* ut quidam Germanus philosophus idemque poeta edixit. Quo non excluditur summis plerumque viris acceptiorem esse solere servilis mentis adulationem quam liberum liberorum ingeniorum cultum; sed hoc ferendum est. Hoc quoque pervellem, modo ex meo arbitrio penderet, civiliter eum potius quam centurionaliter cum collegis agere; nunc enim quoties pulcris eius pomariis appropinquo, non sine timore id facio, ne malo me petat, sed putido. Verum hoc quoque fortasse ferendum, dum ne iunioribus minoribusque imitationi sit. Nunquam enim e. g. Ricardo Wagnero succensui, quod dum tramitem a natura sibi indicatum assidue sequitur, Brahmsium aliosque prae se homines non putavit: at in eius asseclis hanc intolerantiam semper pro manifesto stuporis signo habui. Aliorum est enim creare, aliorum de creatis iudicare.

Haec ipsa tamen latius patent. Ea enim, quam modo dixi creandi in Wilamowitzio potestas in eo consistit, quod ex ingenti doctrina, mirabili adiuncto ingenii acumine, sua sponte plerumque effulget cognitionis scintilla, secundum quod dictum est a Platone (*Epist.* VII 341 c): ἐκ πολλῆς συνουσίας γιγνομένης περὶ τὸ πρᾶγμα αὐτὸ καὶ τοῦ συζῆν ἐξαίφνης οἷον ἀπὸ πυρὸς πηδήσαντος ἐξαφθὲν φῶς ἐν τῇ ψυχῇ γενόμενον αὐτὸ ἑαυτὸ ἤδη τρέφει. Est igitur proprio veroque sensu θεία quaedam δύναμις; cui tamen maximo commodo non minimi momenti respondet incommodum, quod ubi ad hanc humilem pedestremque argumentandi viam descendendum est, plane eum vires deficiunt. Hoc enim omnibus operibus eius perlectis (id quod ille in me ne si vellet quidem efficere potuisset) pro certo asseverare possum, neque ipsum argumentum paulo complicatius construere scire, neque ab alio constructum mente capere posse. Typicum scilicet est, quod ego in mea *de Actaeone* commentatiuncula ostendi (Eos

XXIX 1926, 1—7); quod ego ludens — neque enim res erat tanti — velitationisque potius causa composui. Aquilam dicere praecisis alis humi sese in pulvere volutantem.

Hinc illae vociferatiooes delicias viro et sene et docto parum dignas prodentes, se cum aliter sentientibus ne colloqui quidem velle neque omnino eorum causa scribere — quasi vero non ad id ipsum inventa sit argumentandi facultas, ut recta methodo usi aliter sentientes convincere possemus. Hinc explicatur, quod ubi argumentando opus est, aut ad vaticinia ascendere solet aut ad convicia descendere, quorum haec sunt illis haud dubie magis dolenda.

Hinc etiam pendet, id quod gravissimum est, quod prae arboribus plerumque silvam videre non potest; hinc quod scientiam nostram eisdem limitibus circumscribi vult, quos ipsius facultatibus quamvis prodiga natura posuit. Velut quod componendi artem, cum argumentandi arte stricte coniunctam, quia in se nullam esse sentit, omnino utilem esse negat; memini enim permirum me hac de re ἀπόφθεγμα in *Platone* eius legisse, quod timeo ne maiores in Germaniae scholis turbas excitet. Sequitur ut ne apud antiquos quidem compositionis regulas quicquam valuisse patiatur; quas omnes chrias Apthonianas appellans sublimiter despicit. Miraretur credo, si suavissima opera Beethoveniana secundum tales chrias composita esse sciret.

Neque hoc de solis componendi regulis valet, personalitatis nimius cultor nullas creandi l e g e s agnoscit, quibus se inconscia submittit creatrix natura humana. At ego his ipsis legibus investigandis magnam vitae meae partem impendi, id secutus quod idem semibarbaro licet vocabulo *scientificationem scientiae*, philologicae scilicet, appellavi; non quod personalitatis contemptor essem, sed ut secundum Nietzchianam doctrinam parvae creatoris personae *(kleines Ich)*, quam solam Wilamowitzius agnoscit, magna eiusdem creatoris persona opponeretur. Sed hanc philologiae quam dixi scientificationem idem Nietzsche in mente habuit idque statim in primis suis praelectionibus Basileensibus, cum eo tendendum esse edixit, u t p h i l o s o p h i a f i e r e t, q u a e a n t e a p h i l o l o g i a f u i s s e t.

Et nunc demum eo, quo iter intenderam, perveni.

Antiquam Boeckhianae factionis cum Hermanniana litem, quae circa *Eumenides* maxime exarserat, cum aliis felicissime

ipse Wilamowitzius composuit; idem tamen alius litis auctor extitit — idque statim ab initio — cum in Nietzschianum de tragoedia librum, cuius virtutibus facultates suas superari sentiebat, acerrime invectus est. Haec vero lis cum summo scientiae nostrae damno adhuc incomposita manet. Facile enim colligere possumus, cum uterque separatim tantum in hominum voluntatibus captivandis valuerit, quid coniuncta potuerint amborum ingenia: scilicet invicta exsurrexisset scientiae nostrae vis tanto hominum amore secundata, quanto ne renascentium quidem litterarum aetate florebat.

Sed enim cautum est, ne caelo usque crescerent arbores. Nam quod primum optandum erat, ut etiam Nietzschiana secta par fieret adversariae viribus, id superorum quadam invidia prohibitum est, ad diuturnam claudicationem philologia damnata. Ipsum enim Nietzschium a feliciter inchoato cursu ingravescens morbus, successorem eius E. Rohdium immatura mors demovit: qui tertius erat ordinis heres O. Crusius, is cum longae praeparationis iter instituisset — melius enim ducebat dimidiatum se philologum, at integrum hominem haberi, quam integrum philologum et dimidiatum hominem — in ipso aetatis culmine prohibitus est ostendere, id sibi a natura concessum esse, ut integer et homo et philologus fieret. Non sine magna enim animi commotione vetus amicus in diario eius legi, id ei in mente fuisse, ut inde a sexagesimo aetatis anno, quae die praeparasset opera, subinde ederet; at hic ipse annus et studiorum ei ultimus fuit et vitae.

Manet ergo posteris componenda lis magna et gravis, prae qua paene puerilis videtur illa quam supra indicavi circa *Eumenides* orta... Quod hoc ad *Andromacham?* Nil sane; at ad *Tragodumena* aliquatenus pertinere intelleget is, cui quandoque litis quam dico componendae cura incumbet. Nam senilis me garrulitatis crimen effugisse censeo, qui non mediocris voluminis argumentum paucis paginis coartaverim; idemque cum paene iam attigerim eum vitae terminum, ultra quem τοῦ πλέονος μέρους donum incipit a natura non semper benigma supererogatum, veniam me impetraturum confido, quod occasione data, vel adeo arrepta, exposuerim, quid mihi studenti in votis fuisset quidve iunioribus commendarem.

DE AORISTICA QUAE PUTATAR IMPERFECTI LATINI VI

[EX: MNHMA, COMMENTATIONES IOSEPHO ZUBATÝ OBLATAE PRAGAE 1926].

A constanti imperfecti Latini usu videtur abhorrere quod imperfectum non numquam de praeterita actione perfecta adhibetur, velut *aiebat*, ubi *dixit* esse poterat, *conducebas* Plaut. *Pseud.* 798 sq. de perfecta equi conductione. Qui usus varie atque diverse explicabatur, dum alii de imperfecto memoriae, alii de imperfecto aoristico verba faciunt. Pro certo haberi potest illum imperfecti usum non servare vestigia imperfecti priscae linguae Indoeuropaeae neque esse proprium litterarum Latinarum antiquissimi temporis. Facillima invenitur explanatio si eius rei habetur ratio, quod etiam in lingua Bohemica in eiusmodi exemplis verbi imperfecti usus est obvius, quo actionis tamquam argumentum quoddam significatur non sine notione aliarum quae circum erant actionum. Agitur ut verbis exprimatur ipsum actionis genus, non actio aut perfecta aut perficienda; nunc referendus est etiam usus infinitivi Latini et historici et eius qui in exclamationibus adhibetur, praesentis vel pro praeterito vel pro futuro, participii, nominis actionis, nominis agentis cum formis verbi *esse* coniuncti. Est ubi sentire liceat, cur eo dicendi modo utamur: si imperfecta verbi forma adhibita scientes actionem augemus; velut in Plauti versu *cur conducebas* plenior est expressio quam esset *cur conduxisti*. Ita existit quoddam *hyperboles verbalis* genus simile illi quod interdum usu verborum intensivorum, quae et amplificativa vocantur, et in *-(i)tare* et *-sare* exeunt, efficitur. Non numquam hyberbole verbalis plurali numero substantivi adhibito augetur, velut cum Plat. *Men.* 803 sq. uxor irata verbi forma praesenti narrat maritum ipsi pallam surripuisse et ad amicam detulisse; *at ille suppilat, mihi aurum et pallas ex arcis domo; me despoliat, mea ornamenta clam ad meretrices degerit.*

BRNO. FRANCISCUS NOVOTNÝ

DE ARCHYTA HORATIANO (c. I 28)

scripsit
THADDEUS SINKO

I

Itali nuper cum in suburbio Tarenti haud procul a litore locum publicum funeribus ab antiquis oppidi incolis destinatum effodissent ibique praeter sescentas humanorum corporum reliquias omnibus muneribus honoribusque destitutas unam calvam invenissent corona aurea ornatam, memoriam Archytae repetiverunt[1]), quem *pulveris exigui prope latum parva Matinum munera* exhibuisse Horatius (c. I 28) cecinit. *Pulveris munera* pulveri naturali ab illis opponuntur et iuxta terram levem aestimantur, qua corpora exanimata, in foveas quadratis angulis instructas demissa, obruebantur, antequam saxis planis protecta sunt, super quae etiam lateres impositi conspiciuntur. Quid, si calva illa coronata Archytae fuisse putabitur, qui fortasse pro inscriptione sepulcrali, a Pythagoreis vetita, aurea corona donatus sit, capiti, mentis sedi, imposita?

Sepulcrorum Tarentinorum investigatores ut auctorem rei publicae Tarentinae eiusdemque praetorem in ipsa imperii sede sepultum esse crederent, nullo alio testimonio (nullum enim exstat) nisi Horatii carmine laudato commoti sunt. Eius tamen indicia non tam dilucida definitaque sunt, ut sine argumentis ratiocinatione quadam obtentis fidem habere possint. Litoris enim Matini, prope quod Archytas iacere dicitur, situs ambiguus est. Porphyrio ad *c.* I 28, 3 scripsit de monte sive promunturio Apuliae, cum Matina cacumina (ad *Ep.* 16, 28) et apem Matinam (*c.* IV 2, 27) iunxerit cum monte Calabriae. Illi collocationi Lucanus (IX 182 sqq.) favere videtur, apud quem legimus:

> ubi... renovare parans hibernas Apulus herbas,
> igne fovet terras, simul et Garganus, et arva
> Volturis, et calidi lucent buceta Matini,

qua cum descriptione convenit pagi cuiusdam, in monte Gargani siti, nomen quod etiam nunc est *Mattinata*. Ad illam qui-

[1]) Rivista *Indo-Gr.-It.* 1926, 187 secundum *Kwartalnik Klasyczny* I 1927, 155; cf. etiam Mario di Martino, *Il trovamento archeologico di Taranto e la tomba di Archita* (Mouseion [Neapolitanum] I 1927, 18—37).

dem litoris Adriatici partem, in quam Garganus instar promunturii prominet, naufragus *Illyricis undis* obrutus a mari appulsus esse videtur, ita ut etiam silvarum Venusinarum mentio (v. 26) ab eo litoris Matini situ minime dissentiat. Garganus autem cum quodammodo mons patrius Horatii fuerit (cf. *c.* II 9, 7. *epist.* II 1, 202), quis est qui litus adiacens poetae optime notum fuisse negare audeat?

Quae quamquam vera sunt, tamen quominus in litore Apuliae prope Garganum Archytae Horatiani sepulcrum collocemus, vel a *Neptuno sacri custode Tarenti* (v. 29) prohibemur, quem naufragus non appellasset, nisi oppidum eius tutelae commissum ante oculos habuisset. At quomodo fieri potuit, ut naufragus undis Illyricis obrutus usque in sinum Tarentinum deferretur? *Undae Illyricae* sunt undae eius partis maris Adriatici, quae ad Orientem spectat, sed etiam ad totum mare Adriaticum eas refferi posse docemur *c.* I 33, 15 sq., ubi legimus de *fretis... Hadriae curvantis Calabros sinus.* Quid si *Epod.* 10, 19 *(Ionius uno cum remugiens sinus Noto carinam ruperit)* cum *c.* I 3, 13 sq. *(nec rabiem Noti, quo non arbiter Hadriae maior)* et *c.* III 27, 18 sq. *(ego quid sit ater Hadriae novi sinus et quid albus peccet Iapyx)* comparamus, nonne etiam undas Ionias pro Adriaticis ab Horatio nominari videmus? Igitur Illyricae undae sunt undae Adriaticae, quae etiam in Calabriam, scilicet in sinum Tarentinum veniunt. Ceterum hoc etiam probabile videtur vectorem, qui e portu quodam Illyrico, e. g. Dyrrhachio, non — ut mos erat — recta via Brundisium navigaret, sed propter suas rationes in Siciliam rursum dirigeret, postquam etiam tum in mari Adriatico procella correptus e cursu deiectus esset et in sinum Tarentinum compulsus, dicere potuisse se undis Illyricis obrutum esse, nimirum quod non ita procul ab ora Illyrica primum tempestate oppressus esset. Quae si concedentur, Neptunus, custos Tarenti, undas illas Illyricas frangere poterit, quibus in *c.* I 28 explicando a sinu Tarentino cohibemur. Ut tamen illuc penetrare possimus, aliud litus Matinum in Calabria prope Tarentum nobis explorandum, immo reperiendum est.

Antiqui quidem cum ignotas regiones expetebant, avibus vel aliis animalibus ut viae ducibus utebantur; nos apem Matinam sequemur, quacum poeta se ipsum *c.* IV 2, 27 comparavit. Eam enim eandem esse atque apem Calabram, *c.* III

16, 33 commemoratam, facile concedes, si *c.* II 6 respexeris, quo Horatius agri Tarentini laudes uberius pertractans sibi praeter omnes terras illum angulum ridere dicit, cuius mella melli Hymettio non decedant. Mel Tarentinum etiam a Varrone (apud Macrob. *Sat.* III 16, 12: *ad victum optima fert... mel Tarentinus ager)* celebratur, cum nullum in Italia habeat aemulum, apes Calabrae *c.* III 16 eaedem putandae sunt ac Tarentinae. Itaque poeta, cui *iam non Regia Roma, sed vacuum Tibur* placuerit *aut imbelle Tarentum (Epist.* I 7, 44), cum circa Tiburis ripas operosa carmina fingeret, cum celeberrima ape Italica se comparavisse videtur, scilicet cum ape Tarentina seu Calabra. Cui si Matinae nomen dedit, Matinum montem vel saltum, nobis quidem ignotum, sed a Porphyrione in Calabria indicatum, respexit. Qui mons Calaber non procul a litore Tarentino afuisse videtur, ita ut litus illud ab eo Matini nomen acceperit.

Quam quaestionem Matinam fusius exposuimus, ne opinionis Heinzei *(Oden und Epoden erkl. v. Ad. Kiessling.* 6 Aufl. 1917, ad *c.* I 28, 3: *die Entscheidung ist schwer...)* socii fiamus, qui argumentis utrique iudicio (scil. de Matino Apulo et Calabro) faventibus prolatis arbitrium difficile esse contendit, sed et ipse Archytae sepulcrum prope Tarentum collocavit. Ad quod antequam accedamus, philosophi Pythagorei quae fuerit apud Romanos aetatis Horatianae memoria respiciemus. Testis gravissimus nobis Cicero est, qui quidem (secundum Orellii et Baiteri *Onomasticum Tullianum)* novies Archytae mentionem fecit. Iam si notitias de eius praeceptore Philolao *(De Or.* III 34, 139) et amico Platone (*De rep.* I 10, 16. *De fin.* II 14, 44) nec non de philosophi irati dicto quodam *(Tusc.* IV 36, 78. *De rep.* I 38, 59. *De fin.* V 29, 87) et de eius oratione contra corporis voluptates (*Cato* 12, 39) praeterierimus, restat iudicium de docto homine et plane sapiente *(Tusc.* V 23, 64) et Archytae opinio de hominum commercio iis qui rerum cognitione doctrinaque delectantur necessario *(Lael.* 23, 88): *Verum ergo illud est, quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum nostros senes commemorare audivi ab aliis senibus auditum: „Si quis in caelum ascendisset naturamque mundi et pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore, quae iucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset."* Enuntiationis conditionalis forma ipsa docemur actio-

nem irrealem esse, ita ut Archytas ne mente quidem in caelum ascendisse naturamque mundi et pulchritudinem siderum perspexisse videatur. Ipso tamen exempli delectu studium astronomiae, Pythagoreorum proprium, etiam ab Archyta non alienum fuisse innuitur. Sed in eius fragmentis, quae habemus[1]), nulla astronomiae vestigia deprehenduntur, scholiastae autem opinio ad *c.* I 28 prolata (*hic autem Archytas Pythagoricus fuit, qui merito geometriae peritus, quia Pythagorici omnia numeris constare credunt)* nil nisi figmenta continet. Qua igitur ratione Horatius permotus esse videtur, ut Archytam *maris et terrae numeroque carentis arenae mensorem* celebraret eique caeli siderumque spectatoris gloriam attribueret?

Quam quaestionem Antonius Elter *(Analecta ad historiam litterarum Graecarum [De Archyta Maximo]*, progr. Bonn. 27 Ian. 1899) ita solvere conatus est, ut scriptorum Archytae genuinorum memoria neglecta, famae astronomi notitiam Horatio adscriberet. Eius famae apud Byzantinos vigentis documenta vel Leonis philosophi et Iohannis Geometrae epigrammata in Archytam scripta viro doctissimo sunt nec non epitomatoris Stobaei eclogae eius nomine distinctae. Sed gravissimum Archytae apud Byzantinos memoriae testem a Papadopulo-Kerameus olim indicatum secundum codicem aliquem Lesbium s. XVIII, ipse e codice Ambrosiano D 27 sup. protraxit, scil. Archytam Maximum, cuius quattuor libri Κυκλικῆς θεωρίας μετεώρων de sphaera, de cyclis, de signorum caelestium (τῶν ζῳδίων) ortu et obitu, de motu stellarum errantium tractant. Opusculum, sermone conscriptum inusitato, quem Graeculo Italico tribueris, nomine procul dubio ad Archytae Tarentini exemplum formato propterea inscriptum esse Elter putat, quod fama Archytae astronomi usque ad obscurissima duravisset tempora. — Quae fama si revera iam Horatio nota fuisset, fortasse ad eos versus illustrandos valeret, quibus astronomia Archytae praedicaretur (v. 4 sq.). Sed cum Archytae Maximi patronus nulla fila ostendisset, quibus memoria Byzantina cum Horatii temporibus coniungi posset, auxilium Byzantinum nobis relinquendum videtur.

---

[1]) F. Blass, *De Archytae T. fragmentis mathematicis [Mélanges Graux]*, Parisiis 1884, 573; cf. Zeller, *Philos. d. Griech.* I 1, 292. III 2, 104; E. Wellmann in Pauly-Wiss. *RE* s. Archytas p. 601.

Iam dudum observatum est[1]), quemlibet philosophum a rerum divinarum humanarumque natura perscrutanda non alienum caeli polique peragratorem appellari potuisse. Itaque Lucretius de Epicuro, atomorum inanisque praedicatore, haec scripsit (I 67 sq.):

> processit longe flammantia moenia mundi
> atque omne inmensum peragravit mente animoque;

similibus autem laudibus vim mentis humanae extulit Manilius (I 96 sqq.):

> nec prius imposuit rebus finemque modumque
> quam caelum ascendit ratio...
> attribuitque suas formas, sua nomina signis.

Alio loco (IV 902 sqq.) laudibus ingenii humani iam a Sophocle prolatis (*Antig.* 334 sqq.) haec addidit:

> victorque ad sidera mittit
> sidereos oculos propiusque adspectat Olympum
> inquiritque Iovem.

Sed si unus quisque fere philosophus, rerum naturae indagandae studens, iis laudibus ornari potuit, sunt apud Horatium quaedam, quae nemini nisi astronomo conveniant, scil. *aëriae domus*. Hoc enim nomine sedes in zodiaco singulis planetis assignatas esse, quarum ex ratione mathematici futuras res exquirere studerent, docent eorum doctrinae periti (cf. Fr. Boll. *Sternglaube und Sterndeutung [Aus Natur und Geisteswelt* n. 638], p. 72). Itaque quamvis testimoniis de Archytae astronomia vel astrologia careamus, laudes Horatii v. 4 sqq. prolatae ita nobis accipiendae videntur, ut credamus poetae famam de Archyta astronomo notam fuisse et imaginibus iam ab aliis usitatis *(animoque rotundum percurrisse polum)* expressam.

Archytae sepulcro, Tarenti amatori familiarissimo, philosophi Pythagorei eiusdemque astronomi ossa tegi Horatius non ignoravit. Audivit praeterea vel ipse coniectavit Pythagoreum illum geometriae studuisse. Quo factum est, ut eum terrae mensorem i. e. γεωμέτρην appellaret. Sed quae huic appellationi adiunguntur praedicamenta: *maris et numero carentis arenae mensoris*, recte admirationem nostram movent. Nam θάλατταν μετρεῖν, ἄμμον μετρεῖν inter ἀδύνατα a Graecis po-

[1]) cf. e. g. Orellii-Baiteri-Hirschfelderi (I[4] 1886) vel Kiesslingii-Heinzei (I[6] 1917) adnotationes ad c. I 28, 1 et 5.

nebatur, qui etiam ut terram metiremur (γῆν μετρεῖν) fieri non posse contendebant[1]). Eum qui talia aggrederetur, stultitiam suam denudasse tradunt Aelianus *(Var. hist.* 150, 20) et Zenobius (IV 58). Quae si respicimus, facile intellegimus, quanta irrisio insit verbis Hermiae (Διασυρμὸς τῶν φιλοσόφων) haec contra Pythagoram iactantis (testimonium attulit Heinze ad v. 1): εἰς τὸν αἰθέρα αὐτὸν αὐτὸς ἀνέρχομαι καὶ τὸν πῆχυν παρὰ Πυθαγόρου λαβὼν μετρεῖν ἄρχομαι τὸ πῦρ... ἐπὶ τὸ ὕδωρ στέλλομαι καὶ μετρῶ τὴν ὑγρὴν οὐσίαν... τὴν δὲ γῆν ἅπασαν ἡμέρᾳ μιᾷ περιέρχομαι συλλέγων αὐτῆς τὸν ἀριθμόν. Sed ea cavillatio, aetate inferiore confecta, nisi ad falsas Christianorum de Pythagoreis opiniones illustrandas non valet et a consilio Horatii, qui Archytam summis laudibus extollere voluit, plane aliena est. Non ignoravit ille quidem etiam Romanos *Oceani fluctus numerare* inter ea, quae fieri non possint, haberi et ipse apud Vergilium *(Georg.* II 115 sq.) legit:

> quem (sc. numerum vitium) qui scire velit, Lybici velit aequoris idem
> discere quam multae Zephiro turbentur arenae
> aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
> nosse quot Ionii veniant ad litora fluctus.

Scientia illa ipsi deo reservata est, cuius oraculum legitur apud Herodotum (I 47):

> οἶδα δ'ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης.

Eadem erat opinio antiquorum Hebraeorum pulcherrime ab *Ecclesiastico* (I 1 sq.) hoc modo expressa: *Omnis sapientia a deo est domino, et cum illo fuit semper, et est ante aevum. Arenam maris, et pluviae guttas, et dies saeculi quis dinumeravit? Altitudinem caeli, et latitudinem terrae et profundum abyssi quis dimensus est?*

Sed quamquam antiqui putabant fieri non posse, ut arenae in litore maris numerarentur ipsique deo eam facultatem attribuebant, exstitit homo Graecus, in quo plus erat ingenii, quam videbatur natura humana ferre potuisse (Cic. *Rep.* I 14, 21), qui non solum arenae litoralis, sed etiam eius, si qua totus mundus in cogitatione impleri posset, rationem mathematicam reddidit. Archimedes Syracusanus, auctor libri de numero arenario (Ψαμμίτης), unicus est ex antiquis viris doctis, cui divina illa appellatio *mensoris numero carentis arenae* iure

[1]) Ernst Salzmann, *Sprichwörter und sprichwörtliche Redensarten bei Libanios*, diss. Tübingen 1910, 89.

meritoque debetur. Et cum liber eius a communi opinione de numero arenae non definiendo incipiat: οἴονταί τινες τοῦ ψάμμου τὸν ἀριθμὸν ἄπειρον εἶμεν τῷ πλήθει, nonne in verbis Horatii *(numero carentis arenae)* sententia illa resonare videtur?

Archimedes ob sphaeram a se constructam a Cicerone *(Tusc.* I 25, 63) cum ipso mundi aedificatore caelesti comparatur. Quae sphaera, in templo Virtutis Romae posita (Cic. *Rep.* I 14, 21), cum in numero rerum maxime curiosarum haberetur, etiam ab Horatio non conspici non debuit, qui fortasse etiam, cum Syracusis commoraretur, Archimedis sepulcrum, a Cicerone ad portas Achradinas indagatum *(Tusc.* V 23, 64), visitavit. Tullius cum de sepulcro a se reperto narraret, celeberrimum nomen Archimedis humili homunculo a pulvere excitato opposuit, quae oppositio ut ipso aspectu busti a civibus in urbe paterna neglecti et oblivioni dati excitata est, ita non sine memoria epigrammatum de viris illustrissimis parvo sepulcro inclusis est concepta. Praeter epigramma Simmiae in Sophoclem *(A. P.* XII 21), ab Heinzeo laudatum, conferri possunt epigrammata in Homerum, Alcmana, Themistoclem, alios, quod genus epigrammatum Vergilius ante oculos habuisse videtur, cum descriptionem proelii a duobus apium examinibus commissi non sine parodiae sensu hoc modo clausit *(Georg.* IV 36):

> hi motus animorum atque haec certamina tanta
> pulveris exigui iactu compressa quiescunt,

Archytae sepulcrum, sibi visu notum, cum circumscriptione *pulveris exigui... parva numera* designavit, Horatius Vergilii versum in auribus habuit[1]). At illos motus animorum, qui pulveris exiguo acervo compressi sunt cum describere aggressus esset, neque de Archyta plura cognita habuisset, quam quod philosophus fuisset Pythagoreus geometriae et astronomiae studens, laudes ei attribuit, quae nisi *unico spectatori caeli siderumque* (Liv. XXIV 34, 2), unico arenae mensori non debebantur, sive quod iam a fama populari cum sepulcro Tarentino coniunctae erant, sive quod ipse, ut hominem mentis acie deo parem definiret, eas ab Archimede in Archytam transtulit. Recte igitur Antonius Elter, quotiescunque

[1]) quod iam G. Friedrich, *A. Horatius Flaccus, Philologische Untersuchungen* 1894, p. 35 observavit.

Horatii verba revolvebat, facere non potuit, quin Archimedis Syracusani *Arenarii* meminisset et celeberrimae eius sphaerae; at non recte Byzantino quodam scripto pseudepigrapho ex longinquo petito Horatii fidem comprobabat, cum proprior esset confusio Archytae cum Archimede, sive a volente scienteque, sive ab inscio poeta commissa.

Archytae, celeberrimo maris terraeque et arenae mensori nec non caeli et siderum spectatori moriendum erat, ut alicui humili homunculo, cuius corpus mortuum prope illius sepulcrum ab undis eiectum est. Inter Archytae allocutionem (v. 1) et naufragi praesentationem (v. 22) quattuor commemorantur viri mortui, ut sententia probetur: *omnis una manet nox* (v. 14). Quae mortalis conditionis exempla nunc nobis examinanda sunt.

Atque hoc primum in memoriam revocemus rationem illam cogitandi, qua aliquis moriturus (aut occidendus) diram moriendi necessitatem minus iniquam sibi faciat simili sorte hominum multo praestantiorum respecta, iam Homero familiarem esse. Nam Achilles postquam a matre certior factus est ipsi mox post Hectorem occisum mortem paratam esse, sortem suam animo accipit moderato tranquilloque, cum sciat ne Herculem quidem, Iovi carissimum, mortem effugisse (*Il.* XVIII 117 sqq.):

> οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε κῆρα,
> ὅσπερ φίλτατος ἔσκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι,
> ἀλλά ἑ μοῖρα δάμασσε καὶ ἀργαλέος χόλος Ἥρης·
> ὡς καὶ ἐγών, εἰ δή μοι ὁμοίη μοῖρα τέτυκται,
> κείσομ', ἐπεί κε θάνω.[1])

Idem Achilles in pugna illa riparia cum Lycaone congressus, quem iam semel interfectum ex internis tenebris resurrexisse non sine ludibrio vociferatus est, Dardanidae vitam et captivitatem petenti obiecit (*Il.* XXI 106 sq.):

> ἀλλά, φίλος θάνε καὶ σύ· τίη ὀλοφύρεαι οὕτως;
> κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων

sibique ipsi mortem imminere praedicavit, quamvis et pulcher et magnus esset eximio patre deaque matre natus. Simili cogitandi ratione utitur dea Dione, quae quidem filiam Venerem a Diomede vulneratam ad patientiam cohortatur exemplis alio-

[1]) quod exemplum iam in commentario Orelli-Baiter-Hirschberg affertur ad v. 7: „fundus huius consolationis est Hom. Il. Σ 117".

rum deorum memorandis, qui et ipsi multa ab hominibus pertulissent (382 sqq.):

> Τέτλαθι, τέκνον ἐμόν, καὶ ἀνάσχεο, κηδομένη περ·
> πολλοὶ γὰρ δὴ τλῆμεν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
> ἐξ ἀνδρῶν...
> τλῆ μὲν Ἄρης, ὅτε μιν... δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ...
> τλῆ δ' Ἥρη, ὅτε μιν κρατερὸς παῖς Ἀμφιτρύωνος...
> τλῆ δ' Ἀΐδης ἐν τοῖσι πελώριος ὠκὺν ὀϊστόν...

Quod genus consolationis ita naturae humanae respondet, ut saepius in vita humana adhibitum sit. Plutarchus quidem *(Alex. et Caes. comp.)* narrat Callisthenem, postquam Alexandri voluntatem a se abalienatam esse animadvertisset indeque periculum sibi imminens sensisset, aliquotiens ad se ipsum repetivisse: κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων. Cicero autem *(Ad fam.* VI 4) mortem sibi imminentem non extimuit, cum respiceret viros tam praestantes occidisse, ut impudentia videretur eandem fortunam, si res cogeret, recusare. Quem locum et colorem rhetoricum in epicedia translatum esse observavit iam Heinzeus *(ad v. 7)* Propertiique (III 18, 27) protulit exemplum. Praecipue digna, quae commemorentur, videntur nobis solacia mortis a Lucretio (III 1024 sqq.) allata[1]), qui reges quoque clarosque duces occidisse in memoriam revocat et primo loco Ancum Martium ponit:

> Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
> qui melior multis, quam tu fuit, improbe, rebus.

Secundo loco per rhetoricam periphrasin Xerxes adumbratur, tertio Scipio Africanus laudatur. Sequuntur tria poetarum et philosophorum exempla, scil. Homerus, Democritus, Epicurus, de quo haec legimus:

> Ipse Epicurus obit, decurso lumine vitae,
> qui genus humanum ingenio superavit, et omnis
> restinxit, stellas exortus uti aetherius sol.

Exemplorum series concluditur hac interrogatione:

> tu vero dubitabis et indignabere obire,
> mortua quoi vita est prope iam vivo atque videnti?

Ancus, v. 1025 a Lucretio nominatus, occurrit bis apud Horatium, ut mortalis condicionis exemplum:

> ire tamen restat Numa quo devenit et Ancus *(epist.* I 6, 27);
>
> nos ubi decidimus
> quo pius Aeneas, quo Tullus dives et Ancus,
> pulvis et umbra sumus (*c.* IV 7, 15).

[1]) non animadversa a C. Brakmano, *Horatiana*, Mnem. 1921, 209 sqq.

Cetera clarorum mortuorum exempla apud Horatium Graeca sunt:

abstulit clarum cita mors Achillem,
longa Tithonum minuit senectus (*c.* II 16, 29);

...Quid ultra tendis?... Aequa tellus
pauperi recluditur
regumque pueris, nec satelles Orci
callidum Promethea
revexit auro captus; hic superbum
Tantalum atque Tantali
genus coërcet (*c.* II 18, 34).

Egens benignae Tantalus semper dapis (epod. 17, 66) citatur una cum Prometheo et Sisypho inter condemnatos, unaque cum Prometheo et Orione dicitur dulci sono Sapphonis et Alcaei decipere laborem aeternum (*c.* II 13, 37). Ceterum ut avari imago proponitur (*Sat.* I 1, 68) Tantalus, qui *a labris sitiens fugientia captat — flumina.*

Ab hoc poenae aeternae exemplo plane differt *c.* I 28 *Pelopis genitor* (i. e. Tantalus) post Archytam nominatus, quem occidisse Horatius narrat, quamvis esset *conviva deorum*, i. e. quamvis epulis supremi Iovis adhibitus esset, ut Pindarus *(Ol.* I 54 sqq.) cecinit, qui etiam ad facinus nefarium ab eo commissum allusit, scil. ad nectaris atque ambrosiae furtum *(Ol.* I 61 sqq.):

ἀθανάτων... κλέψαις
ἁλίκεσσι συμπόταις
νέκταρ ἀμβροσίαν τε
δῶκεν, ὅτῳ ἄφθιτον
θῆκαν.

Quae si respicimus, *convivam deorum* Horatianum morte carere debere opinamur, utpote qui nectare ambrosiaque vesceretur, immortalitatis medicamentis; at etiam ambrosiae manducatorem mortuum esse comperimus.

Ex inferis reditum nullum patere ut probaret, Alcaeus *(Anth. lyr.* fg. 73 D.) Sisyphum nominavit, virum sollertissimum, cui semel ex Orco evadere contigerit; nihilo minus poena Iovis eum affectum esse:

καί γὰρ Σείσυφος Αἰολίδαις βασίλευς [ἔφα]
ἀνδρῶν πλεῖστα νοησάμενος [θάνατον φύγην].
ἀλλὰ καὶ πολυδρις ἔων ὑπὰ κᾶρι [δὶς]
[ὑν]νάεντ' Ἀχέροντ' ἐπέρασε...

Quod exemplum propterea attulimus, ut ostenderemus ipsam damnationem regum impiorum non semper in discrimen vocari.

Ut Alcaeo sollertissimus Sisyphus nisi reditus ex inferis denegati testis non est, ita Horatio Tantalus ambrosia nutritus solam inutilitatem cibi caelestis probat. Enuntiati forma *(Occidit et Pelopis genitor...)* pervulgatissimus ille versus Homeri in memoriam revocatur: κάτθανε καὶ Πάτροκλος...

Ut Homerus (*E* 382 sqq.) tria exempla, Lucretius autem (III 1024 sqq.) bis trina adhibuit, ita Horatius praeter Tantalum Tithonum quoque laudat et Minoa. Alterum quidem etiam *c.* II 16, 30 commemoratum invenimus, utpote quem senium consumpserit (*longa Tithonum minuit senectus*); at *c.* I 28 Tithonus occidisse dicitur *remotus in auras* i. e. quamvis in auras remotus esset, scil. ab uxore Aurora. Commentatores recte Statii (*Silv.* I 2, 44) verba in memoriam revocant, quae sunt:

> nec si dea alma per auras
> te potius prensum veheret Tithonia biga.

Similiter apud Horatium Tithonus ab Aurora prensus vectus est in caelum, ubi dea domum habuit nec non cubile, cuius particeps factus est Laomedontis filius. Fortunae eius admonebantur antiqui vel illo versu Homeri: (Λ1):

> Ἠὼς δ' ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο ὄρνυθ'...

quem imitatus est Vergilius, e. g. *Aen.* IV 447:

> et iam prima novo spargebat lumina terris
> *Tithoni croceum linquens Aurora cubile.*

Et ea quidem divini lecti societas, id matrimonium hominis cum dea ab Horatio extolli videtur, quo quidem maritus a morte non sit servatus, ut ne Tantalus quidem ipse communione mensae deorum. Pro Tithono quilibet maritus seu amasius deae nominari potuit, e. g. Endymion, qui una cum Tithono laudatur a scholiasta ad *Od.* V 1: ὁ Ἐνδυμίων λέγεται συνευνάσθαι τῇ Σελήνῃ καὶ ὁ Τιθωνὸς τῇ Ἡμέρᾳ (leg. Ἠοῖ). Aptissimus esset Veneris amasius Anchises cuius filius una cum Tullo et Anco ut Orci incola nominatus est *c.* IV 7, 15. Sed cum solos Graecos cum Graeco Archyta poeta coniunxisset, Troiano, nullus inter eos locus relictus est.

Tantalo mensa deorum, Tithono lectus deae, Minoi, qui tertius post illos nominatur, familiaritas cum ipso Iove inutilis fuisse dicitur, qui quamvis Iovis arcanis admissus esset, tamen occidit, i. e. vitam in terra amisit. Homerus quidem (λ 568 sqq.)

eum apud inferos ius mortuis dicentem ostendit, i. e. idem negotium, quod vivi proprium erat, post mortem exercentem; sed ea vita postuma non multi pretii ipsi Homero videtur, si cum vera vita comparetur. Itaque quamquam Horatius quoque alio loco (*c.* IV 7, 21) Minoa de mortuis arbitria facientem cecinit, nunc tantummodo de vita defuncto loquitur, cui nihil profuerit admissio arcanis Iovis, expressa ex Homeri τ 178 ἐννέωρος... Διὸς μεγάλου ὀαριστής.

Catalogus mortuorum Horatianus cum Lucretiano illo comparatus nullo alio supplemento egere videtur, cum post philosophum ingeniosissimum, cuius laudes laudibus Epicuri Lucretiani respondent, tres reges fabulosi enumerati essent, quos ne ambrosia quidem vel matrimonium cum dea vel familiaritas cum Iove a morte servaverit. Tria exempla fabulosa artius inter se coniuncta sunt praedicato communi: *occidit* semel praemisso. Explent ea quidem tres versus, cum exemplum historicum sex versibus contineatur. Qui numeri respondent ipsorum argumentorum gravitati. Cum enim exempla fabulosa, formula Homerica *occidit et* introducta, quasi communis essent materia, Archytae verum sepulcrum naufrago obvium, quasi stimulus factus est, quo turba cogitationum de morte communi excitata est. Ita trias a traditione litterarum profecta est; Archytae exemplum vitae debetur.

Sed cum iam trias fabulosa exemplo vero aucta esset, ne examen aequum turbaretur, prologo Archyteo epilogus quidam opponendus erat. Itaque discipulo magistrum addidit Horatius, Archytae Pythagoram, qui ut Alcaei Sisyphus supra nominatus, semel ab inferis evasit et iterum demum Orco demissus ibi mansit. Panthoi filii, i. e. Euphorbi mentio, quem a Menelao interfectum esse Homerus (Il. P 45 sq.) narrat, recte a commentatoribus explicata est scholio T ad P 28, ubi de Pythagora in templo Iunonis Argivae scutum dicante legitur, quod scutum ipsius testimonio idem fuerit ac quod etiamtum Euphorbi corpore indutus in pugna cum Menelao gessisset. Scholiastae verbis: στρέψαντας δὲ Ἀργείους τὴν ἀσπίδα ἰδεῖν ἐπίγραμμα Εὐφόρβου docemur Horatium cum de clipeo refixo et Troiana tempora testante scriberet, eandem traditionem secutum esse (Orelli-Baiter-Hirschberger ad v. 10 sq.). Auxit eam tamen commemoratione doctrinae Pythagoricae de reincarnationae (iam *epod.* 15, 20 adumbratae: *nec te Pythagorae*

fallent arcana renati), cui Pythagoras confisus se morti nihil nisi nervos et cutem, i. e. corpus, debere professus est. Quae confidentia tamen nihil ei profuit, quamquam ipso Archyta iudice *non sordidus* (i. e. haud spernendus) esset auctor *naturae verique.*

Archytae testimonio (*iudice te*) reducimur a Pythagora ad ingeniosum Pythagoreum, a cuius sepulcro omnis mortuorum catalogus pendet. Si observaverimus Pythagorae imaginem sex versibus effectam esse eodem modo atque Archytae simulacrum, compositionem pari momento libratam esse mirabimur.

Apud Lucretium exempla condicionis mortalis a natura personata proferuntur, quae primum mortis timorem carpit, tum mortem communem esse omnibus probat, denique Orcum esse nullum contendit. Si igitur Horatius famam de Tantalo apud inferos in aeternum fame et siti excruciato nec non de Minoe, mortuorum iudice, oppressit, doctrina Lucretii, immo Epicuri, ductus esse videtur, ut crederet et praedicaret animam simul cum corpore interire. Quod a Lucretio exemplis praemissum est inde ab initio libri III, idem ab Horatio in calce enumerationis ponitur, scil. conclusio: *omnis una manet nox.* Cui conclusioni adiungitur sententia: *et calcanda semel via leti* propter Pythagoram *iterum Orco demissum.* Ne tamen credas viam leti unam esse omnibus, mox addidit alios in pugna perire, alios in mari, neque ullum discrimen esse inter senes et iuvenes domi morientes. Qui color adeo ei placuit, ut eum bis repetere non dubitavit, *c.* II 13, 13 et II 14, 9.

Tales et similes sententiae res sunt communis, quae a poetis qualibet apta occasione data adhibetur. At si perpenderimus ab Horatii satyris, epodis, carminum libro I (praeter *c.* 28) mortis cogitationem alienam esse[1]) et libro demum II crebriorem fieri, necesse est credamus aliquid Horatio accidisse, quo mens eius percussa in mortem intenta esset. Nam eiusmodi animi commotiones multum in vita eius valuisse, vel e *c.* I 34 scimus, in quo fulmen per sudum demissum religiosum terrorem sibi incussisse dicit, ita ut Epicuri de diis sententiam olim sibi probatam respueret. Divinam autem providentiam expertus est, cum in agro suo Sabino arbore in se cadente paene obrutus periculum mortis effugit, quam mirabilem salutem *c.* II 13, vere a. 30 composito, celebravit, eaque occasione multa

[1]) cf. K. Elebaers, *De Doodsgedachte in de Ode van Hor.*, Nova et Vetera, 1921, 169 sqq; U. Galdi, *Il sentimento della morte nella poesia di Orazio*, 1917.

de morte improvisa philosophatus est. Eiusdem casus ter postea mentionem facit, scil. *c.* II 17, 27, pleno cogitationum de morte, *c.* III 8, 8 (anni 28), III 4, 27 (a. 27). Ultimo carmine etiam alia tria pericula commemorat, a quibus Camenarum gratia servatus est:

> Vestris amicum fontibus et choris
> non me Philippis versa acies retro
> devota non extinxit arbos
> nec Sicula Palinurus in unda.

Periculum Philippense, etiam *c.* II 7, 9 commemoratum, pertinet ad a. 42; periculum Sabinum non longe a vere a. 30 abest, quo *c.* II 13 compositum est. Periculum marinum, quod a poeta cum promunturio Lucaniae Palinuro coniungitur, ad iter quoddam post a. 30 e Sicilia Ostiam susceptum spectare videtur. Scholiasta quidem affirmat Horatium de Macedonia redeuntem prope Palinurum periclitatum esse, sed id periculi tempus et occasio non accuratae vitae poetae notitiae, sed temerariae coniecturae deberi videtur, quae Philipporum mentione praecedente innititur. A quo periculo Siculo, immo Palinuriensi, periculum Tarentinum propter ipsum locum plane diversum est.

Sed quaeret aliquis: unde scimus naufragum *c.* I 28 ipsum poetam esse? Carminis compositio ex aliqua parte ad *c.* I 1 vel I 7 proxime accedit. Hic legimus: *sunt quos.., hunc... illum* etc. *...me doctarum hederae* etc.; *laudabunt alii... sunt quibus... plurimus... me nec iam* etc. In libro carminum, cum nomine Q. Horatii Flacci edito, pronomine personali primae personae solus ipse poeta designatur nisi verbis expressis alius personae oratio inducta est. *C.* I 28 prima persona (*me quoque... Notus obruit undis*) in numero hominum ponitur, qui aliis datis occasionibus morte correpti sunt:

> dant alios Furiae torvo spectacula Marti,
> exitio est avidum mare nautis...

Nautae hoc loco homines sunt, qui navigationem profitentur, cum naufragus v. 21 prodiens necessitate quadam coactus iter per mare ingressus sit. Sed milites et nautae (*Sat.* I 1, 6 et *c.* I 1, 15 mercatores pro nautis ponuntur) nisi exempla necessitatis communis mortis non sunt, cum mox (v. 19 sq.) mixta senum ac iuvenum funera commemorentur cum hac conclusione: *nullum saeva caput Proserpina fugit.* Simili sententia (*omnis una manet nox*) conclusa est enumeratio virorum illustrium (Archytas; Tantalus, Tithonus, Minos; Pythagoras), quos

propriae virtutes vel deorum favor a morte non servaverunt. Cuius partis compositionem (6+3+6:2) cum iam supra exposuerimus, hic addimus etiam exemplorum generalium numerum quaternarium esse: milites, nautae, senes, iuvenes. Quem numerum explicandae sententiae v. 15 sq. inservire manifestum est ita, ut dubitari nequeat, v. 15—20 transitionem effici ab exemplis consolationis ad ipsum naufragum sese consolantem.

Qui cum a sepulcro Archytae in litore Tarentino conspicuo ad nautam (vel mercatorem) quendam se convertit, cuius navem proxime in conspectu habuit, eumque obtestatur de iustis corpori suo impertiendis, morem sequitur naufragorum in epigrammatis (*A. P.* VII 263—291) loquentium. Ad eius orationis habitum illustrandum sufficit epigramma Iuliani Aegyptii, a commentatoribus (Orelli-Baiter-Hirschberger ad v. 23) laudatum:

Πλώεις ναυηγόν με λαβὼν καὶ σήματι χώσας;
πλῶθι Μαλειάων ἄκρα φολασσόμενος·
αἰεὶ δ' εὐπλοίην μεθέποις, φίλος· ἦν δέ τι ῥέξῃ
ἄλλο Τύχη, τοίων ἀντιάσαις χαρίτων.

Horatius ut nautae misericordi gratias reddat imprecatur a diis, ut procellae incolumem eius navem sinant eradicentque tantum arbores prope poetae patriam Venusinam, scil. in monte Gargano, qua re ut praemium misericordiae quodammodo partem patrimonii concedit. In his quidem bonis ominibus et Iovis Neptunique Tarentini sonanti invocatione carmen optime exire posset. Sed poeta, ut exordio (v. 1—14½) par exitum conformaret, bonis ominibus (v. 25—29) imprecationem addidit quinque versibus expressam, ita ut tota allocutio nautae (v. 23—36) plane 14 versus expleret, qui est etiam numerus versuum exordii. Pars media, quae retinaculi vice fungitur, est octo versuum (v. 15—22).

Imprecationis argumentum cum non tam e cordis abundantia quam ex artificis officina petitum sit, pannos hic inde adsutos ostendit. Atque primum notum est eum, qui corpus, in quod incidisset, sepulturae non tradidisset, ἄγει obstrictum esse (schol. Soph. *Antig.* 255 a Heinzeo adlatum) deorumque iram adeo in se provocasse, ut et ad posteros eius pertingeret. Quae antiquorum opinio a commentatoribus versibus Homeri λ 72 sq. et Theognidis *Eleg.* 203 sqq. (cf. 735) illustratur. Horatius poenam a posteris luendam noxae a nauta negligenti repetendae

praemisit, quasi imagine sortis filiorum nautae, in mari naufragorum et sepultura carentium, eius cor emollire studeret. Itaque interrogavit eum: Neglegis te committere fraudem nociturам postmodo immeritis natis, i. e. non curas fraudando me sepultura te similem sortem natis tuis parare? Cum qua comminatione poenae remotae coniungitur denuntiatio proximae talionis: te ipsum manent *debita iura* (i. e. *iura quae tibi debentur*, Heinze) et *vices superbae*, i. e. talio nullas preces prae superbia audiens. Itaque ipsi nautae naufragium sine sepultura promittitur cum hac confirmatione: *precibus non linquar inultis*, i. e. imprecationes meae non remanebunt vanae, immo iniuriam meam ulciscentur, nimirum eo tempore, quo tu procella in mari iactatus manibus meis offensis piacula quaedam offeres, quibus ultionem ac poenam avertere studebis. Tum enim piacula tua tuaeque preces a meis imprecationibus nunc factis comminuentur atque exstinguentur. Eius sortis respectu habito nautam etiam festinantem breviter morari pulveremque cadaveri congerere oportet.

Imprecationis decursus quamquam hoc modo optime explicari potest, tamen ipsa transitio a futura sorte puerorum ad ipsius nautae poenam satis insolens est. Efficitur enim coniunctione, quae in codicibus ita traditur: *fors et, forset, forsit, forsan*. Debilitatio sensus vel dubitatio cum hoc loco plane exclusa sit, nonnulli in hac explicatione Handii-Tursellini (II p. 711) acquieverunt: „Notanda est singularis poetarum formula: *fors et* pro *fortasse etiam*, qua progreditur oratio ad rem opinione conceptam, sed gravitate et magnitudine ampliorem". Qua explicatione reiecta O. Keller (*Epilegomena zu Horaz* p. 101) *fors et* pro *forte* vel *fortis siet* positum esse contendit et ad Verg. *Aen.* XI 50:

> et nunc ille quidem spe multum captus inani
> fors et vota facit cumulatque altaria donis

et Propertium II 9, 1:

> Ipse quod est, ego saepe fui, sed fors et in hora
> hoc ipso eiecto carior alter erit

legentes relegavit, mox etiam Statii *Silv.* III 4, 4 addidit. Heinzeus (ad v. 3) iisdem exemplis respectis — nisi quod *Aen.* II 139 addidit:

nec mihi patriam antiquam spes ulla videndi
nec duplicis natos exoptatumque parentem
quos illi fors et poenas... reposcent —

coniunctioni manifestam antiquitatis notam inesse declaravit eique, ut Handius, sensus adiectionem quandam ascensumque attribuit. At Orellius-Baiter gradationem nostro loco exprimi et transitum fieri ad rem graviorem negant nihilque restare putant nisi ut Fors notione Τύχης sumatur: *Fors et debita iura vicesque superbae te maneant* (optat.). Quamquam tamen interpretationi suae Kelleri (*Epileg.* p. 100) observationem non obstare putant, qua *et* extremo versus loco nisi post elisionem tribus prioribus carminum libris non admittitur, tamen ipsi fidem ei observationi nullis argumentis detraxerunt. Et cum fautoribus lectionis *forset* prius obiecerint hoc loco nullam gradationem esse, tamen Forte inducta scripserunt: „A minore igitur ad maius et gravius apte ascenditur". Quid minus est quidve maius? Utrum Fors debitis iuribus minor est, haec vero vicibus superbis? an natorum immerentium poena minor ipsius patris noxa? Si gradatio quaerenda est, observandum est punitionem liberorum, quamquam tempore posterior sit, a poeta primo loco nominatam esse, utpote quae patrem liberorum amantem magis percutiat, quam sui ipsius infortunium. At cum futura minus absoluta minusque inexorabilia hominibus appareant, quam quae proxime instant, gradatio fiet, si adverbio *postmodo* (insuper etiam *Sat.* II 6, 27 adhibito, ut L. Müller observavit) opponetur aliud, quo proximum tempus designabitur. Quam oppositionem facile assequemur, si pro tradito *fors et* scribemus *mox et*. Cuius coniecturae *et* ultimo versus loco positum quamquam *c.* III 11, 5 (*nec loquax o l i m neque grata, n u n c et)* quodammodo commendari potest, tamen cum contra observationem Kelleri peccet de *et* ultimo versus loco nisi post elisionem hoc libro non ponendo, ipsum autem adverbium *mox* (ceterum ab Horatio saepius usitatum) a traditarum litterarum ductu (*f* : *m*) nimium recedat, vix fautores inveniet. Itaque eis, quae adhuc a viris doctis cruce ante *fors et* posita prolata sunt, explicationibus minime contenti (nam exemplis ab iis prolatis Handii observatio minime firmatur) alienam expectamus loci corrupti medelam. Ipsi ad totius carminis consilium enucleandum properamus.

Iam si ea, quae adhuc a nobis disputata sunt, paucis verbis comprehendimus, Horatium naufragio prope Tarentum facto percussum de morte imminenti cogitavisse et sepulcri Archytae aspectu commotum exemplis in consolationibus usitatis de morte irrevocabili se consolatum esse, vix est, cur negemus. Ex quo periculo cum deorum gratia servatus esset, potuit quidem Musis gratias agere, ut postea *c.* III 4, aut periculum suum animo hilari enarrare, ut occursum lupi (*c.* I 22) vel casum arboris (*c.* II 13). Hoc quidem carmine tam vulgaris occasio ansam ei dedit ad casus inopinatos describendos et ad phantasiam descensus Elysii depingendam:

> Quam paene furvae regna Proserpinae
> et iudicantem vidimus Aeacum,
> sedisque discretas piorum...

At periculum illud marinum gravius erat quam utrumque Sabinum. Neque hoc obliviscendum est poetam, quem lupus immanis fugerit, confisum esse virum bonum innocentia ubique tutum esse; arboris autem exsecratorem animum immortalem esse credidisse et praemia poeseos in Elysio expectavisse. Plane diversum est naufragi in *c.* I 28 iudicium. Is enim pro certo habet neque ingenio (ut Archytas, Pythagoras) neque deorum gratia homines a morte servari posse et in numero eorum, qui ita „occiderunt", ut plane evanescerent, eos ponit, qui vulgo inter notissimos regni Plutonis incolas habebantur: iudicem Minoa et Tantalum aeternis suppliciis damnatum. Quid quod etiam Tithonum ex Aurorae cubili in nihilum detraxit? Catalogum mortuorum *c.* I 28 cum simili consolatione Lucretii quodammodo cohaerere supra monuimus. Itaque nihil restat quam ut putemus naufragum Tarentinum *insanientis sapientiae consultum* etiam tum erravisse, quam postea tonitru caelo sereno audito repudiaverit (*c.* I 34). Homo qui cum morte omnia finiri credidit, procella correptus in eadem philosophia Epicurea quaerebat consolationem, qua de animae interitu edoctus est.

Si idem sepulturae curam prodidit, deorumque iram nautae neglegenti minatus est, in hac re non ipsius persuasione, sed traditione quadam litteraria ductus esse videtur. Sensibus enim, quos naufragio correptus conceperat, cum quaereret formam, in epigrammata naufragorum incidit, quibus preces de cadavere sepeliendo et exsecrationes, si sepultura negaretur, expressas esse vidimus. Sed si eam traditionem

epigrammatum omittimus, qua quidem poeta commotus est, ut naufragi mortui personam induceret, in cetero carmine confessionem eorum habemus, quae ipse procella correptus expertus est. Si vero minime perturbamur imagine poetae in cygnum conversi et supra terram evolantis (*c.* II 20), non est cur eiusdem imagine naufragi mortui offendamur. Otto Keller (*Epileg.* p. 96) affirmat eadem ratione conceptam esse Tibulli *Eleg.* I 3. At Tibullus nondum mortuus ibi prodit Mortemque ut avidas manus a se abstineat precatur. Similior est ratio Quintiliani *declamationis corporis proiecti*, ab eodem Kellero excitatae. Sed magis valent analogiae a poetis petitae[1]). En unum exemplum a celeberrimo Polonorum poeta, Stanislao Wyspiański desumptum. Qui cum mense Augusto a. 1904 Aquis Hallensibus (Bad-Hall) morbo curationem adhiberet, de valetudine ab amico per litteras interrogatus, carmen respondens scripsit, quo animo laeto atque alacri commemorato, inopinanter se ipsum interrogat: „Quid? cadaver in feretro?" respondetque: „Ipsum corpus hic iacet, sed animus, ut columna ignea... Iam plumis superfluis exsolvor, iam sphaeram libertatis ingredior, iam audio chorum stellarum, iam audio campanas ad altum caelum sonantes. Cadaver meum iam dudum sepultum est, animus plenum portat manipulum." Et tamquam nunc demum animadvertisset duplicem suam naturam, denuo se ipsum interrogat: „Ah, uter vivus sim: an is qui in altum evolat, an is, qui felix mortuus est cruce in manibus compressa..." Haec sufficere videntur, ut demonstretur poetis imaginem corporis ipsorum mortuorum iacentis, quod ipse animus spectet et de quo loquatur, familiarem esse. Itaque quod iam epigrammatum de naufragis exemplo explicatum est, etiam ratione psychologica, quae dicitur, commendatur.

De tempore, quo Horatius naufragium Tarentinum perpessus sit, si quaerimus, praeter animum Epicureum, quo mortis consolatio infecta est, respiciendae sunt Georgii Pasqualii (*Orazio lirico* p. 712) observationes de compositione metrica et genere dicendi antiquissimorum Horatii carminum propriis. Doctissimus Italus I 28 carminibus I 4 (*Solvitur acris hiems*) et I 7 (*Laudabunt alii*) simillimum esse contendit, quae quidem

[1]) G. Friedrich, *Horatius Flaccus. Philologiche Untersuchungen* 1894, 31 adn. relegat lectorem ad Heinei carmen ultimum ad Muscam *(An die Mouche)*, in quo poeta cadaver suum in arca spectat, cf. etiam Adami Mickiewicz carmen: „Gdy tu mój trup wpośrodku was zasiada..."

inter antiquissima ab eo numerantur, sed non vult iudicium ferre de carmine, quod a se non plane intellegi confitetur (p. 714 *ma non mi sento giudicare di un carme che non intendo appieno*). Cuius epochae Academicae seu retentionis iudicii si causas quaesieris, haud errabis, si explicationum mole, quasi maris arena carmen I 28 ita obrutum esse putabis, ut etiam Heinzeus (p. 141 *auch erschwert es das Verständnis, dass etc.*) de difficultate intellegendi conqueratur. Quam opinionem de obscuritate carminis praesumptam esse (ut eam, qua ducti multi viri docti dialogi forma carmen compositum esse demonstrare studebant) eis, quae adhuc exposuimus, satis nos probavisse putamus.

Sunt tamen, qui ipsa adnumeratione carminis inter iuvenilia non contenti periculum marinum propius definire studeant. Itaque Orellius (*Q. Horatius Flaccus* I ad *c.* I 28) eorum sententiam amplectitur, qui (ut Gesner, Hottinger, Weiske apud Düntzer, *Kritik und Erklärung des Horaz* 1840, 60) *c.* I 28 ad naufragium spectare putaverunt, quo Horatius ex proelio Philippensi Italiam repetens paene absumptus est (v. *c.* III 4, 28). O. Keller (*Epileg.* p. 96: „Die Ode ist vielmehr eine Phantasie des Horaz, vielleicht aus Anlass einer in den sizilischen Gewässern überstandenen Lebensgefahr, vgl. carm. III 4, 28 und II 6, 7") cautius scripsit carmine I 28 phantasiam Horatii contineri forsitan periculo in mari Siculo subito incitatam. At naufragium prope Palinurum Lucanium factum cum naufragio Tarentino, i. e. Calabrico, nullo modo cohaerere posse iam supra docuimus. Cum autem litus Matinum a Porphyrione iam in Apulia iam in Calabria commemoretur, Theodorus Birtius (*Horaz' Lieder, Studien zur Kritik und Auslegung* 1925, II 127), ut locorum diversitatem explicet, opinatur „mortuum" in mari Illyrico et Adriatico naufragio facto in trabe navali vel in scapha saluti consuluisse, dum ad meridiem pulsus mortem occumberet et prope montem Matinum (in Apulia sive in Calabria) in litus eiectus esset... Quae opinio non magis aestimanda videtur, quam ea (*ibd.* p. 126), qua Horatius *c.* I 14 (*O navis referent*) navigationem propriam in animo habere contenditur in mari Siculo factam, qua suscepta prope oram Lucanicam naufragio facto eadem nave versus Cycladas cursum direxerit, ut Athenas assequeretur. Quod iter Atheniense post

casum arboris *c.* II 13 celebratum, factum esse *c.* III 4, 28 nos edoceri, si eius carminis pericula temporum ordine enumerata sint...

Novimus quidem proverbium vernaculum: *Omnes vias ducere Romam*, sed de Athenis vel Tarento nihil tale audivimus. Itaque in ipsa citatione artificiosae sententiae Birtianae acquiescentes repetimus duo litora Matina in Italia distinguenda esse, alterum Apulicum, alterum Calabricum, et prope hoc quidem Horaitum in mari periclitantem aspectu sepulcri Archytae Tarentini solatium mortis aliquando quaesivisse.

G. Friedrich (p. 32 sq.) ab Orione, v. 21 commemorato, ansam arripit, ut quaerat, quo anno Horatius mense Novembri (hoc enim mense ineunte Orion occidit) periculo naufragii obiectus sit. Quid esset *ater Hadriae... sinus*, sibi notum esse, scil. quando occidat *pronus Orion*, ipse poeta *c.* III 27, 17 sq. declaravit. Quam experientiam non post pugnam Actiacam eum comparavisse, cum Maecenatem in Italiam comitatus sit, ex eo elucet, quod autumno a. 31, quo *Sat.* II 6 composuit, iam Romae commoratus est. Neque de mense Novembri a. 42, quo proelium Philippense factum est, Friedrichius cogitare vult, cum reputat, pessimum tempus a poeta tum ad reditum vix electum esse neque periculi eo tempore habiti memoriam usque ad posteriora tempora viguisse. Verbis denique *c.* II 6 *sit modus lasso maris et viarum militiaeque* exigi tempus periculi marini non longe ante a. 30 cadens. Quod tempus a Friedrichio e memoria Dionis Cassii (L 11) definitur, qui quidem narrat Octavianum iam hieme a. 32/1 castra Antonii apud Actium aggredi in animo habuisse et usque ad Corcyram cum navibus processisse, sed procellis obrutum in Italiam non sine molestiis redisse... Post eam hiemem mox a Dione ver commemoratur. Et hac quidem re prohibemur, quominus de initio hiemis mense Novembri imminentis cogitemus. Accedit quod Horatii praesentia in ea expeditione hiemali nullo argumento probari potest. Quam etiam si concesserimus, classem Octaviani Brundisium redeuntem ad Tarentum non appulisse vix est cur repetamus. Itaque reliqua Friedrichii argumentatione omissa nisi ultima eius verba non probamus carmen I 28 ad priora Horatii tempora referendum esse. Nos quidem praeterea alia quoque ex eo enodare studuimus, scil. notitiam casus cuiusdam vitae poetae, quo perculsus de morte proxima

cogitavit ad eamque subeundam Epicuri doctrina se praeparavit. Igitur testimonium c. I 28 recte intellecti iis addendum est, quae H. K. Beck (Das Verhältniss des Horaz zum Epikureismus in historischer Entwickelung, diss. Erlangen 1921) aliunde collegit. Epicureus quo modo alio casu, nimirum fulmine per sudum demisso perterritus, meliorem de diis eorumque providentia opinionem conceperit, ipse poeta *c.* I 34 (*Parcus deorum cultor*) postea narravit.

ARCHIMEDES, DE SPHAER. ET CYL. I. 11.

De sph. et cyl. I. 11 (ed. Heiberg[2] I p. 42 v.) legimus: κοινὰ ἀφῃρήσθω τὰ ΑΕΒ, ΓΖΔ τρίγωνα subtrahantur, qui communes sunt, trianguli ΑΕΒ, ΓΖΔ. Codex *A* ἀφαιρήσθω, codices *B* et *G* ἀφαιρείσθω exhibent. Codicum lectionem Torellius immutavit, quem editor doctissimus est secutus. Et re vera hoc loco forma actionis perfectivae desideratur. Sed Archimedes permultis locis formam imperfectivam pro perfectiva posuit. Exempla e libello eodem, de quo agitur, laudabo. *De sph. et cyl.* I *Praefat.* (Heib. I 2, 13) τῇ εὐθείᾳ τῇ ἀπὸ τῆς κορυφῆς ...ἀγομένῃ ἐπὶ τὴν περιφέρειαν,.. *rectae a vertice... ad ambitum... ductae; ibd.* 24, 6 τὴν ἀπὸ τῆς κορυφῆς... κάθετον ἀγομένην *a vertice... perpendicularem ductam;* idem 74, 18; 252, 27; 272, 5; 330, 1. Interdum eadem vi et notione part. pf. pass. positum est (cf. indicem I tertio volumini adiectum). *Ibd.* 4, 15 ὤφειλε μὲν οὖν Κόνωνος ἔτι ζῶντος ἐκδίδοσθαι ταῦτα certe Conone vivo haec edenda fuerunt. *Ibd.* 12, 26 ...ὅπως ἡ τοῦ περιγραφομένου πολυγώνου πλευρὰ... λόγον ἔχῃ... *ut latus polygoni circumscripti... habeat rationem...;* idem 14, 23 πολυγώνου... πλευρὰ τοῦ περιγραφομένου περὶ τὸν κύκλον latus *polygoni circa circulum circumscripti* (saepe cadem vi et notione περιγεγραμμένον positum est, cf. indicem I tertio volumini adiectum). *Ibd.* 14, 3 λέγω οὖν, ὅτι δυνατόν ἐστι ποιεῖν τὸ ἐπίταγμα *dico igitur propositum confici, ad finem adduci posse. Ibd.* 70, 11 ἔστω κῶνος... καὶ τετμήσθω παραλλήλῳ ἐπιπέδῳ... καὶ ποιείτω τομὴν... *et efficiat sectionem.* Similiter 138, 16 sq ἔστω... σφαῖρα καὶ ἐν αὐτῇ μέγιστος κύκλος καὶ τμῆμα... καὶ περιενεχθεῖσα ἡ σφαῖρα ποιείτω σχῆμα... *efficiat figuram.* Similes loci, quibus forma imperfectiva pro perfectiva posita est, plurimi occurrunt. Quae cum ita sint, nulla subest causa, cur lectio tradita mutetur.

M. A.

DE DUODESEPTUAGESIMO CARMINE CATULLI II

scripsit
LUDOVICUS JUS

V. De Allii et Catulli domiciliis.

Saepenumero in superioribus dissertationis partibus attigimus quaestionem, ubinam Catullus et Allius essent commorati tum, cum carmen est scriptum. Ad Catulli quidem domicilium haec carminis verba spectare videntur (v. 27 sq.):

> Quare quod scribis Veronae turpe Catullo[1])
> Esse, quod hic quisquis de meliore nota
> Frigida deserto tepefactet[2]) membra cubili,
> Id, Mani, non est turpe, magis miserum est.

His versibus quattuor nituntur interpretationes, quarum prima vocibus *quod scribis* magnum tribuit pondus; *scribis* enim denotare videtur ipsa Allii verba hic allata a Catullo. Quare docti hanc secuti sententiam Allii verba ita restituunt: *Turpe [est], Catulle, Veronae esse, quod hic quisquis de meliore nota Frigida... tepefactat membra cubili.* Quod si verum est, profecto *hic* Allii domicilium — Romam, *quisquis de meliore nota* — Lesbiam, *deserto... cubili* — lectum a Catullo desertum significat. Denuo igitur ad Lesbiae perfidiam a Vahlenio fictam pervenimus (Eos XXX 1927, 90). At sententiae huius error principalis facile deprehenditur: *desertum* hic esse adiectivum, non part. perf. pass. comprobatur eo, quod is qui deseruit non nominatur. Simillime legimus LXIV 133 et 187, LXVI 21 et hoc in carmine v. 50 (cf. Kalb p. 21). Quare cum *desertus* idem dicat ac *vacuus, solus,* voces *a Catullo* non sunt subintellegendae neque est coniciendum Lesbiam, verecundam heram (v. 136), iam tum mulierem fuisse quadrantariam (cf. Kroll p. 223). Sed et aliud afferri potest argumentum. In Catulli enim responsis nullam indignationem legimus propter amasiae impudentiam, sed haec mitissima verba:

> Id, Mani, non est turpe, magis miserum est.

Iam secundam interpretationem plurimi amplectuntur ut Haupt (p. 247), Weise A. (Progr. 1869, 10 et 14), Schöll *(Zu*

---

[1]) In codicibus O G M legitur voc. *Catulle.* — Ceterum librorum indicumque compendia videsis Eos XXX 1927, 80 adn. 1.

[2]) In codicibus indicativus legitur *tepefacit, tepefactat, tepefecit* (v. Lafaye p. 76 adnot. cr.).

Catull, Fleck. Jahrb. 1880, 471), Magnus (*Z. f. d. G. W.* 1878, 496), Weber (*Quaestiones Catullianae* 1890, 108 sq.) Harnecker (p. 6), Riese (p. 223), Baehrens (ad v. 27), Skutsch (p. 146), Kalb (p. 41 sq.), Friedrich (p. 438 sq.), Kroll (p. 223). Qui omnes lectionem codicum mutaverunt et pro *Catulle* dativum *Catullo* scribendum rati plurima ex codicibus attulerunt exempla, in quibus *e* et *o* litterae in Catulli carminibus a librariis sunt confusae. Amici autem verba, quae vocem *scribis* sequuntur, per orationem obliquam repetita esse statuunt et, ne mira orationis obliquae coniunctio cum directa inveniatur, in enuntiato causali coniunctivum *tepefactet* desiderari censent (praeter Baehrensium l. c. et Kalbium l. c., qui falso *tepefactat* scribunt). Scripserit igitur Catullus: *...scribis Veronae esse (= versari) turpe Catullo* (sc. *esse*), *quod hic* (= Veronae) *quisquis de meliore nota frigida deserto (= vacuo) tepefactet membra cubili.* Nunc clara fit epistula amici, qui Catullo dat crimini, quod Veronae in oppido priscae severitatis versetur, ubi nobiles iuvenes deliciis amoris priventur *(deserto tepefactet membra cubili)*. Quam interpretationem verum tetigisse putamus, cum simplici verborum et claro conexu neque a recta dicendi consuetudine discedat, neque rem de qua agitur obscuram reddat.

At mira horum versuum interpretatione omnia pervertit Birt (I p. 11 sq. et II p. 447) statuens non Catullum, sed Allium Veronae esse commoratum, Catullum autem in Sabino aut Tiburtino. Facile tamen cognosci potest hanc Birtii sententiam ex v. 27—30 esse extortam. Nam voces *Veronae* et *turpe esse* artissime inter se coniunxit et eandem eis tribuit vim ac *Veronae vitio dari* Catullo; sed vocem *hic*, qua Veronam designari vidit, in verbis amici per orationem obliquam a poeta repetitis difficillimam reddidit, cum voce *hic* nisi Catulli ipsius domicilium indicari nil potuisset (Kroll p. 223). Inde sequitur, ut et culpae, in qua Birt poetam fuisse arbitratur, ipso domicilio extra Veronam constituto nullam fidem tribuamus.

Quartam denique de Catulli domicilio sententiam notamus a Jowettio propositam (Kalb p. 42), qui Allium Baiis commorantem Veronam ad Catullum epistulam scripsisse coniecit eique crimini dedisse *(turpe esse Catullo)*, quod Veronae versaretur, cum omnes nobiles Veronenses aquis tepidis membra tepefactarent. Non operae sane pretium duco Jowetti simili-

mamque Munronis (v. H. Magnum, *Burs. Jahresb.* LI 269) hallucinationem potius quam sententiam refellere — ipsa earum commemoratio stet pro refutatione. Igitur omnibus his perpensis Catullum tum Veronae versatum esse credimus. Allii vero domicilium vix coniectura reperiri potest, cum hac in re omnia indicia Veronam Catulli domicilium suadentia nobis desint. Quare docti argumentando potius quam interpretando ea, quae sunt probabilia, colligunt. Itaque plurimi Allium Romae domicilium habuisse censent, quae opinio a Kalbio (p. 47) his fere verbis impugnatur: 1. Si Mallius in urbe fuisset, Catullus amico occasionem dedisset, ut scripta efflagitata e poetae bibliotheca Romana promeret; 2. Mirum praeterea videtur, quod Catullus amicum in urbe commorantem certiorem facit, se Romae vivere (v. 34 sq.); 3. Ad Allium Romae commorantem poeta scripsisset potius *ista* (domus, sedes), *istic*, quam *illa* — *illic* (v. 33 sq.)

> Nam, quod scriptorum non magna est copia apud me,
> Hoc fit, quod Romae vivimus: illa domus.
> Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas.

Quae argumenta sunt penitus refutata iam a Monsio (p. 13 sq.) cuius dissertatione neglecta factum est, ut Kalb Allium haudquaquam procul a Verona (Bononiae vel Patavii) versatum esse censeret. Nam — ut primam obiectionem refellam — hoc bene tenendum nobis esse videtur, Allium non qualibet postulasse scripta a Catullo, sed carmina quae poeta ipse compo*suerit aut ad Graecorum imitationem expresserit. Iam quod* ad secundam obiectionem pertinet, versibus 34—35 bene intellectis apparet amicum non de poetae domicilio Romano, sed de scriptis Romae relictis esse edoctum. Neque tertium Kalbii argumentum est solidius. Allium Romae esse putantibus pronomen *iste* aptius videtur Kalbio, propterea quod pronomine *ille* Catullus a Roma procul solum disiunctus esse indicetur, *iste* autem et ad illam disiunctionem et ad Romanam Allii sedem *(= ista tua Roma)* referri possit. Quae Kalbii sententia incerta est, cum haec pronominum vis non semper respiciatur cumque non sit compertum Catullum haec verba (v. 34 sq.) scribentem de amico magis quam de sua bibliotheca Romana cogitasse.

Nihil ergo obstat, quin Allium Romae commoratum esse credamus. Nullo enim modo, si res aliter esset comparata, amicus Catullo crimini dare potuisset eum in oppido parvo et priscae severitatis (Veronae) versari.

VI. De Catulli responsis.

Allii epistulam quae versu 10 concluditur et terminatur, Catulli sequuntur responsa, in quibus perinde atque in amici querelis (v. 5 *neque... Venus... nec Musae oblectant)* et precibus (v. 10 *Munera... et Musarum... et Veneris)* dignoscitur sententiarum et argumentorum bipartitio, cui quattuor versus (11—14) ad audienda responsa praeparaturi non respondent (v. 11 sq.):

> Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Mani,
> Neu me odisse putes hospitis officium,
> Accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse,
> Ne amplius a me misero dona beata petas.

Quae Catulli verba explicatione non indigent; *hospitis officium*, si quidem carmen hoc unum est habendum, optime v. 68 et 156 explicatur.

Quam primam Catullus attulit Veneris munerum excusationem, alii docti ab alio versu initium capere statuunt. Itaque Birt (I p. 16) v. 14 universae excusationi adnumerat, Kalb autem (p. 48 sq.) et Vahlen (p. 1028 sq.) eundem versum ad sola *munera Veneris* recusanda respicere putant. Qua in re ipse poeta vocibus *misero* et *beata* inter se oppositis non obscure indicavit, *beata* hoc loco ea vocari dona quae a *beato* solo sint petenda: quo probato Birtii sententiae omne fere fundamentum subtrahitur; nam poeta licet exilissimus et scortillum et veterum poetarum scripta mittere potuit amico (v. Eos 1927, 89). Attamen si *Veneris munera* carmina sunt amatoria, certe Catullus fratris lugens mortem ea non potuit pangere. Quare v. 14 *munera Veneris* deneganda indicat; nam *Musarum munera*, quae Catulli carmina maiora iam pridem Romae scripta aut ad Graecorum imitationem expressa statueramus (v. Eos 1927, 92), certe vel a miserrimo poeta petere fas erat amico. Itaque paucissimis verbis (*dona beata*) introducitur munerum Veneris denegatorum excusatio eoque fit, ut omni coniunctione amissa haec legantur verba (v. 15 sq.):

> Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
> Iucundum cum aetas florida ver ageret,
> Multa satis lusi: non est dea nescia nostri,
> Quae dulcis curis miscet amaritiem:
> Sed totum hoc studium luctu fraterna mors
> Abstulit.

Iam inde a prima adulescentia ludebat i. e. amabat amatoriaque carmina pangebat Catullus (v. Eos 1927, 91), dilectus a dea quae *dulcem curis miscet amaritiem*[1]) i. e. a Venere. Sed fratris mors *totum hoc studium... abstulit.* Eandem sententiam paulo infra iisdem fere verbis repetitam legimus v. 25 sq.: *Cuius interitu... fugavi Haec studia atque omnes delicias animi.* Voces *studium* (v. 19) et *studia* (v. 26) cum verbis *multa satis lusi* (v. 17) et *munera Veneris* (v. 10) coniungi sententiarum efficitur conexu. Itaque docti pro varia *ludendi* verbi et *munerum Veneris* explicatione *studium* (*studia*) varie intellegebant neque a recto declinabant, cum substantivi *studium* varia sit vis. Weise (Progr. Naumburg 1863, 5) et Munro (p. 168) *studia* ad poetica opera referebant; Birt (I p. 10) autem, Hermes (Progr. Frankfurt 1888, 13), Kalb (p. 37), Vahlen (p. 1029) amorum studia coniciebant. Baehrens (ad v. 19 et 26) denique *studium* (v. 19) ad amores, *studia* (v. 26) ad carmina pangenda spectare credebat. Nos vero neutram sequimur sententiam. Nam si *ludere* idem est atque *amare et cantare* i. e. praesentem amorem carminibus praedicare, sequitur, ut neque de solis amoribus sectandis, neque de carminibus sine amore pangendis sit cogitandum. Certum est enim, quod ipsis carminis verbis optime comprobatur, Catullum propter fratris mortem et ab amore et a carminibus amatoriis abhorruisse ideoque carmina amatoria amico non praestitisse, cum nullo *studio* i. e. animi impetu ad utramque rem defferretur. Unde primariam studii vim huic loco aptissimam credimus. Quibus omnibus quae supra dicta sunt consideratis eo adducimur, ut v. 14 sq. ad *Veneris munera* recusanda spectare statuamus, quod et *ludendi* verbo (v. 17) et deae mentione (v. 17—18) et denique versus 26 exeuntis verbis comprobatur; legimus enim (v. 25/26): *Cuius ego interitu... fugavi Haec studia atque omnes delicias animi.* Amatorio in sermone *deliciae* aut amatum (Cat. II 1. III 4. VI 1. XXXII 2. LXIX 4) aut amorem (Cat. XLV 24. LXXIV 2) designant; quae *deliciarum* vis (amor) huic quoque loco vindicanda esse videtur; nam de amata neque adhuc nec post usque ad v. 40 quidquam audimus. Dixit ergo poeta se cum studium amandi et cantandi, tum amorem ipsum de mente

[1]) Quae verba diligentius exquirere omittimus, cum et ad *munerum Veneris* et *ludendi* vim explicandam minimi sint momenti.

relegavisse quare non est credendum Kalbio (p. 38) *studia* deliciarum partem esse.

Fratris mors Catullum et amore et amoris studio privans quid praeterea effecerit, v. 27—30 enarratum legimus:

> Quare quod scribis Veronae turpe Catullo
> Esse, quod hic quisquis de meliore nota
> Frigida deserto tepefactet membra cubili,
> Id, Mani, non est turpe, magis miserum est.

Quo modo docti hos versus explicaverint, iam s u p r a ostendimus. Nunc autem quaerendum est, quae ratio inter eos et versus praecedentes intersit. Argumentum epistulae ab Allio ad poetam scriptae satis profecto notum est nobis, licet non totum atque integrum. Veri enim non est simile eum querelis tantum et precibus epistulam suam explevisse, Catulli autem mentionem neglexisse. Quare infortunio suo descripto Catulli quoque sortem iniquam miseratus esse videtur, quod Veronae in urbe tam parva severorumque morum commoraretur eaque adiecisse verba: *turpe esse Catullo Veronae versari, quod...* (cf. p...). Quae cum ita sint, querelae et preces amici pro vero et proprio quidem epistulae argumento sunt habendae, versibus autem 27—30 adnotationis vis, humanitatem et urbanitatem declarans, cum Rieseo (p. 221) est tribuenda. Sed quaerentes cur haec amici verba in Catulli responso sint recepta, sententiarum conexu adducimur, ut mentione de fratris morte inspersa id factum esse credamus. Amicus enim de fratris morte nondum certior factus poetam Veronae versari ibique amore carere indignum esse scripsit. Cui respondet poeta: Frater mihi carissimus mortuus est, eiusque morte amor et amoris studium obiit. Itaque non indignor propter hanc Veronae sedem (*turpe Catullo esse*), sed potius fleo *(miserum est)*. Hanc nostram interpretationem verum attingere versus quoque 31—32 comprobant:

> Ignosces i g i t u r, si quae mihi l u c t u s a d e m i t,
> Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.

Dilucido versuum conexu *(igitur)* manifestum fit luctum et in superioribus versibus (27—30) scribendis animo poetae esse obversatum, versibus autem 31—32 omnia quae in Veneris munerum recusatione contineantur, in unum esse collecta et absoluta. Itaque versibus 14—32 accuratius explicatis me persuasisse puto legentibus *munera Veneris* denegata esse a Catullo.

Ad alteram Allii petitionem poeta rescripsit haec (v. 33 sq.):

> Nam quod scriptorum non magna est copia apud me,
> Hoc fit, quod Romae vivimus: illa domus,
> Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
> Huc una ex multis capsula me sequitur.

Non est dubium, quin haec verba ad *Musarum munera* sint referenda; nam praeter querelarum, petitionum, responsorum bipartitionem vox quoque *scriptorum* (v. 33), quae in v. 7 (*Nec veterum... scriptorum carmine Musae)* cum Musis artissime est coniuncta, argumento est. Epistulae sane compositionem (bipartitionem) perspicientibus v. 33 sq. nullas praebent difficultates. At multi, qui versum decimum perperam sunt interpretati *(munera... et Musarum... et Veneris* = carmina amatoria, cf. Eos 1927, 87 sq.), versibus allatis confictam sententiam subicere cogebantur. Quam doctorum opinionem diligentius hic trutinare supersedemus, propterea quod iam supra demonstravimus *munera Musarum* a *Veneris muneribus* esse segreganda, id quod etiam carminis compositione et sententiarum ordine atque conexu postulari efficitur (v. Eos 1927, 87 sq.). Altera Catulli de muneribus Musarum excusatio his incipit (v. 33): *Nam quod scriptorum non magna est copia apud me...* Quod excusationis initium quin per ellipsin sit intellegendum nemo fere dubitat; sed quae ellipseos forma sit accipienda, eadem inter doctos est dubitatio atque in muneribus *et Musarum... et Veneris* explicandis. Hoc fit, ut ellipseos formas quae falsam interpretationem *munerum et Musarum et Veneris* sequuntur (cf. Eos 1927, 87 sq.) nisi exempli gratia non afferamus. Itaque Riese ante v. 33 haec omissa esse conicit: *Da ich jetzt nicht dichte* (v. 25), *kann ich das gewünschte nicht geben* (v. 32 i. e. *munera et Musarum et Veneris). Ich kann nicht, denn wenn du (= nam quod) vielleicht etwas anderes als eigene neue Gedichte von mir forderst, so kann ich...* Baehrens (p. 224) autem haec supplenda putat: *est alia quoque (sc. praeter luctum) renuendi tibi causa: nam cum Romae vivam, mecum habeo paucos tantum libros.* Docti autem v. 33 sq. veram tribuentes vim in ellipseos forma constituenda v. 32 respiciendum esse censent: *Haec tibi non tribuo munera.* Nam vox *haec* in versus initio posita aliorum quoque munerum fore mentionem promittere videtur (Kalb p. 44). Sed Catullus

ad alia festinans non dixit alia munera Musarum dona fuisse, sed ad excusationem transiit. Itaque verba omissa hoc saepissime suppleta inveniuntur modo: *Veneris munera tibi praebere nequeo* (v. 32); *[etiam Musarum munera sunt praepostera]*; *nam quod pauca tantum scripta mecum fero...* etc. (Kalb p. 44—45, Harnecker p. 9, Hoerschelmann p. 14, Kroll ad v. 33). Cui ellipseos formae nimis longae alia eaque simplicissima est anteponenda Vahlenii (p. 1030), qui non pronomini *haec* (v. 32), sed voci *luctus* summum tribuit momentum (v. 31):

> Ignosces igitur, si quae mihi l u c t u s ademit,
> Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.

Nam quod scriptorum non magna est copia apud me *[propterea que et aliam tuam petitionem explere nequeo; culpa non in luctu est, sed]* (v. 34):

> Hoc fit, quod Romae vivimus.

Quae explicatio ipsi Birtio (II p. 445—446) placuit.

Quibus visis iam necesse est definiamus, utrum — quod Vahlenii explicatio postulat — alterum quoque Allii petitum denegaverit Catullus necne; v. 33—36 expeditis hoc tantum pro certo licet dicere, poetam exiguum scriptorum numerum — unam capsulam — Veronam asportasse. Sed multi docti graviorem sententiam eis tribuunt et alii ut Kalb p. 45 ipsam capsulam missam esse amico his verbis declarari affirmant, alii, ut Skutsch p. 148 sq. negant. Qua in re ne diutius dubii haereamus, ultimi epistulae versus sunt respiciendi (v. 37 sq.):

> Quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna
> Id facere aut animo non satis ingenuo,
> Quod tibi n o n u t r i u s q u e petenti copia facta est:
> Ultro ego deferrem, copia si qua foret".

Formula sermonis pedestris propria *(quod cum ita sit)* omnes excusationis argumenta breviter colligit: dicit Catullus se non difficilem parumque in dando largum esse, sed alias ob causas *n o n u t r u m q u e* misisse amico. Voces *non utriusque* ad quaestionem solvendam gravissimae inter doctos controversiam moverunt, cum alii (Haupt p. 247, Weise 1863 p. 4—5, Riese p. 224, Baehrens ad v. 39, Birt I p. 14—15 et II p. 436 sq., Monse p. 16, Rassfeld, *Die Stellung der Negation non bei Catull* 1898 [v. Magnum, *Burs. Jahresb.* CXXVI 111], Vahlen p. 1030 sq., Friedrich p. 440, Kroll p. 225, *non utriusque* idem dicere crederent atque *neutrius*, alii vero (Wiessling p. 15,

H. Magnus, *Z. f. d. G. W.* 1878, 498 et *Burs. Jahresb.* CXXVI 142—143, F. Schöll, *Fleck. Jahrb.* 1880, 471, M. Schmidt, *Fleck. Jahrb.* 1880l 783, Harnecker p. 7, Hoerschelmann p. 15 sq., Skutsch p. 145, Kalb p. 45—46 et 48 sq.) pro *alterutrius* tantum acciperent. Utrique, ut apparet, dubitant, utrum *non* ad totum enuntiatum pertinere dicant (= *copia non est facta utriusque*), an cum solo *utriusque* coniungant. Hanc quaestionem diligentissime tractavit Birt, qui in dissertatione quae inscribitur *Zu Catullus carmina maiora (Rhein. Mus.* 1904) poetae usum in negatione *non* collocanda statuebat plurima exempla ex Catulli carminibus afferens efficientia *non* negationem persaepe a Catullo in hexametris et distichis elegiacis simillime atque in prosa oratione esse collocatam. Multa tamen adnotavit exempla, in quibus *non* cum vi quadam in enuntiati initio positum:

1. ad verbum finitum spectat: LXIV 39 sq. *Non humilis curvis purgatur vinea rastris Non glaebam... convellit... taurus.* Simillime LXIV 63 sq. et 376; LXVII 15. CVIII 3, Mart. IV 78, 6 *nec caret officio consul uterque tuo* (Kroll p. 925 ad v. 39).

2. ad pronomen, adverbium, attributum: LXIV 343 *Non illi quisquam bello se conferet heros.* Simillime LXIV 188 et 221. LXVI 75. LXXVI 23.

3. Persaepe *non* pluribus verbis interpositis a verbo finito vel ab alio enuntiati membro secluditur: LXVI 18 *Non (ita me divi) vera gemunt (iuverint).* Simillime LXVII 9. XCVII 1.

4. *Non* per emphasin adhibitum secundo quoque aut tertio loco ponitur: XCVII. *Et non pistrino traditur atque asino?* LXVI 21 *Et tu non orbum luxti...* Simillime CXV 3. Verg. *Ecl.* IX 34. X 28.

5. *Non* in enuntiato secundario per emphasin adhibitum a coniunctione aut pronomine relativo attrahitur: LXVI 28 *Coniugum, quod non fortior ausit alis.* Simillime LXIV 158. Verg. *Ecl.* VII 43, Cic. *Div.* V 12, *Lael.* 23, Nepos *Att.* XIII 3 *ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchre facere posset* (Friedrich ad v. 39), Ov. *Ars* II 683 *odi concubitus, qui non utrumque resolvunt.*

His omnibus exemplis perpensis nemo fere dubitat, quin v. 39 in eorum numero sit habendus, in quibus *non* in primo aut secundo loco enuntiati primarii aut secundarii per emphasin sit positum. Cum autem in his exemplis (praeter Ov. *Ars.* II 683, cf. Magnum *Burs. Jahresb.* CXXVI 142—143) negatio *non* saepenumero non vocem ipsam, quam praecedit, sed totum enuntiatum neget, nihil est, quod hunc versum eodem modo interpretandum esse dubitemus[1]). Itaque *non utriusque* idem indicare videtur ac *neutrius*. Qui intellectus ex sententiarum quoque conexu apte explicatus verus est habendus. Iam supra cognovimus Catullum v. 37—40 summam versuum 11—36 breviter collegisse. Cum autem v. 11—36 duo contineant responsa ex v. 10 pendentia, sequitur ut v. 36—40 ad v. 10 referamus, qui *munera et Musarum et Veneris* ab amico postulata narrat. Ad haec amici petita Catullus causis allatis (v. 14—32 et 33—36) neutrum se dare quire rescripsit. Qua in re scriptorum penuriam questus est, propterea quod sibi praesto essent nulla quae amico mittere posset. Nam hac una capsula quae eum Veronam est secuta, Catullus ipse haud facile carere potuisse videtur, cum eam licet dolore fractus secum Veronam vexerit. Ne dubitatio sit, quin omnia quae amicus petivisset, recusata essent, haec adiecit poeta (v. 40):

Ultro ego deferrem, copia si qua foret.

Docti *non utriusque* idem putantes atque *alterutrius tantum* alterum ex muneribus concessisse poetam coniciunt. Itaque Magnus *(Z. f. d. G. W.* 1878, 497) *munera Musarum* amico a Catullo data esse credit. Eandem sententiam secuti sunt Schöll *(Fleck. Jahrb.* 1880, 471), Hoerschelmann (p. 20), Skutsch (p. 148 sq.), Kalb (p. 48—49). Qui omnes praeter Kalbium unitarii munera a Catullo concessa carmen LXVIII b ex hac una capsula depromptum esse credunt, Kalb autem ignotum nobis carmen in eadem capsula inclusum ad amicum missum esse contendit, carmen autem LXVIII b cum epistula (v. 1—40) nullo vinculo esse coniunctum: quam sententiam minime veram esse demonstravimus. De Magni autem aliorumque opinione iam supra adumbrata hoc licet addere, memorabile certe vi-

[1]) Unum tamen est discrimen inter hunc locum et exempla, quae attuleramus: *non* a relativo *quod* disiunctum legi pronomine *tibi;* quod metri causa esse factum optime Birt vidit.

deri Catullum casu quodam prospero in capsula id carmen, quod amico mittere potuerit, Roma Veronam secum detulisse. At de casu tam miro poeta vix tacere potuit in responsis. Hanc difficultatem tollere studebat Skutsch qui *alterutrum* non ad capsulae *scripta*, sed ad carmen v. 41—160, *scriptorum* loco a poeta Veronae compositum, refert. Attamen si Catullus et *Veneris munera* et *scripta* amico non misit, neutra ei dedit, etiamsi *scriptorum* loco carmen (v. 41—160) donasset. Neque melior est sententia M. Schmidti *(Fleck. Jahrb.* 1880, 782 ad 784), qui *munera et Musarum et Veneris* (v. 10) i. e. carmen elegiacum (v. Eos 1927, 87) iam v. 32 *(haec munera)* denegata esse contendit, sed postscriptum epistulae amici additum finxit, quo amicum scripsisse coniecit ad Catullum sibi curtos libellos *(2 Broschüren)* mitteret; v. 33—36 responsum continere poetae, qui alterum tantum libellum Veronae sibi esse respondisset.

Omnibus iam opinionum nebulis discussis ea relevemus oportet, quae claris argumentis signisque patent: 1. carmen (v. 1—40) re vera epistulam esse eamque ob rem pedestrem sermonem potius imitari, licet sermonis poetici vestigia non desint (ut v. 3 *Naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis...* v. 7. *Nec veterum dulci scriptorum carmine Musae oblectant...* v. 13 *Accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse...* v. 17 *Quae dulcem curis miscet amaritiem v. 20 sq.* alii*)*. 2. v. 1—40 interpretatio difficillima est, propterea quod privatas intimasque Catulli et Allii res respicit a poeta obscuris verbis paucissimisque descriptas. 3. Accedit etiam argumentum, quo proprium et absolutum carmen vix effici potest (querelae + preces + excusatio). 4. Catulli epistula si in v. 40 finem caperet, nimis esset dura, cum omni amica compellatione careret. Ex quo sequitur, ut Catullum carmini LXVIII in v. 40 finem imposuisse non credamus.

Sed dicit aliquis difficillimam esse v. 1—40 continuationem, cum poeta *munera Musarum* i. e. carmen amico non praestiterit. Respondeo *Musarum munera* carmina esse iam Romae scripta vel ad Graecorum imitationem expressa eaque esse denegata propterea quod poeta Veronae ad manum non habuerit. Nullibi in v. 1—40 legi poetam de Allio ipso quidquid scribere noluisse. Aliud etiam licet afferre, quod nobis verisimile non videtur, Catullum poetas Alexandrinos secutum

(Kroll p. 218) carmen quidem recusavisse, nihilo tamen minus petenti amico satisfecisse. Notum est enim carminum genus quod recusatione nititur. Itaque Hans Lucas in dissertatione, q. i. *Recusatio (Festschrift Johannes Vahlen gewidmet*, Berlin 1900, 332 sq.) plurima collegit exempla et demonstravit, praecipue Horatium recusationis simulatione artem suam adiuvare solitum esse Catullo duce, cuius carmen LXVIII imitandum sibi proposuisset. Cuius sententiae pars ultima minime est probanda, cum inter Catulli c. LXVIII et Horatii nonnulla grave discrimen intercedat: a Catullo veras recusationis causas propositas esse, Horati recusationem in artificiis niti; tamen hoc ipsum nostrae explicationi fidem conciliare unusquisque concedet. Nam cum v. 1—40 nec proprium carmen efficiant nec iusta obstat causa, quin Catullum post v. 41—160 in codicibus epistulam sine ullo interstitio sequentes cum ea coniungendos esse putemus.

VII. De v. 1—40 et 41—160 mutua ratione.

Inter argumenta unitatem c. LXVIII impugnantia v. 40 et 41 conexus, mira sententiarum incisione molestissimus, adeo esse gravis videtur, ut chorizontes hanc ob causam elegiam v. 41 sq. *(Laudes Allii* aut *Encomion Allii)* ab epistula seiungendam esse censeant, unitarii autem nisi copulatione suppleta carminis unitatem non admittant. Sed utrique eodem capiuntur errore, quia epistulae continuationem in elegia de Allio (v. 41—149) expectant. Quod quam sit vanum, Magni (*Fleck. Jahrb.* 1875, 842) et Harneckeri (p. 10) exemplo videre licet, qui Catullum precibus Allii recusatis haec tacite dixisse fingunt: „Preces quidem amici, quod necesse erat, recusavi; sed Allius optimus est meus amicus, cui plurima debeo. Propterea (v. 41) *Non possum reticere, deae, qua me Allius in re Iuverit...*" Sed mira esset epistula, in qua poeta post meram epistularem partem (v. 1—40) Allium ut absentem celebraret, sub finem autem v. 149 sq. simillime atque in v. 1—40 familiariter eum alloqueretur. Itaque argutiae nihil prosunt. Tres carminis partes conspicuae sunt: I. v. 1—40, II. v. 41—148, III. v. 149—160 nec silentio tegendae nec interpretandi arte confundendae. Inde tamen non efficitur, ut de carminis unitate desperemus. Nam hoc in primis est tenendum, quod ab omnibus chorizontibus silentio premitur, epistulam Catulli (v.

1—40) in v. 40 nimis duro et amicam compellationem alibi esse quaerendam. Tertia carminis pars (v. 149—160), in qua idem sonus et stilus atque in epistula (v. 1—40) iam in familiari allocutione cognoscitur (v. 149 sq. *Hoc tibi... munus..., Alli, redditur)*, non dubia est epistulae continuatio, cum et plurima privatissime dicta (v. 157—160) et valedicendi formulam (v. 150) exhibeat. Inde sequitur, ut elegiam (v. 41—148) inter duas epistulae partes interiectam esse credamus: Poeta cum v. 1—40 scriptis imaginem Allii, cuius preces spreverat, animo sibi effinxisset, tum demum perspexit, quam acerba esset recusatio. Quam cum subito animi motu ductus lenire constituisset, de communi cum Allio vita recordatus ilico amorem suum et amici officia revixisse sensit. Hoc modo fere praeter opinionem et voluntatem carmen (v. 41—149) ortum est, cuius initium abruptum *(Non possum reticere...)* subitam animi concitationem testari videtur (Hoerschelmann p. 21, Vahlen p. 1032, Kroll p. 218).

Omnibus ex dictis patet, quid primum et secundum Riesei valeat argumentum (initio dissertationis relatum, cf. Eos 1927, 78), qua asseverabat non constitisse sibi Catullum, cum carmina amatoria Allio renuisset, in elegia autem amasiam (Lesbiam) celebravisset. Quaerentibus enim, quae ratio inter Catulli recusationes (v. 1—40) intercedat et elegiam, non Lesbiae laudes, sed elegiae initium, quo proprium Catulli propositum exprimitur, respiciendum esse videtur. Itaque nulla est discrepantia inter elegiam et primam epistulae partem (v. 1—40); amasiae enim laudes quae initio procul erant a poetae proposito, narratione de praeteriti temporis deliciis procedente natae sunt adeoque creverunt, ut praesens incommodum fere occultaverint. Tertium Riesei argumentum vocis *caelebs* vi explicata refutatum est (v. Eos 1927, 84 sq.). Neque fratris mortui lamentatio repetita (v. 19—24 et v. 91—96 — argumentum quartum) difficultatem parit. Persaepe enim poeta in eodem carmine (VII 2. 3. XIII 1. 7. LXXXVIII 1. 3. XLII 11. 12. 19. 24 alia) et in diversissimis in eosdem dicendi mores rationesque relabitur (Vahlen, *Opuscula Acad. Pars posterior* 1908, 217). Quae repetitio non est facta servilem in modum, sed utroque loco in sententiarum ordinem et conexum quadrat. Primo enim poeta de fratris morte mentionem fecit, ut doceret amicum, se propterea carmina amatoria pangere non

posse, altero autem loco, ut Troiae scelera et maleficia adumbraret. Itaque recentissime chorizontes quoque ut Kalb (p. 58) hanc repetitionem parvi aestimant. Aliud est addendum, quod Skutsch (p. 138 sq.) affirmaverat, scil. lamentationis repetitionem necessariam videri, propterea quod encomii artificiosa compositio Alexandrinorum poetarum exemplo ad proportionem esset constructa (Kroll p. 219). Ipsum amici nomen, quod codices varie exhibent (argumentum quintum), optime explicatur, si Lachmanni sententiam sequimur (v. Eos 1927, 79—83). Neque malus v. 40 et 41 conexus carminis unitati opponi potest (argumentum sextum) neque ultima Riesei difficultas, quae in epistulae sermone pedestri fere, elegiae autem poetico et polito versatur. Qua sermonis diversitate, ceterum satis exigua, minime turbamur, cum epistulae continuationem non in elegia, sed in tertia carminis parte (v. 149—160) quaerendam esse statuerimus.

Omnibus his difficultatibus sublatis eo pervenimus, ut v. 1—40 cum elegia cohaerere posse credamus. Sunt tamen gravissima indicia quae hanc copulationem necessariam esse suadent. Tertia carminis pars (v. 149—160), quae elegiam excipit, his incipit (v. 149):

> Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus,
> Pro multis, Alli, redditur officiis.

Miro unitariorum et chorizontum consensu hi versus cum praecedenti elegia rectissime quidem copulantur, sed diversissime explicantur. Nam unitarii manifestis relationibus inter primam (v. 1—40) et tertiam (v. 149—160) carminis partem (v. 149 *quod potui... munus:* v. 32 *non tribuo munera, cum nequeo,* v. 149 *confectum carmine munus:* v. 10 *munera et Musarum et Veneris,* v. 150 *Pro multis... officiis:* v. 12 *hospitis officium)* et epistulari utriusque partis genere ad veram v. 149—160 interpretationem adducuntur, chorizontes autem, ut epistularem horum versuum formam et gravem post v. 148 sententiarum incisionem excusarent, alii (praeter Rieseum p. 219 et Kalbium p. 62—63) hos versus epilogum dedicatorium esse credunt, alii (Riese, Kalb) scriptum absolutum dono poetico private additum esse coniciunt. At inauditus esset elegiae epilogus et forma et sententiis ab ea discrepans. Non liquet enim, cur epilogus forma epistulari sit scriptus;

neque facilis est intellectu allocutio familaris privatarum rerum plena eoque perobscura.

Quam autem Riesei et Kalbii sententiam dicemus? *Catullus*, dicit Kalb, *non modo Allium ipsum privatim, quid sibi vellet carmen laudativum docere debuit, sed etiam encomii lectores*. At omnes lectores haesitant nec sciunt, quid insolitum carminis initium sibi velit: *Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus... redditur*. Nam vocum *quod potui* semper ea vis est, ut plus, quam sit factum, fieri potuisse exprimant (Kroll p. 240). Itaque multi chorizontes intellectum quem velint exquisituri lectionem codicum *quod* in *quo* (sc. carmine) mutant. Sed sive *quod* sive *quo* legimus, de eis necesse est cogitemus, quae Catullus dare potuerit quaeque recusaverit (cf. Vahlen p. 1041). Itaque una est interpretatio eaque unitariorum, qua v. 149—160 primis verbis verus intellectus substituitur: non potuit Catullus *munera et Musarum et Veneris* praebere amico, potuit tamen de ipso amico carmen pangere.

Ultimum iam inspiciamus chorizontum argumentum, quo examinato dissertationem claudere mihi liceat. Kalb enim (p. 61) indicium quoddam quo chorizontum sententia laudari videtur, ex codicibus ipsis attulit: In codice *M* fortasse secundum cod. Veronensem aut alium librum vetustum ad v. 40 signum Σ legi, quo nonnumquam in libro illo carmina falso coniuncta distingueretur. Erroris profecto mireris insolentiam, cum signum illud non ad v. 40, sed 102 et 103 inveniatur; aliud autem signum χ, quod re vera in cod. *M* ad v. 40 a recentiore quadam manu est appositum, carmen novum non indicat, cum et v. 52 et in c. LXVII 32, LXVI 66 et 28 sit adpictum (Magnus, *Berl. Phil. Wochenschr.* 1900, 1544 sq.). Iam vides nullo argumento valido unitariorum iudicium infirmari posse.

DE COLUMNA IGNEA PRAECEDENTE ISRAELITAS.

Nescio an quis explicaverit columnam illam igneam quae teste Scriptura Sacra praecessit populum Hebraeorum fugientem: ego saltem novi neminem qui probabilem dederit eius interpretationem. Non desunt qui eam putant πρηστῆρα neque ii omnino errare mihi videntur: at qui πρηστήρος cognitam habet naturam, scit illum turbinis instar furere, non diuturnum in

tempus viam eamque passu aequo sequi. Neque is qui columnam ignis in fabulis ponit, quidquam explicat, sed potius desperat. Quam ob rem meam profero coniecturam quam verum proxime attingere credo: scilicet eam fabulam derivari contendo ex orientalium caeremoniis regum, qui sibi ignem praeferri curabant. Quem ritum a caesaribus quoque Romanis observatum primus Iustus Lipsius *(Ad C. C. Taciti Annalium l. I exc. A.* ed. Antverp. 1607, 401 c) illustravit locis ex Herodiano allatis (I 8, 4 Lucillae sorori ὁ Κόμμοδος ἐφύλαττε τὰς τιμὰς τῇ ἀδελφῇ... καὶ τὸ πῦρ προεπόμπευεν αὐτῆς, I 16, 4 Commodus Marciae concubinae οὐδέν τι ἀπεῖχεν γαμετῆς γυναικός, ἀλλὰ πάντα ὑπῆρχεν ὅσα σεβαστῇ, πλὴν τοῦ πυρὸς, II 3, 2 Pertinax imperator factus tyrannidis signa recusavit οὔτε τὸ πῦρ ἐάσας ἑαυτοῦ προπομπεῦσαι οὔτε τι ἄλλο τῶν βασιλικῶν συμβόλων ἐς ὕψος ἀρθῆναι πρὶν ἢ μαθεῖν τὴν γνώμην τῆς συγκλήτου βουλῆς, VII 1, 1 Quartinum milites imperatorem fecerunt ἁρπάσαντες ἄκοντα... πορφύρᾳ τε καὶ πυρὶ προπομπεύοντι, ὁλεθρίοις τιμαῖς, ἐκόσμησαν, ἐπί τε τὴν ἀρχὴν ἦγον, οὔ τι βουλόμενον.) „Quis tamen iste ignis“ interrogat Lipsius et respondet: „Non e carbonibus aut ligno nec qualis ille apud Horatium prunae batillus: lampas tantum fuit. Rem ad huc ignotam doceo firmoque ex M. Antonino in libro suae vitae: ὅτι δυνατόν ἐστι, inquit, ἐν αὐλῇ βιοῦντα μήτε δορυφορήσεως χρῄζειν μήτε ἐσθήτων σημειωτῶν μήτε λαμπάδων καὶ ἀνδριάντων τοίων τέ τίνων καὶ τοῦ ὁμοίου κόμπου. Ut ergo in deorum cultu adhibitae lucernae facesque, ut docui in *Electis* I 3, sic imperatorum“. Quam Lipsi opinionem impugnavit Bonamy, *Sur l'ancien usage de porter le feu devant les empereurs* (Histoire de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres Paris 1768, XXXI 153—156). Ceterum ipse Lipsius ritum ex Oriente Romam translatum esse docuit dicens: „Opinor autem Roman traductum morem a Persis. Illorum enim regi prolatus ignis“ (Xenophon, Cyrup. VIII καὶ πῦρ ὄπισθεν τοῦ ἅρματος ἐπ' ἐσχάρας μεγάλης ἄνδρες εἵποντο φέροντες). Immo et Asiaticis, si recte capio Ammianum (XXXIII 6, 34) *feruntque [Magi], si iustum est credi, etiam ignem caelitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri, cuius portionem exiguam ut faustam praeisse quondam Asiaticis regibus dicunt.*

Quem ritum si apud Aegyptios quoque reges obtinuisse sciremus, interpretatio columnae igneae in manu esset: ut consules Romani expulsis regibus eorum signa et attributa retinuerunt, ita Moyses contra pharaonem insurgeus eius usurpaverit signa regalia. At pharaones eundem habuisse ritum ignoramus, quo ipso fabulae origo posterioribus adsignanda est temporibus, quibus scilicet Hebraei regum Asiaticorum cognoverunt caeremonias; verum narratiunculas potius quam fidem historicam sectantes ritum traduxerunt in miraculum, flammam arae in πρηστῆρος columnam, ita ut vix genuinus fabulae intellectus discipi posset.

R. G.

L'ODE DE CATULLE SUR LE PASSEREAU (CARM. 2)

par
JAN OKO

Les manusrits émanant de *V*, base principale du texte de Catulle, ont déjà séparé les pièces l'une de l'autre en laissant une ligne libre entre les pièces, ou bien en mettant en marge un signe spécial (//) [1]. Nous le voyons surtout dans un des plus précieux mss., *O*, dans lequel, avant l'ode 2 et 4, nous trouvons une ligne en blanc, tandis que tous les vers des odes 2 et 3 se suivent, comme si elles formaient une seule pièce. Une telle réunion des deux pièces se rencontre, outre *O*, dans les mss. *G R M B La A C*; dans *G R M* l'ode 2 est précédée du titre *Fletus passeris lesbie.*[2]) Ces lignes en blanc que les mss. laissent entre les pièces, pour y mettre un titre, indiquent que dans leur archétype les pièces avaient été séparées.

Quant aux odes 2 et 3 non séparées dans les mss. provenant de l'archétype perdu de Vérone, les éditeurs les ont séparées d'après le sens. Cependant, dans certains mss., nous trouvons en marge du v. 1 de l'ode 3 le signe $\overline{\vee}$ qui figure, dans le ms. *O*, aussi en marge du v. 11 de l'ode 2 (Baehrens p. 5). On ne saurait préciser de quelle époque provient ce signe. Tandis qu'il n'apparaît que deux fois dans *O*, il est plus fréquent dans *D.*[3]) Aussi est-il délicat de deviner ce que veut dire ce signe. Il se peut qu'il ait été mis par un lecteur attentif à l'époque de la Renaissance, pour attirer l'attention sur la difficulté de ce passage. Cette supposition est autorisée par le fait que dans certains *codices deteriores* nous trouvons une lacune entre 2, 10 et 2, 11.

Étant donné que, dans les mss., les 31 vers se suivent sans intervalle, on pourrait songer qu'ils forment une seule ode: le v. 2,1 revient comme 3,4, ce qui n'est pas très rare dans Catulle[4]), le passereau et l'amante constituant le thème d'un bout à l'autre. Une telle supposition serait inexacte et il est aisé de distinguer deux pièces dont la première se rapporte au passereau vivant, la seconde déplore la mort de

[1]) A. Morgenthaler, *De Catulli codicibus*, Argentorati 1909, p. 12.
[2]) E. Baehrens, *Catulli Veronensis liber*, Lipsiae 1893, p. 4.
[3]) C. 3, 16, 38, 41, 43, 47, 48, 60, 66.
[4]) J. Oko, *Catulliana et Horatiana*, Vilnae 1924, p. 24 ss.

l'oiseau. Il est hors de doute que la seconde pièce commence avec 3,1. Ce point de vue est d'accord avec la tradition depuis l'édition princeps (1472). Cependant, Guarin a remarqué, dès le XV^e siècle, que la pièce 2 finit avec le v. 10 et il a considéré comme un fragment les trois derniers vers de cette pièce. Un peu plus tard, en 1566, Statius releva, avec raison, qu'il n'y a pas de rapport entre les vers 11—13 et les vers précédents.

Il serait vain de rappeler comment les commentateurs ont tenté de résoudre cette question, car malgré leurs efforts le problème attend encore sa solution. Cette difficulté provient de l'erreur du copiste de *V* ou peut-être de son modèle plus ancien. Je crois inutile de présenter ici une hypothèse pour expliquer la transposition des vers dans cette composition qui a altéré le texte. Des hypothèses de ce genre ont été émises depuis Lachmann, mais elles n'ont abouti à rien de satisfaisant[1]) ainsi que les recherches de M. Pleitner qui admet l'existence d'un ms. perdu *M.*[2])

Pour obtenir un résultat réel, il faudrait introduire une correction qui rétablirait le texte de la pièce par une transposition des vers. Des telles corrections des mss. de Catulle ont été déjà tentées et elles sont parfaitement légitimes. Beaucoup de ces corrections ont été jugées erronées (p. ex. celle de Th. Mommsen qui transpose 29,21—24 après v. 10; celle de Lachmann qui transpose 30, 4—5 après v. 12, 61,8 après v. 106, 61,80 après v. 110 etc.); néanmoins on ne saurait condamner en principe cette méthode, grâce à laquelle on a corrigé de nombreux passages. Ainsi dans la pièce 54 nous trouvons, dans le ms. *V*, après v. 1, les vers appartenant à la pièce 50,16—17 qui y ont été mis à tort. Dans les mss. *O G M R A B C La*, les vers 61, 196—200 figurent après v. 205, l'ordre exact a été rétabli par J. Scaliger[3]) que les autres éditeurs ont suivi. Dans les meilleurs mss. même l'ordre des vers n'est pas toujours identique, p. ex. les vers 64, 379—380 sont omis complètement dans *O*, tandis qu'ils figurent dans *GM*. Les mss. *VM* donnent, après le vers 64, 386, le vers 67, 21

[1]) A. Riese, *Die Gedichte des Catullus*, Leipzig 1884, p. XXXVII.

[2]) K. Pleitner, *Studien zu Catullus*, Dillingen 1876; cf. Dr. F. Schröder, *Catulliana*, Progr. Cleve 1892.

[3]) Scaliger, *Castigationes in Catullum, Tibullum, Propertium*, in Bibliopolio Commeliniano 1600, p. 62.

qui altère le texte d'une manière manifeste et qui a été supprimé par tous les éditeurs. La pièce 84 montre qu'il est quelquefois légitime et même nécessaire de transposer les vers d'un ms.; ainsi les vers 9—10, dans les mss. *VM*, ont été mis après le v. 2 par Politien et il a été suivi par tous les autres éditeurs. On pourrait citer encore d'autres pièces dans lesquelles les vers ont été intervertis, et déjà Aulu-Gelle (*N. A.* VI 20, 6) constate de grandes fautes et lacunes dans les mss. de Catulle [1]). Cette constatation [2]) justifie notre idée de reconstituer la pièce 2.

Dans cette pièce, le mot *ludere* (v. 9) se rapporte au v. 2 *quicum ludere*, le v. 10 continue l'idée du v. 9; par conséquent les vers 2, 1—10 sont étroitement liés. Restent les vers 2, 11—13 dont le rapport avec les précédents n'est pas certain. On ne peut pas enchaîner les vers 11—13 au vers 9—10: le subj. *possem* (v. 9) à côté de l'indic. *tam gratum est mihi* (v. 11) et le sens ne le permettent pas. En outre, M. Friedrich a raison de considérer que les vers 9—10 terminent la pièce 2 [3]), car nous trouvons souvent des conclusions analogues chez Catulle.

Les vers 11—13 ne forment pas une pièce complète. Tout au plus on pourrait les considérer comme un fragment d'une pièce dont le commencement s'est perdu. Telle est l'opinion de certains éditeurs comme Guarin, Rossbach, Kroll, Lafaye [4]).

Avant d'aborder cette question, nous étudierons plus en détail les vers 1—10. Il est évident que les infinitifs *ludere, tenere, dare, incitare* se rapportent à *solet*, mais la suite offre de graves difficultés. Après l'apostrophe au passereau (v. 1—4) suivent les vers 5—6 qui commencent une nouvelle idée et qui ne s'enchaînent pas au v. 4. Les vers 7—8 sont encore plus difficiles à expliquer. Certains érudits admettent

[1]) Haupt, *Index lect. Berol.*, aest. 1857.

[2]) Baehrens, *Catulli Ver. liber*, Proleg., p. LXXII.

[3]) Friedrich, *Catulli Ver. liber*, Leipzig und Berlin 1908, p. 83; cf. R. Westphal, *Catull's Gedichte*, Breslau 1870, p. 51.

[4]) A. Guarini Ferrariensis, *Expositiones in C. V. Catullum Veronensem*, Venetiis 1521; Rossbach, *Q. V. Catulli Veronensis liber*, Lipsiae 1857, adnot. crit. VIII; W. Kroll, *C. V. Catullus*, Berlin 1923, p. 4; Lafaye, *Catulle Poésies*, Paris 1922, p. 3.

une lacune après le v. 6 [1]), d'autres après le v. 8 [2]), et ils présentent différentes conjectures. Dans les mss. *VM* nous lisons au v. 7 *et solaciolum*, l'édition d'Alde donne *ut solaciolum*, Ferd. Hand propose *est* pour *et* [3]), Jacobs *es*, Döring *ad*; mais ces corrections n'ont satisfait personne.

On a essayé même de changer l'ordre des vers. A. Statius l'a fait, le premier, en mettant le v. 7 après 1 [4]). Munro [5]) oppose *dolor* à *gravis ardor*, il change *et* en *sit* et intervertit les vers 7 et 8:

> Credo, ut cum gravis acquiescet ardor,
> Sit solaciolum sui doloris.

M. Friedrich (p. 86) joint le v. 6 au v. 7 ce qui donne la construction suivante: *cum desiderio meo nitenti lubet* 1° *iocari* (*nescioquid carum*), 2° *et solaciolum* (*sui doloris*). Cette construction n'est pas impossible, mais, comme remarque M. Kroll (p. 4), elle correspond assez mal au style de Catulle. M. Kroll rejette donc l'opinion de M. Friedrich; il considère *solaciolum* comme vocatif, apposition de *passer* à côté de *deliciae*. En voici son explication de la pièce: après le vocatif suivent trois propositions subordonnées, ensuite une proposition temporelle, suivie d'une seconde apposition avec une parenthèse et d'une conclusion. Il n'y a pas de doute que cette explication alourdit un peu la construction et altère l'harmonie de la pièce. D'ailleurs M. Kroll (p. 4) lui-même avoue que *tum* (v. 8) offre une difficulté.

Nous voyons donc que les vers 1—10 sont loin de présenter un ensemble cohérent, en particulier il n'y a pas de rapport entre le v. 6 et 7 et le v. 8 paraît isolé. Et comment expliquer les vers 11—13?

Ainsi les efforts tentés jusqu'à présent n'ont pas abouti à un résultat satisfaisant [6]), et par conséquent, il importe de

---

[1]) Heyse, *Catullus*, Berlin 1855.

[2]) Rossbach, adnot. crit., p. VIII: *post verba acquiescet ardor unus vel plures versus excidisse videntur.*

[3]) Ferd. Hand, *Observationes criticae in Catulli carmina*, Lipsiae 1809, p. 40.

[4]) A. Statius, *Catullus*, Venetiis 1566.

[5]) Munro, *Criticisms and Elucidations of Catullus*, London 1905, p. 8; cf. R. Ellis, *A Commentary on Catullus*, ²Oxford 1889, p. 8.

[6]) Je considère comme erronée la conjecture de M. Birt Ind. lect. Marpurgi 1895, p. IX, qui met les vers 9—13 dans la bouche de Lesbie, en corrigeant au v. 9: *Tecum ludere sic, ut ipsa possum.*

résoudre d'abord la question s'il faut reconstituer la pièce avec les vers 1—10 seulement, ou bien prendre aussi en ligne de compte les trois vers qui suivent.

Nous savons déjà que les critiques séparent généralement les vers 11—13 de la pièce 2, en la privant de la belle comparaison avec Atalante. Certains critiques, comme Guarin, Rossbach, Kroll, considèrent ces trois vers comme fragment d'une pièce perdue qui figurait entre la pièce 2 et 3; d'autres les rattachent à différents fragments ou pièces: p. ex. Avanti les place après 16, 13, Fröhlich les joint à la pièce 38, Pleitner (*De Cat. epith.* p. 90) et Klotz (*Em. Cat.* p. 14) et, à leur suite, Friedrich au fragment 14 b, ce que Kroll (p. 5) traite de jeu puéril.

Le plus important argument qu'on allègue en faveur d'une séparation des vers 11—13 de la pièce 2 est le manque de rapport de ces vers avec les précédents. Cet argument serait absolument concluant, si nous étions forcés d'accepter le texte tel quel. Il est parfaitemant vrai qu'après les vers 9—10 qui terminent la pièce d'une manière caractéristique pour Catulle (cf. 1, 9 ss., 28, 14 ss., 38, 7 ss. etc.), une addition mythologique serait mal à propos. Le second argument, allégué par ceux qui veulent prouver que les vers 11—13 sont un fragment d'une ode perdue, est le fait que Catulle intercale d'ordinaire entre deux pièces à contenu apparenté une pièce différente [1]). Si nous admettons l'existence d'une pièce imposée entre la pièce 2 et 3, il faut admettre aussi une lacune entre les vers 10 et 11. Mais une telle supposition n'est pas indispensable, car nous trouvons, dans l'oeuvre de Catulle, assez souvent des pièces à contenu apparenté l'une après l'autre (cf. 75—76. 88—89—90. 114—115) et, d'autre part, des pièces à contenu apparenté séparées par plusieurs pièces différentes (73—77. 77—78. 79—83).

Cette constatation nous permet de considérer les 13 vers comme une pièce. Sans les trois derniers vers qui contiennent une allusion à Atalante, la pièce perdrait beaucoup de sa beauté: on pourrait s'étonner pourquoi le poète l'ait mise en tête de son recueil qui en reçut le nom (cf. Martial IV 14, 14 et XI 6, 16). Essayons donc de reconstituer la pièce 2 en y introduisant une petite transposition de vers qui permettra d'obtenir un sens satisfaisant.

[1]) Richter, *Catulliana*, Prog. Leipzig 1881, p. 2.

1 Passer, deliciae meae puellae,
2 Quicum ludere, quem in sinu tenere,
3 Quoi primum digitum dare adpetenti
4 Et acris solet incitare morsus:
5 Cum desiderio meo nitenti
6 Carum *nescioquid lubet iocari*,
7 [11] Tam gratum est mihi, quam ferunt puellae
8 [12] Pernici aureolum fuisse malum
9 [7] Et solaciolum sui doloris,
10 [13] Quod zonam soluit diu ligatam;
11 [8] Credo, tum gravis acquiescet ardor.
12 [9] Tecum ludere sicut ipsa possem
13 [10] Et tristis animi levare curas.

Cette nouvelle reconstitution s'efforce de faire un tout de l'ode 2 avec les vers 11—13, en s'écartant le moins possible de la tradition manuscrite. Son originalité consiste dans le fait qu'elle considère que les vers 11—13 appartiennent à l'ode 2, tout en admettant que le v. 10 doit terminer la pièce. Notre reconstitution ne change pas la suite des vers 1—10, et se borne seulement à intercaler les vers 11—12 après le v. 6, et le v. 13 après le v. 7.

Pour justifier cette rédaction, nous analyserons l'enchaînement d'idées dans cette pièce. La pièce ainsi reconstituée comprend deux phrases. La première exprime l'idée: *passer, cum desiderio meo nescioquid lubet iocari, gratum est mihi...*, la seconde exprime le désir du poète de jouer avec le passereau, comme le fait sa bien-aimée. Ainsi nous arrivons à établir un rapport entre tous les vers. Les quatre premiers vers adressent une apostrophe au passereau et montrent la dame jouant avec son oiseau. Le poète brûle de voir sa bien-aimée, mais, malheureusemant, elle est mariée et une rencontre est impossible. Le poète s'imagine qu'il est également aimée et que Lesbie désire aussi de le voir. Elle joue avec le passereau et lui présente son doigt pour calmer son désir douloureux (*gravem ardorem*) par piqûre. Le poète savoure cette scène, tout en regrettant qu'il ne peut pas soulager les chagrins de son amie et les siens. Ensuite, il introduit une comparaison avec Atalante dont l'histoire est bien connue (Friedrich p. 85). Cette comparaison convient très bien à une chanson d'amour. Le v. 9 (c.-à-d. 7) qui présentait tant de difficultés, de sorte qu'on ne savait pas si *solaciolum* devait être considéré comme une seconde apposi-

tion (à côté de *deliciae*), ou bien comme un second sujet de *lubet* (à côté de *iocari* v. 6), n'offre aucune difficulté maintenant, si nous rattachons ce vers au v. 8 (=12). Les vers numérotés jusqu'à présent comme 11—13, s'expliquent maintenant, car la comparaison contient l'idée suivante: „Quand mon amie s'expose à la souffrance en jouant, je suis si aise comme l'était Atalante qui, pour avoir la pomme d'or, sa consolation (*solaciolum*) dans le chagrin, a dénoué son bandeau virginal qu'elle portait longtemps". En suivant la poésie alexandrine, Catulle croit qu'Atalante a profité du prétexte pour s'arrêter, car l'échec à la course serait compensé par une union avec son amant. La conclusion de la pièce est d'une beauté vraiment exceptionnelle, digne d'un vrai poète:

Tecum ludere sicut ipsa possem
Et tristis animi levare curas.

Le poète, comme Atalante et comme son amie, a des soucis, *tristis animi curas;* il voudrait s'en délivrer à l'exemple de son amante. Le vers 11 de notre reconstitution (=8) est une proposition incidente qui se rattache aux vers précédents, de sorte qu'il est superflu de changer la leçon conservée, excepté *tum* au lieu de *ut cum* (Friedrich p. 87, Kroll p. 4). Logiquement, il faut considérer que *gravis ardor* exprime les chagrins de Lesbie et non pas ceux de Catulle. En effet, on insiste sur les chagrins d'Atalante (*et solaciolum sui doloris*) tandis qu'il n'est pas question des chagrins de l'amante; d'autre part, si l'on rapportait le v. 11 (=8) au poète, il en résulterait une tautologie, car *gravis ardor* et *tristes curas* constitueraient une répétition inutile.

Il me paraît évident que les trois éléments de la pièce, c.-à-d. les sentiments de Lesbie, d'Atalante et du poète, ont la même source: le chagrin amoureux que chacune de ses personnes veut guérir. Ce thème de souffrance s'accentue dans toute la pièce et la comparaison avec Atalante, empruntée à la mythologie, est tout à fait à propos dans une chanson d'amour. Atalante, présentée comme exemple d'un grand amour, n'apparaît pas pour la première fois chez Catulle. Nous la rencontrons déjà chez Théocrite, dans le chant III, ou bien chez Ovide, *Metam.* X 560—707, où Atalante *concipit ignes* et cède volontiers à son charmant adversaire. Baehrens croit

que le poète n'a pas pu se comparer avec Atalante et il remarque (p. 80): *mala Atalantae tulerunt nuptias, quid avicula Catullo?* J'estime que ce savant éditeur et commentateur de Catulle se trompe, car il ne s'agit pas ici d'un profit réel, mais d'un soulagement au moins momentané. La comparaison ainsi comprise s'accorde parfaitement avec la conclusion de l'ode, où le poète dit qu'il voudrait jouer avec le passereau pour soulager sa peine.

A cette reconstitution on pourrait reprocher d'abord qu'elle interrompt la proposition principale de sorte qu'il est difficile de la démêler: *passer* (v. 1), *cum desiderio meo nitenti nescioquid lubet iocari* (v. 5—6) *tam gratum est mihi...* Il est vrai que les phrases de Catulle sont d'ordinaire claires, son style naturel, mais on peut trouver pareillement des phrases aussi longues et même plus longues: 7, 3—12, 11, 1—16 etc. On a dit souvent que la comparaison mythologique qu'on trouve ici gâterait la simplicité et sincérité de cette chanson. Certes, Catulle n'étale pas volontiers son érudition et évite l'emploi de la mythologie dans ses poésies. Les réminiscences mythologiques se rencontrent rarement dans ses petites pièces, mais elles ne font pas complètement défaut, p. ex. 3. 4, 26—27. 13, 11—12. 24, 4—5. 27, 7. 29, 7—8. 34. 36. 45. 46, 2—3. 50, 20—21. 55. 60, 1—2. 74, 4. 88, 5—6. 102, 4. 105, 1—2. 115, 13.

Par conséquent, on ne peut pas en conclure que la comparaison avec Atalante ne soit pas ici à sa place, d'autant plus que les trois vers mythologiques (2, 12—13) sont certainement authentiques et le vers 13 est attesté par Priscien (p. 16 H.). La comparaison est en rapport avec le contenu de la pièce, et la complainte du passereau (*Carm.* 3), qui, d'après la chronologie, suit probablement de près notre pièce, contient aussi un élément mythologique.

Comme aucune des reconstitutions, proposées jusqu'à présent, n'a donné de résultat satisfaisant, il est légitime d'en tenter une autre. La reconstitution que je propose est basée sur les analogies avec d'autres pièces et sur les signes en marge qui semblent indiquer que les vers 11—13 ne sont pas à leur place. Il me semble que notre reconstitution offre un ensemble homogène et bien enchaîné. Tel était ou au moins pouvait être le texte authentique de la pièce 2 de Catulle.

DE DINOSI II

scripsit
IOANNES SMEREKA

3. Quae potissimum orationis partes dinosin accipiant.

Priusquam propriam huius capitis rem persequamur[1]), cum δεινώσεως colorem imprimis accusatoris, tum illum ἐλέου praecipue defensoris esse, quamvis orator in defensione quoque indignationis locos in rem suam convertere possit, praemonendum ex re videtur (cf. Aristot. *A. rhet.* II 24 p. 1401 b 3). Attamen γένος κατηγορικόν talem iam vim ac naturam habet, ut dinosis ibi praeter alios colores primas agat partes[2]). Itaque rhetores oratori defensoris munere fungenti, imprimis illa rhetorica additamenta quae, tametsi aut cum facinore ipso arte non sint coniuncta, aut cum eo nihil commune habeant, ab accusatore tamen crimini artificiose suggesta sint, ex adversarii oratione expiscanda et explanate iudicibus explicanda esse docent[3]).

---

[1]) De tragoedia et historia monendum est hoc: Materia quae extrinsecus rei augendae consulto a poeta tragico suggeri potest, vel in fabulae compositione (συστάσει τῶν πραγμάτων, Arist. *Poet.* XIV p. 1453 b 2), vel in personarum natura (διανοίᾳ, *ibd.* VI p. 1540 a 6), vel in apparatu scaenico (ὄψει *ibd.* XIV p. 1453 b 1) quaerenda est. Aristoteles compositionem ὄψει potiorem habet *(Poet.* XIV p. 1453 b 3) et inter eius adminicula ἀναγνωρίσει primas partes tribuit *(ibd.* XI p. 1452 a 29). Atrocitatis color, si de συστάσει agitur, investigandus est primum in rerum crudelium descriptionibus, deinde in personarum sententiarum, consiliorum, morum adumbrationibus (huc cadit illa διάνοια de qua Arist. *Poet.* VI p. 1450 a 6 et XVIII p. 1456 a 37 dicit), tum imprimis in nuntiorum orationibus et chori tamquam separati actoris personam in fabulis gerentis (Arist. *Poet.* XVIII p. 1456 a 18), sermonibus, ubi profecto rerum atrocissimarum narrationes φόβον, θαῦμα, τερατώδες prae se ferentes vel ipsas διατυπώσεις saepius exponi constat, e. gr. Eurip. *Bacch.* 666 sq. 1077 sq. Vim autem ac potestatem dinosis in historia intuentes, hunc colorem eo modo a scriptoribus effici comperimus, quod primum feritatis (ὠμότητος) cuiusdam hominis amplificandae causa criminibus eius materies extrinsecus suggeratur, quod deinde omnes calamitates, pugnae, caedes, urbium expugnationes in maius extollantur, post quod mortes exitusque excellentium hominum tragico more ornentur, tum ad extremum omnia monstruosa (τερατώδη) explanentur.

[2]) Cf. Macrob. *Saturn.* IV 2: „...quae a Graecis οἶκτος καὶ δείνωσις appellatur; horum alterum accusatori necessarium est, alterum reo".

[3]) Ut Longinus (183, 12 Sp.-H.); quae hic praeterea de facinore extenuando tradit quae ceterum dinosis locis similia sunt, hac a quaestione aliquatenus

Sed ad propositum accedamus. Quoniam dinosin certum semper locum in orationum epilogis — vi scilicet latiore sumptis, qui post argumentationem locum occupant — uno rhetorum consensu obtinere comperimus[1]), proximum est, ut,

---

aliena esse videntur: δῆλον δὲ ὅτι καὶ καθαιρεῖται τοῦ πράγματος τὸ μέγεθος καὶ ἡ ἀξία τῷ ἐναντίῳ, ὅταν ἐλέγχῃς τὴν αὔξησιν τοῦ κατηγοροῦντος καὶ τοὺς λόγους καὶ τὰ παλαίσματα τῆς τέχνης,ἀφαιρῶν μὲν αὐτοῦ τὰ μὴ γενόμενα, μόνα δὲ τηρῶν τὰ πεπραγμένα, καὶ ταῦτα ἐλαττῶν τοῖς σμικροτέροις ἀπείκαζε καὶ δείκνυε, ὅτι οὕτως ἂν πᾶν παντὶ ὅμοιον γένοιτο καὶ τὸ σμικρότατον τῷ μεγίστῳ, εἴ τις τὰ μὴ συμβάντα διεξίοι, καὶ λογίζοιτο ὡς γεγονότα, καὶ τῶν αὐτῶν τιμημάτων καὶ κολάσεων πάντα δεήσεται. τοῦτο δὲ τῶν ἀδικωτάτων, μίαν τιμωρίαν εἶναι πᾶσι τοῖς ἀδικήμασι. τοιαῦτα πρὸς τὴν αὔξησιν λεκτέον, καὶ διὰ τούτων τὸ πρᾶγμα σμικρότατον ποιεῖν ἐπιχειρητέον, ἐξ ὧν τὴν ὀργὴν τῶν δικαζόντων πιθασσεύοντες ἐκλύσομεν. Accusatorem igitur et defensorem et similibus et iisdem armis contendere posse et pugnare animadverti debet. Recordarisne, quomodo Lysias (I 27) dinosin adversariorum notet? ...ἀλλ' αὐτοὶ ψευδόμενοι καὶ τὰ τοιαῦτα μηχανώμενοι ὀργὰς τοῖς ἀκούουσι κατὰ τὰ δίκαια πραττόντων παρασκευάζουσι; cf. Antiph. *Tetr.* I 2, 1 et 4, 2.

[1]) Cum nescio quae partes perorationis distinguantur. Isocrates duas huius partes ἀνακεφαλαίωσιν et πάθη (cf. Paulum Wendland, *Studien zur ältesten Geschichte der Rhetorik* (Festschrift f. d. XLVIII Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner in Hamburg, Berolini 1905, 43), ubi dinosis sine dubio latet (cf. locos communes ab ipso usurpatos), admittit. Anaximenes sicut Theodectes qui ante fuit, tres eius partes esse non ignorat. Quae is de perorationis auctoritate inde fensione disserat, cum maioris sint ponderis, afferenda puto (c. 3 p. 95, 18 Sp.-Ham.): ἀλλὰ καὶ πρὸς ἡμᾶς τοὺς κριτὰς εὖ διαθεῖναι καὶ πρὸς τοὺς ἐναντίους κακῶς, ubi verbis κακῶς sc. διαθεῖναι certo φθόνος et ὀργή, igitur affectus dinosis proprii, subesse videntur; cf. *ibd.* (96, 22 Sp. - Ham.): διαβαλοῦμεν δὲ τοὺς ἀντιδίκους καὶ φανεῖσθαι ποιήσομεν ἐκ τῶν ἐναντίων τούτοις, ἀποφαίνοντες ὑπὸ τούτων ἢ τῶν τούτοις φίλων τοὺς ἀκούοντας ἢ ὧν αὐτοὶ κήδονται, κακῶς πεπονθότας ἢ πάσχοντας ἢ πεισομένους παρὰ τὸ προσῆκον. ἐκ γὰρ τῶν τοιούτων καὶ μῖσος καὶ ὀργὴν πρὸς αὐτοὺς ἕξουσιν. Aristoteles quattuor epilogi munera (praeter Anaximenis αὔξειν et ταπεινοῦν) percenset et inter πάθη post misericordiam dinosin collocat *(A. rhet.* III 19 p. 1419 b 26). Sed omnino tres perorationis gravissimae partes, primum ἀνακεφαλαίωσις (*ἀνάμνησις, enumeratio, recapitulatio),* deinde δεῖνωσις *(amplificatio, indignatio),* tum ἔλεος *(commiseratio)* semper fere a rhetoribus enumerantur. Cf. etiam O. Navarre, *Essai sur la Rhétorique grecque avant Aristote,* Parisiis 1901, p. 279 *adn.* 2. Nos igitur magna e copia harum explicationum eas solum dignas quae afferantur, putamus, ubi dinosis vis imprimis a rhetoribus expressa sit, ut Auctoris libelli *ad Herennium* scripti (II 30, 47): *Conclusiones... tripertitae sunt. Nam constant ex enumeratione, amplificatione et commiseratione. Amplificatio est res, quae...* Ciceronis *(De inv.* I 52, 98): *...Haec* (sc. conclusio) *habet partes tres, enumerationem, indignationem, conquestionem,* Quintiliani *(Inst. or.* VI 1, 52): *...cum sit maxime pars epilogi amplificatio.* Incerti rhetoris (qui duas epilogi partes distinguit, dinosin, quamquam ea ibi aliis verbis, ῥωννύειν τὸν λόγον, significatur, alterius eius partis maxime propriam iudi-

qua in re huius rei posita sit causa, videamus. Quod cur factum esset, duae res gravissimi fuerunt momenti: nam et indignationis proprietas et epilogi vis atque in oratione condicio eius modi erant, ut quod ad orationes iudiciales aut veras aut fictas spectabat, mirum quantum maxime conecterentur. Primum igitur dinosis naturam et potestatem in rebus malis et criminibus omni modo amplificandis, ut audientium animi ira atque odio afficerentur et misericordiae affectus removerentur, versatam esse supra monuimus. Deinde epilogi auctoritatem ex orationis partibus plurimum valere debuisse vel inde apparet, quod peroratio qua tota oratio claudebatur, et optime audientium animo et diutissime eorum memoria tenebatur. Tum enim appropinquabat tempus quo iudices de ipso facinore suffragia laturi et iudicium facturi erant[1]). Itaque perorationi quae pro tota oratione valebat, oratores gravissimum et validissimum artis rhetoricae instrumentum semper reservarunt[2]). Propterea igitur orator facinore in narratione exposito argumentisque in propria orationis parte allatis, ad crimen adumbrandum quod prorsus aliter atque in narratione proponebatur, ex industria rursus accedebat, cum plurimum eius interesset,

---

cat, 388, 15 Sp.-H. cf. 393, 7): Ἔργον δὲ ἐπιλόγου ἢ προϋπάρχοντα πάθη αὐξῆσαι ἢ ἐμποιῆσαι μὴ ὄντα. μεγάλην δὲ ἔχει ῥοπὴν ἐν τοῖς ἐπιλόγοις ἡ αὔξησις. Cf. praeterea 352, 10. 387, 21. 388, 3. Sp.-H., Apsinis (296, 14 Sp.-H.): Ὁ ἐπίλογος τρόπος τριμερής ἐστιν. ἔχει γὰρ καὶ ἀνάμνησιν τῶν εἰρημένων καὶ ἔλεον καὶ δείνωσιν. ἡ δέ δείνωσις κατὰ τὴν αὔξησιν θεωρεῖται; Ruphi (qui αὔξησιν et ὀργὴν componit: I 470, 2 Sp.): Ἐπίλογός ἐστιν ὁ ἐπὶ τοῖς ἀποδεδειγμένοις λόγοις λεγόμενος πρὸς αὔξησιν ἢ ὀργήν, ἢ περὶ τὸν δικαστήν ἢ τὸν ἐναντίον, ἤτοι πρὸς ἀνάμνησιν... Fortunatiani (119 H.): *Quot partes sunt epilogorum? tres...* δείνωσις *id est indignatio*, οἶκτος... Nicolai (III 475, 5 Sp.): Ἴδιον δὲ ἐπιλόγων τὸ δεινώσεις παραλαμβάνειν... Marcellini (IV 422, 27 W.): λόγος ἐπὶ προειρημέναις ἀποδείξεσιν ἐπιλεγόμενος, ἀθροισμὸν πραγμάτων καὶ ἠθῶν καὶ παθῶν περιέχων... ἢ λόγος ἐπιῤῥωννύων τὰ εἰρημένα. Cf. IV 422, 30 W. κατὰ δὲ Μενουκιανόν, λόγος δείνωσιν ἢ μείωσιν ἔχων τῶν πεπραγμένων, ἐν ᾧ καὶ ἡ καλουμένη διατύπωσις καὶ διασκευὴ πάθος κινοῦσα καὶ πρὸς ἐναργῆ τῶν πεπραγμένων ἐξέτασιν τὸν δικαστὴν ἐπάγουσα. Scholiastae in Aphthonium (II 614, 5 W.): ἴδιον δὲ ἐπιλόγων τὸ δεινώσεις παραλαμβάνειν...

[1]) Nonne ergo in promptu est, ultimam orationis vim talem esse debuisse, ut tamquam in visceribus audientium haereret, quod ex extrema orationis parte non solum argumentorum pondus, verum etiam incertus saepe iudicii eventus pendere soleret?

[2]) Cf. etiam H. Blair, *Lectures on Rhetoric and belles lettres*, Londinii 1858, 383.

ut crimine brevissime in ἀνακεφαλαιώσει commemorato, idoneum sibi tamquam fundamentum iaceretur, unde et omnia additamenta quae cum facinore et reo hoc solum modo coniungerentur, ut dinosis adminicula essent, e rhetorico penu dissiparet totumque indignationis aculeum in accusatum emitteret. Quam etiam ob rem illa δεινώσεως definitio quae prima apud Aristotelem (*A. rhet.* II 24 p. 1491 b 3) obviam venit, a rerum veritate discedere non videtur: ...ὅταν μὴ δείξας ὅτι ἐποίησεν, αὐξήσῃ τὸ πρᾶγμα. Quod autem, quoniam et cum dinosis natura et epilogi ratione maxime consentaneum erat, ab Aristotele qui facere non poterat, quin eos qui ante fuissent rhetores hac in re sequeretur, in artem rhetoricam receptum est. In epilogo enim non de narratione, sed facinoris exaggeratione agebatur, ut Anaximenes quod ad εἶδος κατηγορικόν attinebat, aperte docuit (c. 4 p. 31, 19 Sp.-Ham.): ὅταν δὲ οἱ δικασταὶ τὸ κατηγορούμενον εἰδῶσι, αὐξητέον ἐστι τὰ ἀδικήματα... Cum autem peroratio gravissimus orationis locus fuerit, non est mirandum aliquas res ut διάνοιαν vel ἄλλον βίον accusati ab oratoribus hic tum primum commemoratas et rhetoricum in modum explicatas esse.[1]) Quae cum ita sint, dinosis et epilogi pro huius proprietate et illius condicione summum quasi consensum atque insitum fere concentum fuisse et, cum epilogi historiam eandem atque huius coloris esse, tum gravissima de peroratione praecepta ad dinosin praecipue spectare animadvertendum est. Color enim commiserationis tamquam effectu facilior non tantum quantum indignatio apparatum rhetoricum exigebat. Quibus omnibus rebus factum est, ut quemadmodum ille color a sophistis praecipue tractaretur et accurate excoleretur (Thrasymachus Chalcedonius)[2]) et gravissimis εἴδεσι

[1]) ut Lysiae VI 50. XII 96—97 et Isaei VIII 40—44 in memoriam redigam

[2]) Prima manualia rhetorica nihil aliud nisi locorum communium (loci ubi causae fictae tractabantur et iuvenum memoriae mandabantur, ut ex Aristot. *Top.* 34 p. 183 b. 36 elucet, ubi praeterea amplificatio primas agebat partes, a Gorgia, Protagora, Antiphonte, Lysia conscripti sunt) atque epilogorum (praeter locos communes iam mature epilogorum collectiones ab Antiphonte, Thrasymacho, Critia, fortasse et Demosthene compositae sunt), vel prooemiorum praecipue a sophistis constructae collectiones fuerunt, ubi hi viri docti cum in laudationibus et vituperationibus tum in amplificationibus et deminutionibus aliquarum rerum tractandis versabantur. Cur autem rhetores imprimis perorationes componendi arte iuvenes erudiverint, non est, quod miremur: epilogi enim, cum non tam arte ad rem in ipsa oratione tractatam pertine-

λόγων adnumeraretur (Platon), item plurimae epilogorum collectiones essent et perorationum atque κοινοῦ τόπου singularia praeexercitamenta[1]), ubi principes indignationis loci exhiberentur et in scholis studiosissime curarentur[2]).

---

rent, et extrinsecus potius materiam sumerent et per locos communes ad omnia fere argumenta accommodari ac iam primum sine praecedentibus orationis partibus componi possent, difficilioribus orationum partibus ob hanc causam adnumerati sunt, quod in iis artis rhetoricae praecepta praecipue oratoribus respicienda erant.

[1]) Ex κοινοῦ τόπου et perorationum explicationibus (cf. Ruphum p. 470, 2 Sp.: Ἐπίλογός ἐστιν ὁ ἐπὶ τοῖς ἀποδεδειγμένοις λόγοις λεγόμενος πρὸς αὔξησιν ἢ ὀργὴν ἢ περὶ τὸν δικαστὴν ἢ τὸν ἐναντίον. Longinum 182, 21 Sp.-H.: αὐξῆσαί τε τὸ ὁμολογηθέν) satis superque elucet huius illiusque rationem simillimam esse. Adde quod rhetorum ipsorum testimoniis qui inter κοινὸν τόπον et ἐπίλογον nullam differentiam intercedere putant, unum atque idem comprobatur, Theon (II 106, 29 Sp.): ὥστε ἀποκοπὴν εἶναι δοκεῖν καὶ μέρος λόγου ἑτέρου προειρημένου, καὶ οἷον ἐπίλογόν τινα μετ' ὄγκου τῶν ἤδη προαποδεδειγμένων; Aphthonius (II 32, 24 Sp.) δευτερολογίᾳ δὲ ἔοικε καὶ ἐπιλόγῳ (cf. *Schol. in Aphth.* (II 614 W.); Nicolaus (III 470, 17 Sp.) οὗ sc. ἐπιλόγου πρὸς ἄσκησιν ὁ κοινὸς ἡμᾶς γυμνάσει τόπος (cf. *ibd.* 472, 12).

[2]) Hi loci communes et epilogi et θέσεις quae omnia a sophistis et antiquissimis rhetoribus (cf. G. Reichel, *Quaestiones progymnasmaticae*, diss. Lipsiae 1909, p. 10) exculta erant, in rhetorum scholis usque ad antiquitatis exitum exercebantur, sed eorum studia ac rationes fecundiores atque accuratiores sensim fiebant, praesertim cum ab anno 300 a. Chr. n. vera ars oratoria ex foro et iudiciis intra scholarum parietes se recipere et novum genus dicendi, Asianum nominatum, quod ex veterum oratione sophistarum originem ducere multosque fructus inde percipere videtur (cf. E. Norden, *Die antike Kunstprosa*, Lipsiae 1898, p. 126 et 138), maiorem auctoritatem habere inciperet. Aetate Augusti iam non solum praeexercitamenta προγυμνάσματα, ubi aut chria, fabula, narratio componebatur aut locus communis explicabatur, aut vir illustris laudabatur, in rhetorum scholas inducta, verum praeterea declamationes etiam suasorias controversiasque continentes i. e. Graecorum γυμνάσματα quae plane a praeexercitamentis seiungebantur (cf. Quint. *Inst. or.* II 10, 1), Caesarum temporibus in rhetorum scholis tractata sunt. Atque cum in controversiis dinosis color in accusatione plurimum valuerit, non est mirandum argumenta quae vel ex vera vel ex fabulari historia sumpta essent, dummodo apta ad amplificationem materia suppeditaretur, a rhetoribus ex industria immutata esse. E magna copia exemplorum unum afferre satis est, ut Senecae *Controv.* VIII 2, ubi exaggerationis efficiendae causa pactum inter Athenienses et Eleos interpositum additur et controversia eo ab historia differt, quod Phidias non necatur, sed mutilatur ab Eleis ut sacrilegus. Maxim. Schamberger, *De declamationum Romanorum argumentis observationes selectae*, Diss. Hal. Saxonum 1917, 19 multa talia exempla collegit.

Sed quamvis in epilogis dinosis color primas egerit partes principemque locum obtinuerit, nulla re impedimur, quominus eum in aliis etiam orationis partibus inveniamus. Nonne enim indignationem et in prooemio et in narratione et in argumentatione[1]) ad quam de exornatione praecepta spectant[2]), occurrere videmus? Nonne unam eximiam dinosin in Lycurgi contra Leocratem et multo acriorem in Demosthenis contra Midiam habita oratione deprehendimus?[3]) Hunc enim rhetoricum colorem, cum pro necessitate ab oratoribus passim usurpatum, ita in epilogo praecipue cum vi adhibitum esse res ipsa declarat. Sed praeterea praecepta quae aperte ad hanc dinosis arripiendae rationem pertinent, proponere liceat; ecce Longini rhetoris verba, quid hac de re senserit, oculis percurras velim (183, 1 Sp.-Ham.): χρηστέον δὲ τοῖς ἐπιλόγοις ὥσπερ καὶ τοῖς προοιμίοις πολλαχῇ. καὶ γὰρ ἐν τοῖς καθ' ἕκαστον ἀποδεικνυμένοις τὸ εἶδος αὐτῶν χρήσιμον, καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ λόγου δραστήριον καὶ καταπρακτικόν, τόν τε δικαστὴν παροξύνει δοῦναι ψῆφον ἣν βούλεται, ἢ τοὐναντίον ὡς ὁ φεύγων παραιτεῖται. Quoniam autem et loci qui cum epilogi natura coniuncti erant, et affectus qui in peroratione praecipue excitabantur, in omnibus orationis partibus proprie admittebantur, ipsum epilogi nomen diverse explicatum esse non opus est mirari[4]). Prae-

[1]) Locos dinosis hic occurrentes habemus e. gr. apud Antiph. *Tetral.* I 1, 5. 3, 4—5. Π. χορ. 49. 51. κατ. φαρμ. 21—27. Lys. XII 36—37. XIII 43—44. Isae. I 38 et 43. IV 19. IX 4. Dem. *Mid.* 41 sq. Lyc. 37 sq.

[2]) Ut Auctor libelli *ad Herennium* scripti dicit (II 29, 46). Secundum eum exornatio constat ex similibus, exemplis, amplificationibus, iudicatis et ceteris rebus, quae ad exaggerandam et collocupletandam argumentationem pertinent. Quam exornationem etiam Anaximenem non ignorasse probabile videtur, nam (15, 1 Sp.-H.) unumquodque τῶν τελικῶν κεφαλαίων τῶν προειρημένων, τῶν ὁμοίων τούτοις, τῶν ἐναντίων αὐτοῖς, τῶν ἤδη κεκριμένων exornandum esse monet. Cf. Aristot. *A. rhet.* II 25 p. 1402 a 36, v. praeterea Claus (Fridericus) Peters, *De rationibus inter artem rhetoricam quarti et primi saeculi intercedentibus*, diss. Kirchainii Lusat. 1907, 18.

[3]) Praecepta ad epilogos pertinentia etiam in aliis orationis partibus committebantur, praesertim cum oratores Attici, quominus in orationum fine affectus excitarent, lege prohiberentur; cf. Quint. *Inst. or.* VI 1, 7. X 1, 107.

[4]) Satis est Incerti rhetoris qui hoc modo epilogi appellationem designat, mirum testimonium affere (394, 8. Sp.-H.): Γνωστέον δέ, ὡς οὐκ ἀπὸ τοῦ παντὶ λόγῳ ἐπιλέγεσθαι, ὥς τινες ᾠήθησαν, ἐπίλογος κέκληται, ἀλλὰ παρὰ τὸ μηκέτι εἶναι μέρος λόγου ἄλλο τὸ μετὰ τὴν διήγησιν καὶ τὰς πίστεις [καὶ τὰ πάθη]. ὅτι γὰρ οὐ διὰ τοῦτο κέκληται ἐπίλογος διὰ τὸ παντὶ λόγῳ ἐπιλέγεσθαι, ἱκανῶς ἐδήλ-

ter ea clara testimonia apud omnes fere rhetores etiam eius modi mentiones extant, unde, licet non aperte de indignationis condimento disputetur, tamen, qua de re agatur, facillime conici potest; ut tamen minus gravia testimonia et Ciceronem[1]) missum faciamus, Quintilianum qui dinosin in omnibus orationis partibus apertissime admittit, laudare placet *(Inst. or.* VI 1, 53): *In aliis autem partibus tractandus erit adfectus, ut quisque nascetur: nam neque exponi sine hoc res atroces et miserabiles debent...* Adde quod Fortunatianus ita iudicat *(A. rhet.* II 31 p, 120 H.*)*; *Peroratione in fine tantum orationis utemur? immo ubicumque materia promisit, et plerumque in digressione principiorum aut narrationis, sed et quaestionum nonnumquam.*

Sed cum de aliis praeter epilogum orationis partibus disserimus, tum potissimum de prooemio et narratione cogitamus, quorum nunc prius intueri liceat. Quoniam clarum est, in initio orationis neque totum apparatum rhetoricum neque omnes indignationis locos communes ab oratoribus adhiberi potuisse, propterea praecepta etiam quae ad exordium pertinebant, eiusmodi fuerunt, ut praesertim de attentionis amplificatione tractarent; nam oratori indicandum et audientibus promittendum fuit se de rebus miris, crudelibus et monstruosis omnino disputaturum esse[2]), unde concludi potest oratori animos in prooemio praeparandos et tamquam viam ad dinosin efficiendam praemuniendam fuisse. Praecepta quae ad attentionis exaggerationem spectant, sunt haec (Anaximenes, *A. rhet.* 66, 6 Sp.-H.): ἆρ' οὖν οὐ τούτοις (sc. προσέχομεν νοῦν), ὅτεν ᾖ ὑπὲρ μεγάλων ᾖ φοβερῶν ᾖ τῶν ἡμῖν οἰκείων βουλόμεθα; — Aristoteles *(A. rhet.* III 14 p. 1415 b 1) προσεκτικοὶ δὲ τοῖς μεγάλοις, τοῖς ἰδίοις, τοῖς θαυμαστοῖς, τοῖς ἡδέσιν... — Auctor li-

λωσαν οἱ ἀρχαῖοι. Et rhetores atque imprimis Demosthenem ad testimonium de ea re dicendum vocat: Δημοσθένης καὶ ἀνακεφαλαιώσατο ἐν μέσῳ καὶ τὰς δεινοτικὰς ὕλας προσέσπειρεν ἑκάστῳ κεφαλαίῳ, ἅπερ ἐστὶ τοῦ ἐπιλόγου. Addendum est illas δεινοτικὰς ὕλας idem atque locos indignationis communes ἀφορμὰς δεινώσεως valere.

[1]) Cf. *Orat.* 35, 122. 38, 131; *De orat.* II 81, 332; *Part. or.* 5, 15; *Top.* 26, 98—99 ubi de affectibus commovendis in universum, scilicet et praeter epilogum disputat.

[2]) Hic mirifici tituli quibus nostra aetate libri et imagines tam atrociter inscribuntur, ut multitudinis voluntati indulgeant, ad comparationem vocari possunt.

belli ad Herennium scr. (4, 7): *attentos habebimus si pollicebimur nos de rebus magnis, novis, inusitatis verba facturos aut de iis...* — Cicero (quamquam primum duas exordii partes distinxit[1]), *De inv.* I. 15, 20): *Principium est oratio perspicue et protinus perficiens auditorem benevolum aut docilem aut attentum. Insinuatio est oratio quadam dissimulatione et circumitione obscure subiens auditoris animum.*[2]) Ut discrimen inter prologum et epilogum intercedens — quod ad dinosis quantitatem spectat — in clariore ponatur luce, retineri non possum, quin hac de re, quid rhetores cogitaverint, proponam. Incertus rhetor qui hac in quaestione indaganda longius versatur (c. 19 p. 356, 15 sq. Sp.-H.), has duas orationis partes intentionis gradu atque coloris ubertate — ut ita dicere liceat — imprimis inter se differre opinatur: primum enim oratori in exordio dinosin minus obscuram et vehementem et elocutionem non tam ornatam atque in peroratione adhibendam esse, deinde cum huic in prooemio omnes fere res necessarias perstringendas, tum in epilogo unam tantum ex illis accuratius tractandam et atrocitatis colore fucandam esse, tum ad extremum — iudicat incertus rhetor — non omnem omnino materiam in duabus partibus explicari et proponi posse[3]). Quoniam praeterea Cassiodorus posterioris iam aetatis rhetor, illam inter exordium et perorationem differentiam intercedere dilucide explicat, huius exscribere verba operae pretium est (*Hum. inst. p. q. d. a. rhet. e.* p. 502, 11 H.): *Quid differt prooemium ab epilogo? Quidam putarunt, quod in prooemio praeterita, in epilogo futura dicantur, Quintilianus autem eo*

[1]) In aliis tamen scriptis rhetoricis, iisdem attentionis locis atque incertus auctor admissis, nunquam duas prooemii partes enumerat. Cf. W. Heinicke, *De Ciceronis doctrina quae pertinet ad materiam artis rhetoricae et ad inventionem*, Diss. 1891, 72.

[2]) Cf. etiam Dionys. Hal. *De Lysia* I 35, 22 Us.-Rad.: δεῖ δὲ τὸν προσεκτικοὺς μέλλοντα ποιεῖν τοὺς ἀκροατὰς καὶ λέγειν θαυμαστὰ καὶ παράδοξα.

[3]) ....ἐν μὲν τῷ προοιμίῳ τὸ σχῆμα καὶ τὴν ἑρμηνείαν μέτριον εἶναι δεῖ..., ἐ δ' ἐπιλόγοις τὸ σχῆμα συγκεκινημένον καὶ πολλὰς μὲν ἐμβοήσεις ἔχον, ...τήν τε ἑρμηνείαν συγκειμένην ἐκ τροπικῆς μᾶλλον καὶ σημειώδους λέξεως... (c. 20) ἔτι δὲ καὶ τούτῳ διαφέρει, ὅτι πολλὰ τῶν ἐν τοῖς προοιμίοις οὐκέτ' ἐν τοῖς ἐπιλόγοις λεκτέον.... ποιήσομεν τὸ προοίμιον. εἰ τῶν κεφαλαίων, τῶν ἀναγκαίων ἐν τούτοις τὰς ὑπολήψεις ληψόμεθα, ἐν δὲ τῷ ἐπιλόγῳ ἀνάγκη πᾶσα ἔν τι λαμβάνειν αὐτῶν εἰς ἐπίρρωσιν ἢ παραίτησιν. Quocum testimonio breve sed grave Marcellini scholium in Hermogenis status (IV 428, 29 W.) conferri potest: διαφέρει οὖν, ὅτι μὲν (sc. προοίμιον) πάθος παρασκευάζει, ὁ δ' ἐπίλογος αὔξει.

quod in ingressu parcius et modestius praetemptanda sit iudicis misericordia, in epilogo vero licet totos effundere affectus et fictam orationem induere personis et defunctos excitare et pignora rerum producere, quae omnia minus in prooemio sunt incitata. Quas explicationes hac potissimum de causa dignas quae afferantur putamus, quod inde dinosin, ut in prooemio quamquam leniorem quam in epilogo in universum usurpari, ita hunc ibi quasi prius praeparari posse, ut audientes attenti reddantur, non obscure apparet. Orator igitur fore, ut de rebus atrocibus, insolitis, monstruosis agatur, in prooemiis praemonere solet, qua re fit, ut indignationis colore qui plus in narratione et plurimum in peroratione valere debet, prima orationis pars aliquatenus inficiatur, quare ibi praeter dinosis locos communes etiam illius coloris praeparatio saepius exhibetur[1]). Quam dinosis praeparationem non solum in orationibus ad praecepta de solis prooemiis usurpatam esse, verum gravissimum etiam litterarum instrumentum, quod ad operum compositionem pertinet, sine ulla dubitatione et fuisse et existere manifestum est. Nam haec praestantissimi coloris, ut nomen eius mutetur, praemunitio et scriptori maximo impedimento potest esse, quominus audientes vel legentes rebus crudelibus et horrendis subito opprimantur — quod autem si factum sit, proprii dinosis affectus nec graviter nec merito commoveantur — et scriptori per artificiosam gradationem ad animos praeparandos, nempe ut audientes aliquid atrocissimum ante oculos positum iri sperent, et pro eius consilio aptissime concitentur, maximo potest esse auxilio[2]).

---

[1]) E. gr. Antiph. *Tetral.* III 1, 1—3; Lys. I 2. XIX 5. XXVIII 1; Lyc. 8 et 9; Demosth. *Mid.* 1 et 6; *Declam.* (*Quintiliani quae feruntur Declam. XIX maiores* ed. G. Lehnert, Lipsiae 1905) XII 1.

[2]) Quo dinosis adminiculo quam egregie Homerus (e. gr. *Od.* XX 351—7) utatur, non est cur addam. Tragoediarum quidem scriptores, ne subitis spectantes factis opprimantur, plurimum hoc curant, ut fabulae tamquam gradatim ad finem perducantur; quam dinosis viam ita sibi poetae tragici praemunire solent, ut aut personas insignem calamitatem fore praesentientes vel vaticinantes et chorum idem suspicantem in scaenam inducant, aut personarum mores apte notent. Sed ut haec prima describendi ratio pro instrumento dinosis tragicae proprio haberi debet, ita illa mores notandi consuetudo (προτραγῳδεῖν) quae contrarii tantum munere fungitur (cf. Hermannum Steinmann, *De artis poeticae veteris parte quae est* περὶ ἠθῶν p. I, diss. Gottingae 1907, 52), aliqua solum ex parte cum

Hactenus de dinosis in prooemio auctoritate; restat narratio, de qua orationis parte, quomodo hunc accipiat colorem, nonnulla sunt animadvertenda. Cur autem ibi δείνωσις epilogo omisso, plurimum valuerit, causa non erit in obscuro, si vel διατυπώσεως vim in memoriam reduxerimus. Sed rhetorum praecepta quae ad amplificationem vel indignationem in in narratione spectant, oculis percurrere placet. Incertus auctor libelli ad Herennium conscripti narrationem (alterum eius genus) etiam indignationis causa in oratione admittit (I 8, 12): *alterum genus est narrationis, quod intercurrit nonnumquam aut fidei aut criminationis aut transitionis causa.* Cicero tria narrationum genera enumerat *(De inv.* I 19, 17): *unum est in quo ipsa causa et omnis ratio controversiae continetur; alterum, in quo digressio aliqua extra causam interponitur* (eiusmodi narrationes παραδιηγήσεις appellantur)*; tertium genus est remotum a civilibus causis.* Incertus rhetor

huius coloris vi coniungi potest. Quoniam autem poetae tragici hanc fabulas componendi rationem observant, ut, priusquam res crudeliores vel nuntios explicare iubeant, vel eas in scaena ostendant, calamitatem accelerare aut iam impendere aliquo modo indicent, quem ibi dinosis praemunitio locum obtineat, respicere debemus. Huc cadunt somnia (ut Clytaemnestrae in Aesch. *Choeph.* 524 sq.) et vaticinationes (ut Cassandrae in Aesch. *Agam.*) et praesensiones (ut Oedipi in *Oed. R.*) et cohortationes (ut Haemonis in *Antig.*), nonnunquam etiam unicum vocabulum tantam vim habet, ut crudelissimarum rerum imagines audientes animo concipere sinat (ut vox *Oedipus* in *Septem* 654, eaque ab Eteocle aptissimo temporis momento dicta). Praeterea gravioris momenti sunt hi fabularum loci, ubi vel nuntius, antequam de calamitate quadam disserat, crudelitatem eius quasi καθόλου in orationis initio adumbrare studet, vel chorus quasi audientium persona imbuta, quid de re quadam mala cogitet, gravissimo dolore oppressus aut maximo metu affectus, disputat. Huc cadit dinosis praemunitio sensu arctiore, nam ante ipsam mali descriptionem collocatur, ut in oratione Hylli (*Trach.* 734 sq.) qui quanto malo vestis Herculi donata fuerit, matri narrat. Nonnunquam autem fit, ut nuntius vel alius quidam acriter resistat, quominus personam tragicam cuius, quid sibi mali accidat, scire intersit, de instante calamitate doceat, ut Tiresias (*Oed. R.* 300). Quae chori nuntiorumque orationes imprimis ad φόβον sensu latiore designandum pertinentes e vestigio dinosis oratoriae λέξιν, quae tamen in tragoediis solitum modum saepissime transit, in memoriam redigunt; cf. e. gr. Aesch. *Prom.* 81. 538, *Agam.* 975, *Sept.* 720 sq., Soph. *Antig.* 1091, *Oed. R.* 1297, praeterea quae Guilelmus Eggerking, *De Graeca artis tragicae doctrina, imprimis de affectibus tragicis*, diss. Berolin. 1912, p. 13—28 tradit. Similes crudelitatis praeparationes inveniuntur etiam in historia ubi praecipue omina de industria traduntur, ut iis factorum atrocitas indicetur.

inter septem narrationis tropos amplificationi primum assignat locum (c. 105 p. 370, 22 Sp.-H.) et porro de dinosi in hac orationis parte adhibenda aperte disserit (c. 138 p. 376, 12): ἐὰν γάρ τι τοῦ διηγήματος μέρος δείνωσιν ἀναγκαίαν ἔχῃ συνεπαρθῆναι καὶ τὴν λέξιν καὶ διατεθῆναι, ἐὰν πάθος ἔχῃ παθητικῶς, ἐὰν δὲ ἦθος ἠθικῶς. Hic profecto neque de aliqua δεινώσει ἠθικῇ neque de παθητικῇ dici potest, nam indignatio color tantummodo orationis est, per quem efficitur, ut et res malae, atroces, monstruosae amplificentur, et vehementissimi affectus excitentur; sed contingere potest, ut dinosis etiam in ἤθεσι versetur, praesertim cum de διατυπώσει agatur[1]). Hoc loco enim ignotum rhetorem de πάθεσι et ἤθεσι διηγήματος cogitare suspicor[2]), Quoniam mihi coloris nostri usus in narratione occurrens in oculos sponte se ingerere videtur, haec de eo in hac orationis parte usurpando explicare satis esse debet[3]). Tandem addendum est praecepta ad separatam et singularem narrationem, nempe ἐκφρασιν et διατύπωσιν pertinentia paulatim in tragoediam et historiam transcendisse[4]).

4. De elocutione colorata.

Atqui soli loci communes indignationi comparandae non sufficiunt; et singula verba et eorum compositio et figurae in dinosi adhibenda plurimum efficacitatis habent. Sunt enim eiusmodi argumenta quae, etiamsi nullam orator vel scriptor in hac re curam collocet, atrocitatis proprios affectus commovere soleant, ut Demetrius docet[5]) *(De eloc.* 240): πράγματά τινα ἐξ ἑαυτῶν ἐστι δεινά, ὥστε τοὺς λέγοντας αὐτὰ δεινοὺς δοκεῖν. κἂν μὴ

[1]) Cf. quod Aristoteles de πρέποντι (*A. rhet.* III 7) disserit.

[2]) Qui auctor discrimen inter πάθη et ἤθη intercedens in quantitate positum, ut Quintilianus (*Inst. or.* VI 2, 9) putare videtur; quod ex eius praeceptis de elocutione duorum narrationum generum facile cognosci potest (371, 1 et 376, 15 Sp.-H.).

[3]) Ceterum locos indignationis in narrationibus adhibitos cognoscimus e. gr. apud Antiph. κ. φαρμ. 17—20, Lys. VI 21, XXI 20, XXXII 16—18, Demosth. *Mid.* 15—19, Lyc. 17—21 et 25—27, Ps.-Quint. *Declam.* XII 7—9 e. a.

[4]) Rerum scriptores ἐκφράσεις et διατυπώσεις in digressionibus quae in historia easdem atque in orationibus partes agunt, amplificationis et delectationis efficiendae causa potissimum arripiunt; cf. *Auct. ad Her.* I 8, 12, Cic. *De inv.* I 19. 27, *Inc. rhet.* 364, 1 Sp.-H.

[5]) Quod Augustus Mayer in sua ed. 'Theophrasti π. λέξεως libri fragmenta', Lipsiae 1910 Theophrasto tribuit.

δεινῶς λέγωσιν, καθάπερ ὁ Θεόπομπος (cf. 27, 75) τὰς ἐν τῷ Πειραιεῖ αὐλητρίας καὶ τὰ πορνεῖα καὶ τοὺς αὐλοῦντας καὶ ᾄδοντας καὶ ὀρχουμένους ταῦτα πάντα δεινὰ ὄντα καίτοι ἀσθενῶς εἰπὼν δεινὸς δοκεῖ[1]). Sed ut iam dinosis proprietatem quae in crimine amplificando et rebus illi extrinsecus suggerendis consistit, omittamus, quid fit, si materies tanta atrocitate, quanta demonstrari debet, non est praedita? Hic scilicet scriptor locos communes adhibeat potissimum oportere in promptu atque manifestum est. Sed ei praeterea commode disserere, orationem ornare et omnino rhetoricum in modum secundum praecepta quae ad dinosis λέξιν spectant, rem tractare necesse est. Nam saepissime contingit, ut per elocutionem solam, cum nulli loci communes usurpentur, dinosis efficiatur.

Haec sunt fere quae de elocutionis vi, quod ad δείνωσιν pertinet, praemitti possunt. Primum autem ad delectum verborum inspiciendum accedimus. Vocabula quidem quae ipso sono audientes timore percellere soleant, in universum inveniri inter omnes constat. Quid Plato hac de re animadvertat, optimi testimonii loco affero *(Rep.* III 378 b-d): οὐκοῦν ἔτι καὶ τὰ περὶ ταῦτα ὀνόματα πάντα τὰ δεινά τε καὶ φοβερὰ ἀποβλητέα, Κωκύτους τε καὶ Στύγας καὶ ἐρέβους καὶ ἀλιβάντας, καὶ ἄλλα ὅσα τούτου τοῦ τύπου ὀνομαζόμενα φρίττειν ὀῆ ποιεῖς ... οἴεται πάντας τοὺς ἀκούοντας. Atque contendi debet illis vocabulis auditis homines non solum vehementissime perturbatos, sed etiam factum esse, ut ii speciem rei quae his verbis designaretur, animo informarent et totam crudelem imaginem cogitatione quasi depingerent; nonne Homerum vel Demosthenem[2]) unico tantum vocabulo validissimos affectus excitasse meministi? Quid hoc autem cum δεινώσει? Et vocabulum δεινός nonne secundum praecepta ad huius coloris λέξιν spectantia, similem atque illa Platonis verba vim habuit? Apsines (328, 19 Sp.-H.): πάθος ποιοῦσι καὶ αἱ δεινώσεις· θέαμα δεινόν e. gr. Od. XXII 405... δεινὸν δ' εἰς

[1]) Cf. Anonym. *schol. in Hermog.* (VII 732, 1 W. ubi de ἁπλῇ διηγήσει dicit): οὐ δεῖται ἰσχυρῶν λόγων τὸ αὐτομάτως ἰσχυρὸν πρᾶγμα, ὡς ἐν τῷ κατὰ Κόνωνος αἰκίας· 'ἐξήλθομεν εἰς Πάνακτον ἔτος τουτὶ τρίτον, καὶ μεθ' ἡμῶν ἐσκήνωσαν οἱ 'Αρίστωνος υἱεῖς καὶ προσούρουν τε ἡμῖν καὶ τὰς ἀμίδας κατερρήγνυον'. (Dem. 1257, 3 Blass) οὐ γὰρ εἶχε μᾶλλον δεινῶσαι τῷ λόγῳ, ἢ τὰ πράγματα λέγων αὐτὰ ὁ ῥήτωρ ψιλά, ἃ ἔπραττον ἐκεῖνοι....

[2]) Cf. Fr. Blass, *Die attische Beredsamkeit*, Lipsiae 1893 v. III 1², 212 „genügt oft ein Wort, eine Anspielung, und die grösste Einwirkung ist da".

ὦπα ἰδέσθαι. Quae vox apud oratores (Isaeum imprimis) frequentissime occurrit.[1]) In eodem numero, vel potius ordine dicam, magna copia verborum tragicorum conviciorumque quae ipso sono timorem, iram, odium apud audientes vel legentes commoveant, sine dubio est ducenda.[2]) In epilogis praeterea verba gravia, valida et multas exclamationes a rhetoribus praecipue commendatas addi debet (Anonymus p. 394, 19 Sp.-H.): ἐν τούτῳ (sc. ἐπιλόγῳ) δὲ συγκεκινημένην καὶ πολλὰς ἐμβοήσεις ἔχουσαν καὶ σχετλιασμούς sc. λέξιν, *ibd.* 22: ἡ δὲ ἑρμηνεία καὶ πάνυ πως ἁρμόζει, εἰ θρασεία εἴη καὶ τετολμημένη...; *ibd.* 395, 26: ἡ δὲ τῶν ἐπιλόγων φράσις παθητική ἐστι καὶ τολμηροτέρα τοῖς νοήμασι καὶ ταῖς δεινώσεσι καὶ τοῖς σχετλιασμοῖς περιπαθεστέρα. Quae praecepta mirum quantum cum illis de κοινοῦ τόπου consentiri videntur, ut (Nicol. III 477, 7 Sp.) καὶ παθητικὴν ὅλως ἐργάζεσθαι τὴν φράσιν... ὅπερ δεῖ πάντα ἐν τῷ κοινῷ τόπῳ φυλάττειν. Restat, ut de moderatione quadam in verbis eligendis adhibenda quae huc spectant nonnulla rhetorum praecepta, nempe si de rebus foedis ac fastidiosis commemorandis agitur, nunc afferam. Ana-

---

[1]) Ut πάντων δεινότατον e. s. Cf. huc *Schol. in Dem. De falsa leg. or.* (VIII 371 Dind.) 361, 19 θέαμα δεινόν, διασκευή τις ἐπιλογική, ἐκ μέρους τὰ κατὰ Φωκέας αὔξουσα πάθη.

[2]) Ut res aliquot exemplis illustretur nonnulla solum maioris momenti repeto: *Od.* XXII 309 (de caede procorum) δάπεδον δ'ἅπαν αἵματι θῦεν. Pind. *Pyth.* I 47—9 (de Aetna) τέρας θαυμάσιον θαῦμα. *Nem.* I 65 (de timore Herculis matris, ubi serpentes apparuerunt) ἄτλατον δέος. *Pyth.* XI 32 (de Clytaemestra) νηλὴς γυνά, (de eius ira) βαροπάλαμον χόλον. *Pyth.* IV 515 (de Demophilo) κεῖνος Ἄτλας. Antiphon *(Tetral.* I 4, 5) timoris augendi gratia ad vocabulum νεκροῖς vocem ἀσπαίρουσι addit: ἐγὼ δέ οὐδένα θερμὸν... εἶναι δοκῶ, ὄντινα οὐκ ἂν ὥρᾳ τῶν νυκτῶν νεκροῖς ἀσπαίρουσι συντυχόντα... Ut accusatae crimen in maius tollatur, novercam Clytaemestram nominat (I 17): τῆς Κλυταιμνήστρας τῆς τε τούτου μητρὸς ὑποθήκαις ἅμα διακονοῦσα. Isaeus (VIII 44) accusatum Orestem malum appellat: ὄνειδος ἕξομεν, διότι ἠμφισβητήθημεν διὰ τὸν Ὀρέστην τοῦτον τὸν κακῶς ἀπολούμενον, ὃς μοιχὸς ληφθείς. Demosthenis omnibus notum locum *(De cor.* 169) recorderis velim: Ἐσπέρα μὲν γὰρ ἦν... Lycurgus, quo maior Leocratis facinus appareat, hunc (c. 17) περὶ δειλὴν ὀψίαν patriam reliquisse tradit; idem urbis calamitate ad Chaeroneam accepta pessimam condicionem ita (c. 40) amplificat: ...ὁρᾶν δ'ἦν ἐπὶ μὲν τῶν θυρῶν γυναῖκας ἐλευτέρας περιφόβους κατεπτηχυίας. Bene electa verba et ad rem atrociorem efficiendam apta in declamationibus et controversiis obviam nobis veniunt, ut Ps.-Quint. *Declam.* XII 2: *aestuat... sepulta ventribus nostris cognata viscera, ibd.* 7: *crebrior cotidie interitus et latior strages, ibd.* 8 (cadaverum dilaceratio praedicatur): *primo tamen furtim... admisit hoc monstrum, ibd.* 13: *foeda etiam cadavera, ibd.* 27: *mater sibi parit, redit in uterum laceratus infans,*

ximenes huic obtemperare praecepto oratores oportere statuit (c. 35 p. 84, 13 Sp.-H.): φυλάττου δὲ καὶ τὰς αἰσχρὰς πράξεις μὴ αἰσχροῖς ὀνόμασι λέγειν. Idem praeceptum quod ad cinaedos denotandos pertinet, tradit Quintilianus *(Inst. or.* XI 1, 84): *Illic maior aestus, ubi quis pudenda queritur, ut stuprum, praecipue in maribus, aut os profanatum. Non dico, si loquatur ipse; nam quid aliud ei quam gemitus ac fletus... Sed patrono quoque per similes affectus eundum erit, quia hoc iniuriae genus verecundius est passis quam ausis. — Ibd.* 85: *Mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, ut Cicero de proscriptorum liberis fecit.* Auctores praeexercitamentorum res fastidiosas, ut adulteria et amores puerorum (αἰσχρὰ πράγματα) in διατυπώσει omnino tractari vetant; nam si res exigit, de homine tantum dicere necesse esse, facinus autem per singulas species describere nullo modo oratores debere affirmant (Nicol. III 476, 18 Sp.). Sed utut res se habet, cum vocabula valida, gravia dignaque quae vehementes excitent affectus dinosis conformandae insignia sunt adiumenta, tum *contra mi-*

---

ibd. XIX 15: *stabam senex furiis monstrosae feritatis accinctus. ibd.* IV 17: *...exultans super stratorum corporum strages, palpitantibus adhuc cadaveribus.* — Ibidem etiam materiam atrocitatis colore per coacervationem vocabulorum quasi fucatam videmus, ut in *Controv.* VII 1, 4, ubi Seneca ad crudelitatem tempestatis exaggerandam 11 verba adhibet: *densus, undique, omnis, tempestas, procella, terribilis, horridus, saevire, parricida, subitus, horrendus.* Miseriam hominum mancorum quorum varia genera prius enumerata sunt, hoc iterum scriptor auget modo *(Controv.* X 4 (33) 2): *produc, agedum familiam semivivam, tremulam, debilem, caecam, mancam, famelicam, ostende nobis captivos tuos. volo... nosse illam specum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium spoliarium.* Cf. *Controv.* IX 2, 4 *Declam.* XII 9 et 27 e. a. — Quod ad convicia spectat, haec sunt rursus afferenda exempla: Antiphon adversarium de cuius μιαρία in *Tetral.* I 3, 9. 11 et II 3, 12 disserit, μιαρὸν καὶ ἄναγνον (*Tetral.* I 1, 10) vocat; cf. ibd. μιαίνειν τὴν ἁγνείαν sc. τῶν θεῶν e. a. Superlatio et καθόλου ad dinosin conformandam confert, e. gr. Antiph. VI 48: ἐπιορκοτάτους καὶ ἀνοσιωτάτους πάντων ἀνθρώπων. — Lys. III 45: δόξας ἀκοσμότατος εἶναι καὶ πονηρότατος, *ibd.* VI 23: ...ὁπότε τὰ μὲν ἔσχατα καὶ τὰ αἴσχιστα ἐποίει. — Isae. V 35: ἅμα δὲ καὶ πλούσιον καὶ πονηρότατον αὐτὸν ὄντα ἀνθρώπων. — Demosth. *Mid.* 106: αὐτοχειράμου, (*ibd.* 117 et 197) ἡ μιαρὰ καὶ ἀναιδὴς αὕτη κεφαλή. — Aeschin. *Timarch.* 185: τὸν τοῖς αἰσχίστοις ἐπιτηδεύμασιν ἔνοχον, id. *Ctes.* 137: τοιοῦτος μάγος καὶ γόης; *ibd.* 152: ἁπάντων ἀνθρώπων ἀχρηστότατε; *ibd.* 246: πονηρὸς καὶ πορνοβοσκός. — Lyc. 138: ... ἀλλὰ μᾶλλον τῶν ἀνδροφόνων sc. ἐστί. — *Controv.* X 4 (33) 2: Accusatus *tyrannus*, idem (*ibd.* X. 5 (34) 8) *carnifex* nominatur.

nuitur invidia verborum moderatione, ut Quintilianus (*Inst. or.* XI 1, 90) docet.

Hactenus de verborum delectu; sequitur eorum compositio, de qua haec primum praemoneri, tum explicari debent. Si quaeritur, utrum orationis genus maiore vi ac vehementia praeditum sit, facillime quaestio expediri potest; nam orationi quae ex brevibus et tamquam dissectis enuntiatis constet quaeque pluribus coniunctionibus careat, maiorem vim ac potestatem, quam si quae plana atque teres et expolitione atque artificio quodam sit ornata, insitam esse inde clarissime apparet, quod vehementissimi affectus proprietas atque nota in brevibus et parvis verbis versari solet. Oratori autem, si audientes aut commovere aut percellere conabatur, id praeter alia spectandum fuit, ut hac eos re quasi falleret, quod iis eodem modo, atque id verbis, ut aperte dicam, exprimere studeret, ira, timore, odio, misericordia non falso, sed revera affectus esse videretur, ut Aristoteles, quod ad παθητικὴν λέξιν pertinet, explicat (*A. rhet.* III 7 p. 1408 a 16 (π): παθητικὴ δέ, ἐὰν μὲν ᾖ ὕβρις, ὀργιζομένου λέξις ἐὰν δὲ ἀσεβὴς καὶ αἰσχρά, δυσχεραίνοντος καὶ εὐλαβουμένου καὶ λέγειν, ἐὰν δὲ ἐπαινετά, ἀγαμένως, ἐὰν δὲ ἐλεεινά, ταπεινῶς. Vim antem orationis in brevitate positam esse ex Demetrio comperimus (*De eloc.* 24, quod Mayer p. 180 Theophrasto tribuit): κατὰ δὲ τὴν σύνθεσιν ὁ χαρακτὴρ οὗτος (sc. δεινός) γίνοιτ' ἂν πρῶτον μὲν εἰ κόμματα ἔχοι ἀντὶ κώλων. τὸ γὰρ μῆκος ἐκλύει τὴν σφοδρότητα, τὸ δὲ ἐν ὀλίγῳ πολὺ ἐμφαινόμενον δεινότερον.

Haec fuerunt in universum praemunienda; age nunc ad propositum revertamur. Atque quoniam βραχυλογίαν una cum ἐλεεινολογίᾳ et δεινώσει in numero gravissimorum orationis colorum a Platone (*Phaedr.* 172 A) ductam esse comperimus, iam ex hoc philosophi testimonio indignationis auctoritate prius exanimata, non solum ea tria vel potius duo εἴδη λόγων (δειν. ἐλεειν.) principes et difficillimos effectu colores, sed βραχυλογίαν etiam, illud sophistarum σύντομον, non ita separatum, quam dinosis commiserationisque auxiliare quasi εἶδος — quod mox accuratius apparuerit — fuisse iam nunc moderate conici potest. Sed Aristoteles primus est, qui de ipso genere dicendi quod ad amplificationem et dinosin spectat, aperte disserat. Hic enim cum vim locutionum contionalium consideret, dissolutionem (ἀσύνδετον) maximum αὐξήσεως adminiculum

esse putat (*A. rhet.* III 12 p. 1413 b. 31): ἔτι ἔχει ἴδιόν τι τὰ ἀσύνδετα· ἐν ἴσῳ γὰρ χρόνῳ πολλὰ δοκεῖ εἰρῆσθαι. ὁ γὰρ σύνδεσμος ἓν ποιεῖ τὰ πολλά, ὥστ' ἐὰν ἐξαιρεθῇ, δῆλον ὅτι τοὐναντίον ἔσται τὸ ἓν πολλά. ἔχει οὖν αὔξησιν· ἦλθον, διελέχθην, ἱκέτευσα. Ne autem mea verba argumentis carere videantur, rhetorum testimonia ad dissolutionem et id dinosis instrumentum pertinentia, afferre liceat. Caecilius Calactinus (ap. Tiber. III 77, 27 Sp.[1]) quattuor dissolutionis genera apud Demosthenem occurrere affirmat et in tertio genere ἐνάργειαν ac δείνωσιν deprehendit: ...κατὰ κόμμα δὲ (Dem. XXI 72) 'ὅταν ἐπὶ κόρρης, ὅταν κονδύλοις. ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησι'. ταῦτα δείνωσιν ἔχει καὶ ἐνάργειαν.[2]) Ἀσύνδετον igitur magis quam πολυσύνδετον in numero gravissimorum dinosis adiumentorum ducendum est. Si plura huc pertinentia testimonia quaeris, quid Incertus rhetor de παθητικαῖς διηγήσεσι loquatur (387, 1 Sp.-Ham.), vel quid Quintilianus de ἀσυνδέτου et πολυσυνδέτου auctoritate disputet (*Inst. or.* IX 3, 54) oculis percurras, vel Apsinis verba (329, 2 sq. Sp.-H.) qui κομματικὰ et ἀσύνδετον ad affectum efficiendum optima putat, conferas velim[3]).

Quoniam ad tertiam elocutionis partem, figuras indagandas accedimus, grave Incerti rhetoris hac de re praeceptum exscribere placet (398, 4 Sp.-H.): ὅπου δὲ δείνωσίς τις ᾖ τροπικῇ λέξει χρηστέον, quod is de discrimine inter prooemium et perorationem intercedente disserens, iterum tradit (*ibd.* 356, 19): τήν τε ἑρμηνείαν συγκειμένην ἐκ τροπικῆς μᾶλλον καὶ σημειώδους λέξεως... Sed hoc testimonio dinosin λέξιν τροπικὴν accipere in universum solummodo probatur[4]); qua autem in re haec dicendi ratio posita sit, ex Dionysio Halicarnassensi qui vocabula τροπικός et μεταφορικός eodem fere adhi-

[1]) Quod Ernestus Ofenloch in sua editione q. i. Caecilii Calactini fragmenta, Lipsiae 1907 p. 52 ei adscribit.

[2]) Dissolutio κατὰ κόμμα et brevissima et maxime expressa est, nam (Syrianus I 17, II R.) ἔστιν τοίνυν κόμμα μὲν λόγος διάνοιαν δηλῶν ἐν δύο ἢ τρισὶ λέξεσιν, ὡς τὸ 'μηδὲν ἄγαν'...

[3]) Ut exemplis res illustretur duos ex Demosthenis oratione *contra Midiam* habita afferre locos est satis: (74) ἐγὼ δ'ὑπ' ἐχθροῦ, νήφοντος, ἔωθεν, ὕβρει καὶ οὐκ οἴνῳ τοῦτο τοιοῦντος, ἐναντίον πολλῶν καὶ ξένων καὶ πολιτῶν ὑβριζόμενος, καὶ ταῦτ' ἐν ἱερῷ καὶ οὗ πολλή μοι ἦν ἀνάγκη βαδίζειν χρηγγοῦντι. (109) τί γὰρ ὡς ἀληθῶς πέρας ἂν φήσειέ τις εἶναι κακίας, καὶ τίν' ὑπερβολὴν ἀναιδείας καὶ ὠμότητος καὶ ὕβρεως...

[4]) Cf. *ibd.* 394, 24.

bet sensu,[1]) cognosci potest (*De Dem.* 5, 966 v. I. 137, 16 Us.-Rad.): μάλιστα δὲ χειμάζεται περὶ τὴν τροπικὴν φράσιν, πολλὴ μὲν ἐν τοῖς ἐπιθέτοις, ἄκαιρος δ' ἐν τοῖς μετωνυμίαις, σκληρὰ (δὲ καὶ) οὐ σῴζουσα τὴν ἀναλογίαν ἐν ταῖς (μεταφοραῖς), ἀλληγορίας τε περιβάλλεται πολλὰς (καὶ μακράς).[2]) Operae pretium est Macrobium legere (*Saturn.* IV 2) qui in capite quod pathos tenore ipso orationis quomodo exprimatur, inscriptum est, de oratione pathetica hoc disputat modo: *...sed brevibus sententiis, sed crebribus figurarum mutationibus debet, velut inter aestus iracundiae, fluctuare* — et exemplo ex Vergilii *Aen.* VI 294 sq. allato, porro ita contendit: *Vides quam saepe orationem mutaverit, ac frequentibus figuris variaverit: quia ira, quae brevis furor est, non potest unum continuare sensum in loquendo.* Quibus ex testimoniis aperte elucet hac τροπικός appellatione magnam dictionis poeticae partem, imprimis autem, ut apud Dionysium legimus, ἐπίθετα et μεταφοράς ex ornatu descriptionis[3]) μετωνυμίαν et ὑπερβολήν ex tropis,[4]) ἀλληγορίαν ex figuris sententiarum praeter multas ceteras figuras a rhetoribus comprehendi. Sed quoniam mihi longum et prorsum supervacaneum esse videtur omnes hic tropos et figuras enumerare atque explicare, gravissima tantum τροπικῆς λέξεως instrumenta certo quodam ordine persequi placet. Ex figuris sententiarum ἀντίθεσις quam Gorgias invenisse traditur,[5]) prima oculos ferit. Hanc Aristoteles una cum μεταφορᾷ et

[1]) Cf. *De comp.* 21, 146 (v. II 94 Us.-Rad.), *De imit.* 9, 34 (v. II 215, 16 Us.-Rad.), et praeterea Paulum Geigenmueller, *Quaestiones Dionysianae de vocabulis artis criticae*, Diss. Lipsiae 1908, 16.

[2]) Cf. *(De Lys.* 3, 457 v. I 10, 17 Us.-Rad.) μεταφοραῖς τε πολλαῖς χρώμενοι καὶ ὑπερβολαῖς καὶ ταῖς ἄλλαις τροπικαῖς ἰδέαις *(De comp.* 3, 15 v. II 11, 16 Us.-Rad.) οὔτε γὰρ μεταφοραί τινες ἔνεισιν εὐγενεῖς οὔτε ὑπαλλαγαὶ οὔτε καταχρήσεις οὔτ' ἄλλη τροπικὴ διάλεκτος... Rhetores etiam in ἐκφράσει conformanda praeter ornamentum verborum haec commendant (Nicol. III 493, 11 Sp.): Φράσεως δὲ ποικίλης ἐν αὐτῇ διώμεθα. πρὸς γὰρ τὴν ὑποκειμένην ὑπόθεσιν ἁρμόζειν δεῖ καὶ τὸ τῆς ἀπαγγελίας εἶδος, ἢ γλυκαίνοντας ἢ τραχῦνοντας τὰς συμφορὰς ἢ ὅλως ἄλλοτι περιστάντας πάθος.

[3]) Cf. Quint. *Inst. or.* VIII 3, 61 sq.

[4]) Quam dictionis partem Quintilianus *(Inst. or.* VIII 6, 1) inexplicabilem esse autumat, cum philosophi cum grammaticis de generibus, numero et auctoritate harum certaverint.

[5]) Cf. Willy Barczat, *De figurarum disciplina atque auctoribus* P. I. (auctores graeci), Diss. Göttingen 1904, 11.

ἐναργείᾳ (i. e. πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν) gravissimorum loco ornatus adminiculorum ducit (*A. rhet.* III 10 p. 1411 b 21); huius Apsines rhetor tria distinguit munera (262, 11 Sp.-H.). Huc deinde interrogationes (Quint. *Inst. or.* IX 2, 7) atque exclamationes quae mirum quantum saepe ad affectum excitandum adhibentur, cadunt. Huc etiam ἐπιμονή referenda est[1]) (*De subl.* XII 2), cui apud Romanos imprimis commoratio congruere videtur (*Auct. ad Heren.* IV 45), aut deinde aliquatenus tantum frequentatio (*Auct. ad Heren.* IV 40), aut postremo congeries.[2]) Ex iisdem tandem figuris gradatio,[3]) personificatio atque allocutio enumerentur. Quod ad verborum figuras et descriptionis ornatum spectat, ut ex illo geminatio, repetitio, conversio, litotes, ita ex hoc genere imitatio, similitudo (i. e. comparatio), emphasis quae a Quintiliano dinosi praeponitur (*Inst. or.* VIII 3, 88) nostro colori aptissimae videntur.[4])

---

[1]) Cuius vim ita Alexander rhetor explicat (III 17, 27 Sp.): Ἐπιμονὴ δέ ἐστιν, ὡς καὶ αὐτὸ τὸ ὄνομα δηλοῖ, ἐπὶ πλεῖον ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ νοήματος ἐπιμονὴ μετὰ αἰτήσεως.

[2]) Συναθροισμόν Anaximenes quod ad longitudinem orationis spectat, plurimum valere censet (c. 22 p. 58, 17 Sp.-H.). Hic addi debet Auctorem libelli *De sublimitate* scripti amplificationem ἐν πλήθει consistere affirmare (XII 1)

[3]) Cui Auctor lib. *De sublim.* non minimam in orationibus vim tribuit (XXIII 1).

[4]) Quae autem τροπικὴ λέξις ut exemplis etiam illustretur, nonnulla hic graviora afferre liceat: Translationes habemus e. gr. apud Pindarum (*Pyth.* I 40—3) ἀπλάτου πυρὸς παγαί, ...ῥίου καπνοῦ αἴθωνα (de monte Aetna), (*ibd.* 52—3) στρωμνὰ δὲ χαράσσοισ'... κίνει (de eodem monte qui Typhonem premit); apud Antiphontem (I 20) τὸν ἑαυτῶν φονέα μεταχειριζόμενοι, ἐκπίνουσιν ὑσπάτην πόσιν; (*Tetral.* II 3, 12) ...οἱ ζῶντες καταῤῥιγμεθα ὑπ' αὐτοῦ; Cf. *Declam.* V e. a. Superlationes obveniunt nobis e. gr. apud Homerum (*Il.* X 15) προθελύμνους ἕλκετο χαίτας (de desperatione Agamemnonis); Lysiam (XII 37) ὑπὲρ ἑκάστου τῶν πεπραγμένων δὶς ἀποθάνοντας; (XXVIII 1) ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου τῶν πεπραγμένων αὐτῷ πολλάκις ἀποθανών...; Demosthenem (*Timocr.* 207) ...πῶς οὖν οὐκ ἄξιος οὗτος, εἰ δυνατόν, τρὶς, οὐχ ἅπαξ ἀπολωλέναι... (*Mid.* 48) πῶς οὐ δεκάκις μᾶλλον δὲ μυριάκις δίκαιός ἐστ' ἀπολωλέναι et ubi oratores adversariorum maximis exquisitisque suppliciis afficiendum esse contendunt, ut Lycurgus (51) ἑξάκαιτας τιμωρίαις κολάζειν, ἑξάκτην δίκην διδόναι e. sim. et ubi καθόλου has locutiones oratores adhibent, ut Antiphon (VI 33) ἐπιορκοτάτους... καὶ ἀσεβεστάτους ἀνθρώπων, vel Lycurgus (97) ἅπασι τοῖς μεγίστοις ἀδικήμασι ἔνοχον ὄντα... Contrarium saepissime occurrit e. gr. apud Antiphontem (I 21—27), Lycurgum, Demosthenem, ubi (*Mid.*) nullus fere indignationis colore infectus est locus, quin ἀντίθεσιν habeat. Gradationis exemplum vel hoc ex Isaeo

Totius elocutionis apparatus usus ex dinosis locorum communium proprietate pendet. Ut enim eiusmodi loci (e. gr. 7, 8, 9 per quos atrocitas facinoris demonstratur et ipsum facinus cum aliis componitur) sunt, qui ut et apta verba et figurae ac tropi frequentius et commodius adhibeantur, concedant, ita nonnulli exstant (e. gr. 10. διατύπωσις) loci, qui nonnullas tantum figuras admittant, ut recte Apsines de pathetica narratione opinatur (258, 8 Sp.-H.): Αἱ παθητικαὶ διηγήσεις οὐ πολὺν ἔχειν ὀφείλουσι κόσμον. ἐκλύουσι γὰρ τὸ ἐναργὲς τοῦ πάθους et tales oratori figuras ut διαπορήσεις, μελλησμούς, ἀντεξετάσεις, ἀποσιωπήσεις,[1]) ὑπογραφάς ibi solum usurpandas esse concedit.

Haec sunt fere de ratione dicendi quae cum dinosis natura artissime coniuncta est. A commiserationis autem colore longe aliter atque a nostro non solum λέξις τροπική, verum etiam ornatus qualiscumque is erat, prorsus alienus fuit; ἐλεεινολογίαν enim λέξιν ἄπλαστον καὶ ἀκαλλώπιστον adhibere solere et debere rhetores contendunt.[2]) Attamen negari non potest omnia πάθη id proprii habere, ut homines ad orationem ornatam et quodam modo sufflatam, cum et affectus ipsi hoc genus dicendi appetant, propensos reddant.[3])

5. De dinosis vi et auctoritate.

Δείνωσις cum tamquam altera perorationis pars sit ibique plurimum valeat, semper ita iuxta ἔλεον a rhetoribus posita est, ut maxima ex parte illi praeponatur. Quamvis autem et Plato (*Phaedr.* 272 A) ἐλεεινολογίαν dinosi anteponat, et Anaximenes, antequam ad φθόνον et ὀργήν explicanda accedat (c. 36), de ἐλέῳ disserat, et Aristoteles ἔλεον inter

(VI 39) καὶ οὐδὲ ταῦτα ἐξήρκεσεν αὐτοῖς διαφορῆσαι ...ἀλλά, aut ex Lycurgo (26) καὶ οὐκ ἐξήρκεσεν αὐτῷ τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα τὴν πόλιν ἀδικῆσαι, ἀλλ' οἰκῶν... afferri potest. Longae interrogationes e. gr. apud Lysiam (XIII 34), Demosthenem (*Mid.* 92 et 109), Aeschinem (*Tim.* 185), Lycurgum (27) obviam nobis veniunt. Ἐπιμονήν tandem et congeriem in uno genere dicendi cui Asianum nomen est, praecipue valere constat: nonne huius verborum quasi coacervationis recordamur? e.g. (*Declam.* VIII 20) „...ne festinet, hortatur, iubet altius diligentiusque scrutari, interrogat, dubitat, contendit, affirmat ot accipit de filii morte rationem..."

[1]) Hoc autem praecipue irascentibus convenit (Macrob. *Saturn.* IV 6).

[2]) Ut Apsines (326, 25 Sp.-H.): τὸ γὰρ καλλωπίζειν οὐ τοῦ θρηνοῦντος.

[3]) Cf. etiam H. Blair p. 178.

epilogi affectus primum (*A. rhet.* III 19 p. 1419 b 24) enumeret similiter atque in definitione illa tragoediae ἔλεον φόβῳ praeponat, quamvis—dico—Apsines non aliter ac Sulpicius Victor (324 H.) tertium dinosi in peroratione locum assignet (296, 14 Sp.-H.) — haec omnia testimonia neque ullo argumento esse debent neque iis omnino comprobari potest auctoritatem commiserationis coloris et in orationibus et in tragoedia et in ceteris litterarum generibus maiorem quam dinosis vim esse. Quae enim ἐλέου condicio non ex eius potestate pendere videtur, sed commiserationem dinosin antecedere causa in eo posita est, quod cum ἔλεος frequentissimus affectus[1]), tum ἐλεεινολογίας condimentum et facilius effectu est et minora quam illud δεινώσεως artificia in usum suum convertit. Δείνωσιν enim, cum eam Aristoteles in numero παθῶν semel ducat (*A. rhet.* III 19 p. 1419 b 24) — ubi philosophum de dinosis proprietate, i. e. de huius proprio affectu, quem per denominationem appellatione dinosis comprehendit, certe cogitare monemus — non affectum esse, sed colorem orationis, per quem orator apta et vehementia πάθη ex industria commoveat, cum vi affirmandum est.

Qui praecipue affectus in orationibus quae atrocitatis colore fucentur, excitari possint, ex iis δεινώσεως cum ἐλέῳ comparationibus apertissime elucebit.[2]) Hic autem iam contendi debet dinosin non solum una cum commiseratione positam, sed ei etiam semper obiectam esse.[3]) Atque quid inde lucrari possimus, consideremus. Aristoteles misericordiae

[1]) Nescio an rectius animadverti possit, quam id Ludwig Mader, *Über die hamptsächlichsten Mittel, mit denen Euripides* Ἔλεος *zu erregen sucht. (Ein Beitrag zur Technik des Euripides)*, Diss. Erlangen 1907 p. 7 fecerit: „ἔλεος wird in jeder Tragödie erregt, φόβος nur in der guten". Propterea non mirandum Diomedem grammaticum hoc aperte contendisse (488, 20 K.): nihil aliud esse tragoediam quam miseriarum comprehensionem. Cf. etiam R. Heinze, *Vergils epische Technik*, Lipsiae 1903 p. 456.

[2]) Vocabulum δεινός voci ἐλεεινός semper opponitur, e. gr. Plato, *Ion* 533 C; Arist. *A. rhet.* II 8 p. 1386, 12... τὸ γὰρ δεινὸν ἕτερον τοῦ ἐλεεινοῦ καὶ ἐκφοβοῦντικὸν τοῦ ἐλέου καὶ πολλάκις τῷ ἐναντίῳ χρήσιμον. Cf. Aristot. *Poet.* 19 p. 1456, 3. Romani vocem δεινός idem fere ac φοβερός significantem vocabulo *atrox* saepissime reddunt, e. gr. Quint. *Inst. or.* VI 1, 15. 53. Macrob. *Saturn.* IV 4.

[3]) Longe abest, ut adsentiar viro docto Heinzeo qui ita (p. 456 adn. 1) de Macrobio dicit: „Sehr ausschliesslich stellt die beiden Ziele nebeneinander Macrobius... (*Saturn.* IV 2)"; nam hoc modo omnes rhetores iudicant.

νεμεσᾶν maxime adversarium affectum et ambo affectus hominis probi honestique esse putat (*A. rhet.* II 9 p. 1386 b 9): Ἀντίκειται δὲ τῷ ἐλεεῖν μάλιστα μὲν ὃ καλοῦσι νεμεσᾶν. τῷ γὰρ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις κακοπραγίαις ἀντικείμενόν ἐστι τρόπον τινα καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἤθους τὸ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις εὐπραγίαις. Affectus autem qui ab eodem philosopho voce νεμεσᾶν appellatur, et indignationi quo vocabulo rhetores Romani alteram epilogi partem nominant, plane respondet, affectus medius inter φθόνον et ἐπιχαιρεκακίαν est.[1]) Atque ut quaestio, quis et cui potissimum indignetur,[2]) omittatur, ex iis quae modo exscripsi testimoniis sequitur, ut voce νεμεσᾶν affectum cum dinosis natura artissime coniunctum designari concedamus. Sed dinosis naturam non tam simplicem esse, ut unus tantum affectus proprius eius sit, inter omnes constat. Anaximenes enim affectuum loco qui ad perorationem spectant (c. 36 p. 95, 16 Sp.-H.) φθόνον, μῖσος, ὀργήν habet eosque ἐλέῳ opponit.[3]) Ad quos affectus Aristoteles (*A. rhet.* III 19 p. 1419 b 24) ζῆλον, ἔριν addit. Demosthenes non secus atque Anaximenes tres gravissimos affectus misericordiae obicit.[4]) Separatum indignationis locum quo ἐλέου ἐκβολή efficeretur, ab praeexercitamentorum auctoribus in κοινοῦ τόπου praeceptis explicandis traditum esse videmus. Cicero de locis communibus indignationis disserens, nihil aliud nisi indignationem et odium oratori excitanda esse affirmat et misericordiae uni commovendae studendum esse negat (*Or.* 38, 131). Quintilianus idem putat (*Inst. or.* VI 2, 20): *haec*

[1]) Quod his testimoniis probatur: Aristot. *(Ethic. Nicom.* II 7) μεσότης φθόνου καὶ ἐπιχαιρεκακίας. Cf. etiam A. Chaignet, *La Rhétorique et son histoire*, Parisiis 1888, 206 et 207 adn. 2 ubi hos enumerat locos: *Top.* II 2, *Eth. Magn.* I 28, *Eth. Eud.* III 7; Cic. (*Ad. Attic.* V 19): „Plane gaudeo quoniam τὸ νεμεσᾶν interest τοῦ φθονεῖν". Incertus autem rhetor φθόνον una cum ἐλέῳ in genere εἰδῶν λύπης collocat (392, 21 Sp.-H.).

[2]) Cf. Aristot. *A. rhet.* II 9 p. 1387 a 13 ...ἀλλὰ ἐπὶ πλούτῳ καὶ δυνάμει καὶ...

[3]) P. 96, 22 Sp.-H.: διαβαλοῦμεν δὲ τοὺς ἀντιδίκους καὶ φθονεῖσθαι ποιήσομεν ἐκ τῶν ἐναντίων τούτοις (prius de misericordia dixit), ἀποφαίνοντες ὑπὸ τούτων ἢ τῶν τούτοις φίλων τοὺς ἀκούοντας ἢ ὧν αὐτοὶ κήδονται, κακῶς πεπονθότας ἢ πάσχοντας ἢ πεισομένους παρὰ τὸ προσῆκον. ἐκ γὰρ τῶν τοιούτων καὶ μῖσος καὶ ὀργὴν πρὸς αὐτοὺς ἕξουσιν. ἂν δὲ μὴ ταῦτα ἐνδέχηται, συνάξομεν ἐξ ὧν φθόνον τοῖς ἀκούουσι κατὰ τῶν ἐναντίων ἐργασόμεθα. τὸ γὰρ φθονεῖν πλήσιον τοῦ μισεῖν ἐστιν.

[4]) *Mid.* 196 οὐκ ἔστιν οὐδαμόθεν σοι προσῆκον ἔλεος οὐδὲ καθ' ἕν, ἀλλὰ τοὐναντίον μῖσος καὶ φθόνος καὶ ὀργή.

pars (sc. affectus epilogi proprii) *circa iram, odium, metum, invidiam, miserationem fere tota versatur.*[1]) Orator igitur eo ductus consilio dinosis colore orationem inficit, ut hos omnes affectus — ac modo explicavimus numerum eorum neque parvum neque eiusmodi esse, ut excellenti arte rhetorica carere possint — qui a misericordia prorsus alieni sunt, apud audientes excitet. Fieri scilicet potest, ut oratio atrocitatis condimento fucata et ad misericordiam animos adducere et hanc augere soleat; sed quid mirum? Nonne enim manifestum est oratorem, cum audientes ad vehementissimam iram in adversarium impellat, hac ipsa re praecipue curare, ut eosdem aut ad sui ipsius aut personae quam defendat, misericordiam[2]) revocet? Sed quamquam tantus est affectuum numerus, qui cum dinosis natura coniunguntur, unus tamen affectus in eorum regno principatum semper obtinet; nam oratori plurimum interest, ut qualescumque res vel atrocitatis vel timoris vel fastidii plenas proponat, apud audientes omni misericordia remota, imprimis ira aut odium in adversarium commoveatur et exacerbetur. Gravissimi igitur affectus qui in dinosis proprietate versantur, ira atque odium (ὀργή, νεμεσᾶν — ira, indignari) sunt et ceteri alii horum affectuum auxiliarii — ut dicere possumus — sunt, quamquam nonnulli loci, ut 10 et 14 indignationis exstant, per quos imprimis timorem audientibus oratores inicere studeant. In poesi scilicet et in rerum gestarum memoria ut ii praecipui dinosis oratoriae proprii affectus non semper dominantur, ita saepius plane evanescunt, et φόβῳ qui ibi primas solet sustinere partes, primum concedunt locum.[3]) Discrimen quod inter affectus cum orationum natura coniunctos intercedit et eos qui in tra-

---

[1]) Cf. Macrob. *Saturn.* IV 2 qui de indignatione disputans, iram et iracundiam unice enumerat.

[2]) Ambo affectus una excitari et per se invicem suppleri, in se quasi permanare possunt; cf. G. Günther, *Grundzüge der tragischen Kunst (aus dem Drama der Griechen entwickelt)*, Lipsiae 1885, 244; H. Laehr, *Die Wirkung der Tragödie nach Aristoteles*, Berolini 1896, 87; F. Knoke, *Begriff der Tragödie nach Aristoteles*, Berolini 1906, 18; G. Eggerking, *De Graeca artis tragicae doctrina, imprimis de affectibus tragicis.* Diss. Berolini 1912, 29.

[3]) Cf. Macrob. *Saturn.* IV 5 (de εἰκόνι dicit exemplaque e Vergilio affert): „sed prior forma (sc. exempli) οἶκτον praestat, haec δεινωσιν, id est prior misericordiam commovet, horrorem secunda".

goediae, poesis in universum et historiae proprietate ponuntur, est hoc: quamquam fons, unde hi fluunt affectus, non mutatur, etsi eadem dinosis instrumenta a scriptoribus arripiuntur, partes tamen affectuum commotorum aliae sunt. Qui id fieri potest? Orator ad audientes se convertit a quibus, ut cum suis rebus sui ipsius calamitatem componant, petit;[1]) poeta autem aut rerum gestarum scriptor id studet, ut legentes de misera fabulae vel historiae persona eiusque condicione tacito quasi consulant et de ea metuant.[2]) Is igitur qui orationem audit, primum adversario invidet atque irascitur, deinde ne quid simile sibi accidat, metuit; is autem qui fabulam spectat vel historias legit, malae personae item invidet atque irascitur, sed ne quid mali misero et bono homini quocum consentiat, eveniat, praecipue timet. Termini scilicet quibus singuli affectus ad dinosis naturam spectantes circumsaepti sunt, longius panduntur, quam ut hic singula eorum intervalla et singulos modos accuratius perscrutari possimus.

Nunc proximum est, ut orationem, quo vehementius audientes percellantur, eo validiorem esse debere et cum maiore vi pronuntiandam esse addamus.[3]) Quoniam autem dinosis in eo versatur, quod et cum vehementissimis affectibus (σφοδροῖς πάθεσι) excitandis et cum vi orationem afficienda[4]) coniungitur, nihil mirandum in illum colorem qui δείνωσις appellatur, gravissima etiam quae ad δεινότητα spectant praecepta vel optime quadrare videri. Quod ut argumentis comprobetur, ex Demetrii rhetoris qui de huius quartae dicendi virtutis propietate longius tractat, opusculo quod est de elocutione, nonnulla proponere non abs re erit. Δεινότης enim,

---

[1]) Cf. 3, 4 et 14 loc. com. indign.: *per quem petimus ab iis qui audiunt, ut ad suas res nostras iniurias conferant...* quamquam id 7. locus commiserationis est.

[2]) Is qui spectat de persona tragica metuit; cf. Plut. *De esu carn.* 25 p. 998 E. Praeterea F. Knoke p. 15 sq. L. Mader (is Knokeum sequitur) p. 4 sq. G. Eggerking p. 91 sq.

[3]) Ut Auctor *lib. ad Heren.* scr. explicat (IV 43, 56): „Item mutatur res tractando si traducitur ad exsuscitationem, cum et nos commoti dicere videamur, et auditoris animum commoveamus"; et Cicero docet (*De or.* II 53): „haec pars orationis, quae suscipitur ab oratore ad commutandos animos, et omni ratione flectendos, intenta et vehemens esse debet".

[4]) Cf. Quint. (*Inst. or.* VI 2, 24): „...rebus indignis, asperis, invidiosis addens vim oratio..." (*ibd.* IX 2, 104) „intendere crimen".

hic (c. 274 v. III 320, 26 Sp.) scribit, ...σφοδρόν τι βούλεται καὶ σύντομον καὶ ἔγγυθεν πλήττουσιν ἔοικεν. Quae quomodo sit efficienda, porro praecepta tradit (c. 240— 256 v. III 314—323 Sp.[1]): in c. 241 (de compositione verborum disserit) κόμματα ἀντὶ κώλων commendat, nam τὸ... μῆκος ἐκλύει τὴν σφοδρότητα[2]), τὸ δὲ ἐν ὀλίγῳ πολὺ ἐμφαινόμενον δεινότερον. In c. 253 συντομίαν praecipit; sententiarum figurae quae hic enumerantur, sunt hae (c. 263—266): παράλειψις, ἀποσιώπησις, προσωποποιΐα, figurae verborum autem hae (c. 267. 270): ἀναδίπλωσις, ἀναφορά, ἐπαναφορά, κλῖμαξ, etiam interrogatio (c. 279) et commoratio (c. 280) — nam ἡ... καλουμένη ἐπιμονή ἐστι μὲν ἑρμηνεία πλείων τοῦ πράγματος, μέγιστα δὲ συμβάλοιτ' ἂν εἰς δεινότητα — tandem (c. 281—2) euphemismus, superlatio, allegoria. Quae igitur omnia de δεινότητι[3]) praecepta et ad verba componenda et ad figuras adhibendas pertinentia cum iisdem praeceptis quae ad dinosin conformandam spectant, inde aperte congruere elucet, quod fieri non potest quin oratio indignationis atque adeo gravissimo colore fucata vim quoque atque impetum habeat.[4])

Quid in dinosi adhibenda actio quidve apparatus scaenicus — illa quod praecipue ad orationes, hic quod imprimis ad tragoedias spectat — valeat, non est cur longius explicem, cum unum ex eximia testimoniorum copia[5]) prae-

---

[1]) Quod Mayer Theophrasto sicut omnem de hac dicendi virtute disciplinam tribuit.

[2]) Σφοδρότης est vehementia quaedam; cf. Aristid. (II 493, 20 Sp.)... δέ ἐστι καὶ ὅταν τις ὑπεραγανακτῇ, οἷον... et exemplum de Midia et Aristogitone affert.

[3]) Quam Demetrius etiam appellatione ἐπαναστατις comprehendit (c. 278) quae exsuscitationi (*Auct. ad Heren.* IV 39, 51 sq.) respondet, ut recte Mayer p. 188 comprobat. Addendum est Apsinem gravissimos locos κοινοῦ τόπου, ut ἄλλον βίον, διάνοιαν, ὑπογραφήν in patheticis narrationibus usurpanda putare (259, 1 Sp.-H.).

[4]) Propterea rhetores de ῥωννύειν in peroratione disputant; cf. Incert. rhet. (352, 10. 357, 5. 388, 18 Sp.-H.). Atque ut non solum testimoniorum copia augeatur, verum etiam vim coloris nostri propriam esse appareat, non longum locum ex Plutarcho, ubi hic de discrimine inter orationes et dicendi rationes Tiberii et Gai Gracchi intercedente disserit, dignum qui exscribatur, puto (*Tib. Gracch.* 2): πρῶτον μὲν οὖν ἰδίᾳ προσώπου καὶ βλέμματι καὶ κινήματι πρᾳος καὶ καταστηματικὸς ἦν ὁ Τιβέριος, ἔντονος δὲ καὶ σφοδρὸς ὁ Γάϊος, ...ἔπειτα ὁ λόγος τοῦ μὲν Γαΐου φοβερὸς καὶ περιπαθὴς εἰς δείνωσιν, ἡδέων δὲ ὁ τοῦ Τιβερίου καὶ μᾶλλον ἐπαγωγὸς οἴκτου.

[5]) Cf. vel Dem.; Cic. *De or.* III 56. *Tusc. disp.* II 24.

ceptum afferre satis est. Quintilianum, quid de commiseratione dicat, perlegas velim (*Inst. or.* VI 1. 30): *Non solum autem dicendo, sed etiam faciendo quaedam lacrimas movemus, unde et producere ipsos, qui periclitentur, squalidos atque deformes et liberos eorum ac parentis institutum, et ab accusatoribus cruentum gladium ostendi et lecta e vulneribus ossa et vestes sanguine perfusas videmus, et vulnera resolvi, verberata corpora nudari...*[1])

Quoniam auctoritas dinosis maxima praeceptaque de gravissimo illo colore tradita multa et difficilia fuerunt, oratorem, cum hoc condimento orationem afficere studuerit, non solum artis rhetoricae peritissimum esse debuisse, sed huic etiam scite et commode indignationem adhibendam fuisse res ipsa loquitur. Saepius enim evenire potuit, ut aut argumentum aut tempus aut ipsi audientes impedimento essent, quominus dinosis quae σφοδρὰ commoveret πάθη, efficeretur, ut rectissime Incertus auctor libelli qui est *De sublimitate*, animadvertit (III 5): ἔστι δὲ πάθος ἄκαιρον καὶ ἐνὸν ἔνθα μὴ δεῖ πάθους, ἢ ἄμετρον ἔνθα μετρίου δεῖ. πολλὰ γὰρ ὥσπερ ἐκ μέθης τινὲς εἰς τὰ μηκέτι τοῦ πράγματος, ἰδία δ' ἑαυτῶν καὶ σχολικὰ παραφέρονται πάθη, εἶτα πρὸς οὐδὲν πεπονθότας ἀκροατὰς ἀσχημονοῦσιν, εἰκότως ἐξεστηκότες πρὸς οὐκ ἐξεστηκότας. Nobis scilicet argumenta et quae, cum ille color perverse usurpatur, evenire possunt, consideranda sunt. Atque primum modum et in descriptionibus proponendis et in verbis scite adhibendis retinere — cum neque nimis sufflata oratio et verba inepta cum dinosis natura coniungantur neque ad vehementes affectus concitandos conferant — scriptoris necesse est. Res deinde nimium fastidiosas, cum aut per διατύπωσιν aut per ἐνάργειαν demonstrentur, hoc unice habere constat, ut cum molestiam aspergant, tum taedium audientibus afferant. Quae res igitur fastidiosae, ut adulteria, puerorum amores e. s. ne penitus narrentur et describantur, iustissime rhetores hortantur.[2]) Quomodo oratores αἰσχρά evitent, ex his exemplis elucet (Isocr. *Plat.* 50): οἶμαι δ' ὑμᾶς οὐδὲ τὰς ἄλλας αἰσχύνας ἀγνοεῖν τὰς δὲ διὰ πενίαν καὶ φυγὴν γιγνομένας ἃς ἡμεῖς τῇ

[1]) Cf. etiam XI 3, 132.

[2]) Cf. Anaxim. c. 35 p. 84, 13 Sp.-H.; Quint. *Inst. or.* XI 1. 84; Nicol. III 476, 18 Sp.

μὲν διανοίᾳ χαλεπώτερον τῶν ἄλλων φέρομεν, αἰσχυνόμενοι λίαν ἀκριβῶς τὰς ἡμετέρας αὐτῶν ἀτυχίας ἐξετάζειν, (Isae. V 30) τὴν δὲ μητέρα [τὴν] αὐτοῦ καθημένην ἐν τῷ τῆς Εἰλειθυίας ἱερῷ πάντες ἑώρων, καὶ τούτῳ ἐγκαλοῦσαν ἃ ἐγὼ αἰσχύνομαι λέγειν, οὗτος δὲ ποιῶν οὐκ ἠσχύνετο.[1]) Ut autem res fastidiosae, quippe quae affectus dinosi contrarios commoveant, ante oculos poni, ita res parvae atque inanes, cum risum omnibus eliciant, tragicum in modum depingi non possunt. Oratorem enim, cum is orationem quae de rebus sit parvis ac riduculis, graviore inficere colore conetur, ita sibi agere videri optime Incertus auctor libelli De sublimitate opinatur (XXX 1), ut si parvo puero magnam induat personam.[2]) Ut autem in mortibus, caedibus miseriisque describendis dinosis proprietatem non solum versari, immo vero maximam auctoritatem habere statuimus, ita ex adverso dolorum exquisitorum facinorumque atrocissimorum nimias quasi coacervationes legentibus nihil aliud nisi molestiam et taedium afferre videntur.[3]) In ornatu quoque orationis adhibendo modus scriptoribus servandus est, nam facillime fieri potest, ut error qui non longe ab impetu orationis absit, sine dubio committatur; tum enim scriptores in orationem sufflatam vel in κακόζηλον collabuntur, ut rhetores docent.[4]) Proximum est, ut ostendamus, quatenus dinosis, quod ad compositionem et totius operis et singularium descriptionum spectat, falso adhiberi possit. Atque ut brevissime res explicetur, monendum est omnia quae huic artificio quod praeparationis vel praemunitionis appellatione comprehendimus, adversaria sint, pro gravissimo compositionis errore

[1]) Cf. e. g. Tac. *Hist.* II 93, 3 (sc. milites Vitelliani) „per illecebras urbis et inhonesta dictu corpus otio, animum libidinibus..."

[2]) Simili opinione Quintilianum imbutum esse ex eius scriptis accipimus (*Inst. or.* VI 1, 36); cf. etiam Philodem. (*Rhet. I. P.* 199 S.), Lucian. (*De hist. conscr.* 23), quae testimonia in adnotatione editionis quartae auctoris *de sublimitate* quam I. Vahlen curavit (Lipsiae 1910) p. 54—55 leguntur.

[3]) Aristoteles tum apparatum scaenicum e fabula removet, si huius ope poeta portentosum et monstruosum aliquid appetere studet (*Poet.* XIV p. 1453 b 8); cf. etiam Ioannem Volkelt, *Ästhetik des Tragischen*, Monachii 1897, 57 et 46.

[4]) Cf. *Auct. ad Heren.* IV 10, 15, Quint. *Inst. or.* VIII 3, 56—7. IX 3. Adde quod Apsines non frustra monet (258, 8 Sp.-H.), ut in patheticis narrationibus commode atque scite quivis orationis ornatus usurpetur.

— nam gradationem quae etiam ad singularium descriptionum compositionem attinet, omittamus — manifesto haberi debere. Si igitur scriptoris interest, ne subitis legentes factis opprimantur, id ei praecipue curandum est, ut tamquam praeparandi animos causa, mentiones quasdam de rebus crudelibus quae instent, descriptioni propriae anteponat eamque gradatim proponat. Quod orator imprimis in prooemio — quamquam in argumentatione et narratione se res atroces atque insolitas in epilogo descripturum esse leviter indicare potest — imprimis facere solet.[1])

Atque de dinosis auctoritate hactenus. Ex iis testimoniis clarissime sequitur gravissimum colorem, cum is aut perverse, aut non suo loco, aut immoderate adhibeatur, in contrarios colores quibus neque ira atque odium neque metus, sed molestia, taedium, vel risus saltem misericordiae, ut dicere solemus, excitetur, e vestigio verti ac mutari. Ita insignis color qui per impetum δεινότητα cum sublimitate ὕψει[2]) coniungitur, iis quae sibi ut παρατράγῳδα, μειρακιώδη, παρένθυρσα[3])

---

[1]) Poeta autem sed praesertim poeta tragicus ad σύστασιν τῶν πραγμάτων spectantia praecepta et ἤθη — quorum apertum neglectum tragoediae novae Aristoteles crimini dat (*Poet.* VI p. 1450 b) — respicere, rerum tandem gestarum scriptor in separatis digressionibus causas factorum i. e. malorum principia, quorsum futura horum acerbitas referenda *est, prius scite afferre solet. Quam ob rem Phylarchus dinosis historicae* artifex, cum id manifesto levissime contempsisset, iustam Polybii vituperationem nullo vitare potuit modo (II 53, 13): χωρὶς δὲ τούτων τὰς πλείστας ἡμῖν ἐξηγεῖται τῶν περιπετειῶν οὐχ ὑποτιθεὶς αἰτίαν καὶ τρόπον τοῖς γινομένοις, ὧν χωρὶς οὔτ' ἐλεεῖν εὐλόγως οὔτ' ὀργίζεσθαι καθηκόντως δυνατὸν ἐπ' οὐδενὶ τῶν συμβάντων... Quoniam haec historicorum scribendi ratio quae unice in dinosi efficienda versabatur, ad veritatis superlationem et traiectionem in rerum memoria plurimum contulit, nihil mirandum vocabula ταγῳδίζειν, τραγικός sensim nihil aliud nisi *fallere, decipere* significare coepisse; cf. etiam Hermannum Peter, *Wahrheit und Kunst. Geschichtsschreibung und Plagiat im klassischen Altertum*, Lipsiae—Berolini 1911, 215.

[2]) Apud auctores Romanos cum vocibus ὕψος, ὑψηλός conferri possunt hae: altitudo (Cic. *Brut.* 17, 66. Tac. *Dial.* 31) elatio (Cic. *Brut.* 17, 66), elatus (Cic. *Or.* 36, 124. Quint. *Inst. or.* VI 2, 19. XI 104), maiestas (Cic. *or.* 5, 20), sublimitas (Quint. *Inst. or.* X 10, 23); cf. adhuc P. Geigenmueller p. 59.

[3]) Cf. Auct. *De sublim.* c. 3, ubi de principalibus affectuum erroribus disputat.

prorsus adversa sunt, cum nullos affectus proprios excitare, tum vero nullam κάθαρσιν[1]) efficere potest.[2])

---

[1]) Cogito hic de ea quam Stephanus O. Haupt, *Wirkt die Tragödie auf d. Gemüt o. d. Verstand o. d. Moralität der Zuschauer? oder der aus d. Schriften d. Aristoteles erbrachte wissenschaftliche Beweis für d. intellektuelle Bedeutung von Katharsis* (Bibliothek für die Philosophie hrsg. v. Ludwig Stein vol. XII Beilage z. Heft 3 d. Archivs f. Gesch. d. Philosophie vol. XXVIII), Berolini 1905 p. 59 accepit καθάρσεως significatione „Die nachahmende Darstellung bewirkt durch Mitleid und Furcht die Aufklärung, wie wir uns bezüglich solcher Gemütsaffektionen in unserem Innern verhalten" — non de aliqua affectuum purgatione quos scriptor per δείνωσιν commovet, ut autumat F. Knoke *Begriff der Tragödie nach Aristoteles*, Berolini 1906 p. 56 qui p. 27, eorum qui antea fuerunt (a Lessingio usque ad Baumgartenium) virorum doctorum de καθάρσει opiniones perscrutatus est. Longe quidem abest, ut huius καθάρσεως vim atque potestatem ethicam (hedonicam), medicam (pathologicam), vel tandem aestheticam (cf. Hans Laehr, *die Wirkung der Tragödie nach Aristoteles*, Berolini 1896 p. 86, Alfred v. Berger, *Wahrheit und Irrtum in der Katharsistheorie des Aristoteles* (Aristoteles' Poetik übersetzt und eingeleitet v. Theodor Gomperz. Mit ener Abhandlung „Wahrheit..."), Lipsiae 1897 p. 97 sq., Robert Petsch, *Die Theorie des Tragischen im. griech. Altertum* (Zeitschrift f. Ästhetik und allgemeine Kunstwissenschaft hrsg. v. Max Dessoir vol. IX 2), Stuttgart. 1914 p. 232) hoc loco accuratius perpendam unamque ex iis notionem arripiam.

[2]) Quoniam in priore dissertationis parte (De dinosi I, Eos XXX 1927 p. 227 adnot. 1) indicem rhetorum et grammaticorum apud quos occurrit vox dinosis, hoc modo composui, ut saepe enotarem versus ad initium enuntiati spectantes, ubi haec vox invenitur, liceat hoc loco numeros eorum corrigere: Anonymus (Ἀνώνυμος, Κορνοῦτος Graeveni) *A. rhet.* p. 376, 13. 396, 1. 398, 4 Sp.-H. Anonymus *Schol. in Hermog. stat.* VII 323, 19. 429, 25 W. Apsines *A. rhet.* p. 296, 15. 328, 19 Sp.-H. Aristoteles *A. rhet.* II 21 p. 1395 a 9. 24 p. 1401 b 3. III 16 p. 1417 a 13. 19 p. 1419 b. 26. Caecilius Calact. (Ap. Tiberium, *De fig.*) III p. 78, 3 Sp. M. Capella *A. rhet.* c. 53 p. 491, 19 H. Demetrius *De eloc.* 130, v. III 291, 10 Sp. Dionysius vel Longinus *De subl.* c. 11. p. 29, 2. c. 12 p. 30, 21 J.-V. Dionysius Halicarnassensis *De imit.* c. 420 v. II 1. 205, 5. c. 433 v. II 1, 212, 13. *De Lys.* c. 19 v. I 31, 22 Us.-Rad. Doxopater *In Aphthon.* II p. 386, 1 W. C. Fortunatianus *A. rhet.* c. 2, 31 p. 119, 32. 120, 8. H. Gregorius Corinthius *Schol. in. Hermog.* VII p. 1267, 13 W. Herodianus *De fig.* VIII p. 589, 5 W. Etsi codices ibi lectionem δήλωσιν vel δεῖλωσιν exhibent (Hav. et Paris. 2), δείνωσιν scribendum esse facile assequimur. Longinus *De invent.* IX p. 595. 21 W. Macrobius *Saturn.* IV 2. 6. Marcellinus *Schol. in Hermog. stat.* IV p. 422, 31. 803, 9 W. Nicolaus *Praeexercit.* III p. 477, 6 Sp. Photius *Bibl.* cod. 262 p. 488 b 25 (quod Ernestus Ofenloch, Caecilii Calactini fragm. Lipsiae 1907, 98 Caecilio Cal. tribuit). Maximus Planudes *Schol. in Hermog. stat.* V p. 463, 13 W. Quintilianus *Inst. or.* VI 2, 24. VIII 3, 88. IX 2, 104. Schol. in Aphton. II p. 614, 5 W. Sopater Διαίρεσις ζητημάτων VIII p. 76, 13. Διὸ περὶ τῶν αὐτῶν μὴ εἶναι δίκας VIII p. 277, 23 W. Syrianus *In Hermog. comment.* I p. 24, 7. 25, 12 R. „Romani vocem..." (quae sequuntur bene exscripta sunt).

PLATO BONI IDEAM QUATENUS IN *CIVITATE* ILLUSTRAVERIT

disquisivit
STANISLAUS LISIECKI

Quolibet dialogo Plato quid sibi in primis illustrandum proposuisset, quippe quod iam ex prooemio semper fere transluceret, non erat cur unquam dubium ullum exoreretur. Sed *Civitatem* scribenti, quae praecipua quaestio esset obversata, temporibus tum antiquis cum recentioribus operis istius investigatores fuisse incertos satis constat. Alii quidem de regnandi diversis formis earumque optima, alii alterius inscriptionis memoriae proditae ratione habita περὶ δικαίου seu de iusto disserere, alios utrumque, civitatis quidem et virtutis notionem, definire eum voluisse putaverunt. Quarum opinionum ad veritatem quae proxime accedere videretur, C. Steinhart in praefatione H. Muelleri versioni praefixa (Lipsiae 1855) ostendit aque in contextum inquirens dialogum, cuius singulas partes intime sibi cohaererent, perpetuitate nequaquam carere contra adversarios optime probavit. Ex recentioribus doctis Eugenius Jarra (*Idea państwa u Platona i jej dzieje*, Warszawa 1918) quamcunque disceptationem ad dialogi argumentum praecipuum investigandum spectantem prorsus ineptam censuit, cum ne cogitari quidem posset ulla civitas iustitia neglecta neque iustitia relucere valeret nisi ex civitate bene ordinata. Wilamowitz (*Plato*, Berol. 1920) totius suae vitae uberrimam peritiam posteritati tradere Platonem habuise in animo dixit. Secundum Ottonem Apelt *Platons Staat* [Philos. Bibl. vol. 80], Leipzig 1921 Plato civitatis quidem notionem in primis explicare constituit, quod vero eatenus tantum perfecit, quatenus philosophiae ope eam componere potuit, qua occasione generis humani educandi salubria tradidit praecepta.

Attamen Platonis verum propositum mihi alio insuper modo definiri posse videtur. Quodsi immortalem sibi laudem eo peperisse constat, quod in philosophiam notionem novam, ideam quidem, divino inflatus spiritu introduxisset, cui istius „quod re vera est" (τὸ ὄντως ὄν) notam soli deberi censuisset et quam in *Phaedro* praecipueque in *Phaedone* intime investigavisset, earumne summam, boni scilicet ideam, in primis celebrare voluerit quaerimus. Cum quidem *Civitatem* dialogorum esse subtilissimum sciamus, cui sub vitae demum finem extre-

mam imposuerit manum et quo quae experiendo ipse didicerit ut testamentum quoddam relinquere hominibus in animo habuerit, nonne licet dicere illam praeter ceteras a se amatam boni ideam, quam semper intuentibus felicitatis fonti futuram esse speravisset, summis efferendam laudibus eum sibi proposuisse? Quod eatenus saltem demonstrare conabimur, quatenus Platonis nonnullis sententiis allatis ad auctoritatem quam boni ideae ipse adscripserat animos advertemus. Utramque vero tum boni ideae tum solius boni notionem quam nullo discrimine indicato in dialogo invenimus et nos promiscue sumus adhibituri.

I. De boni ideae notione.

Bonum Socratis sectatores quid intellegi voluerint, quippe quod tum in iucunditate [ἡδονή] tum in intelligentia [φρόνησις] posuerint, licet videre ex *Philebo* qui de his altercationibus conscriptus est. Socrates utraque refutata neque illi neque huic assentiri se posse dixit, exclusa enim intelligentia solam iucunditatem ne percipi quidem valere ab homine, ast, nisi iucunditas insimul excitaretur, solam intelligentiam, qua non essent praediti nisi di (33 B), divino quidem homini sufficere, sed nos haud ita esse divinos (22 C); bonum in utriusque quadam coniunctione potius tantum oportere versari, quantum intelligentia, quae non spectaret nisi ad res aeternas, alteri praeferretur.

Quam disceptationem in *Civitate* II 357 sq. explicatam invenimus, ubi optimi et plurium generum — ut gaudere, sapere, videre, valere, gymnasio operam dare, male valentem curari, medicinam exercere — fit mentio et praecipue duorum quae cum utroque supra allato cum congruant appellenturque scientia et iucunditas nunc investigare maxime nostra interest (VI 506 B ἀλλὰ σὺ δή, ὦ Σώκρατες, πότερον ἐπιστήμην τὸ ἀγαθὸν ῥῇς εἶναι ἢ ἡδονὴν ἢ ἄλλο τι παρὰ ταῦτα). Et ipsas esse reprobandas ex hisce elucet: studiosos quidem iucunditatis quae nempe vel bona vel mala esse posset, cum utram appetendam censerent non indicavissent expresse, optimi pessimique omne discrimem funditus sustulisse; nec minus eos erravisse, quibus scientia in primis desideranda videretur, cum non quaelibet, sed ea quae non haberet nisi boni rationem, verae felicitatis fons esse posset; quodsi igitur nec qualis praecipue animis eorum obversaretur dixissent neque essetne universe aliquod bonum pretii maioris quam scientia ostendissent,

eiusmodi opinionem, quippe qua ne ulla quidem certa regula contineretur, immo nihili esse habendam ne mirarentur.

Bonum tandem quomodo sit definiendum quaerimus. Cuius descriptionem adstrictam subtilemque a Socrate extemplo propereque esse datam qui putaverit, fallitur. Glauconi quidem quemadmodum de iustitia et temperantia disputavisset, ita ut nunc boni explicaret notionem petenti quid respondit? Qua quidem in re disquirenda ne omnino vires se deficerent, dixit se timere; quodsi autem quod in animo meditaretur tamen aperte proponeret, fieri non posse quin ab audientibus ineptus haberetur et plane irrideretur; quapropter quid optimum [αὐτὸ τὸ ἀγαθόν] esset et quid de eo ipse sentiret usque ad id tempus omnino iis manifestari non posse, cui quippe concipiendo nondum essent idonei; boni quidem ideam, qua demum adiuvante quicumque actus iusti evasuri essent salubres et conducibiles, μέγιστον μάθημα (VI 505 A) seu maximam disciplinam seu scientiam esse interim iis scire sufficere. Optimum non posse esse nisi unum, quod omnia complecteretur et quo absente homo nec quicquam cognoscere neque honeste vivere valeret Plato eo indicavit, quod rerum quarumcunque quas nos appellamus bonas multitudinem uni, boni quidem ideae subiciendam dixit (VI 507 B κατ' ἰδέαν μίαν).

II. Bonum cum iusto quatenus cohaereat.

Boni ideam quam serio immo religiose sibi tractandam proposuerit inde apparet, quod ex iustitiae notione eam relucere probaverit. Quod quatenus ei contigerit, iam ex libro primo licet videre, quo Socratem aetate media gaudentem et Cephalum grandem natu de senectute induxit loquentes. Cum hic in nonnullis aetatis senilis emolumentis enumerandis non acquievisset, sed opibus insuper copiisque florentem bis tantum beatam eam censuisset, quippe cum damno fortasse illato ex rerum abundantia facile quis illud restituere valeret ideoque omnino purgatus non iam haberet cur terrores carminibus depictos exhorresceret et hac ex vita illuc secure posset transire, Socrates data occasione facere non potuit quin ad iustitiae notionem investigandam deflecteret. Quam quaestionem Cephalus cum declinasset, Socrates cum Polemarcho de ea est collocutus. Cuius falsae opinioni redarguendae intentus iustitiam utpote eximiae virtutis fama florentem non modo non posse spectare ad malum cuiquam inferendum, sed, cum boni ideae

imago esset quaedam, immo utilitatem iam hac vita praebere omniaque optime vertere sententiarum varietate abundans pulcherrime exposuit (I 331 C — 336 B). Immo contra Thrasymachum, qui vel tyranni defendens conditionem iustum id esse dixit quod imperium tenenti esset commodo, iustitiam, cuius notio saltem adumbrata vel in pessima inesset anima, tum universae civitatis tum hominum singulorum salubritatis fontem appellando et iustum a dis diligi, iniustum in eorum odium venire profitendo boni ideam utpote homini appetendam defendit (I 337 A — 346 D. 348 B — 356 C).

Adversariis qui de iustitia prave sensissent rite redargutis, eo diligentius eam perscrutari est coactus, cum Glauco et Adimantus, viri probi optimeque morati, novam opinionem multo periculosiorem non tanquam suam, sed ab aliis auditam eius arbitrio diiudicandam permisissent: dubium ex temporum corruptis moribus manans esse exortum an ubicunque terrarum iustitia omnino reperiri non posset, cum omnis mundi ordo tam manifesto perversus videretur, ut sorte cum moribus vehementer discrepante homines vel iam ad desperationem essent adducti. Socrates praeter alia argumenta eiusmodi scrupulos impugnantia animos eorum ad id in primis advertit mundo imperantem re vera vigere legem divinam, cuius esset vitae rationem sorte rependere seu utriusque efficere compensationem; quodsi autem interdum accideret, ut iusto homini omne profecto praemium denegaretur, quae discrepantia moleste ferretur, non contingere nisi raro ut iusti praemiis careant, iniusti poenam effugiant; hominis quidem esse ita vivere, ut intellegere et velle seu veri cognitio et agendi ratio secum consentiant necnon ut ex utraque unum quiddam fiat quod boni ideae sit simile et proximum. Quibus dictis exacerbatos animos se placaturum speravit Socrates (II 357 sqq.).

III. De sole utpote optimi filio.

Singulari pietate animique quodam fervore Plato solis ut omnium rerum augusti auctoris benignique conservatoris fecit mentionem, quem hora matutina laete salutare ac si ipse a pueris consuevisset. Quam suaviter laudat parentes, qui sole oriente et ad occasum vergente (*Leg.* X 887 D) pro se suisque liberis precibus et supplicationibus deos alloquentes provoluti adorent! Solem quidem optimi progeniem seu filium eique simillimum (*Civ.* VI 506 E ἔκγονος τοῦ ἀγαθοῦ φαίνεται καὶ ὁμοιό-

τατος ἐκείνῳ) appellare non dubitavit: ut enim hebetem oculum nostrum solis occaecantem splendorem diu aspicere non valere, ex eius tamen luce continenter profluente aliquo saltem modo vim quandam ei inesse conicere posse, ita animum optimi celsissimi proxime cognoscendi non pollere vi, sed ratione adiutrice cogi inniti, quae purissimus eius esset repercussus; ut porro visum, sensuum omnium perfectissimum, rem quamlibet non posse proxime attingere, qua sua imbecillitate a reliquis differret, sed praeter videndi vim sibi propriam reique observandae colorem tertii alicuius medii indigere, sine quo eius speciem capere non valeret, lucis quidem, qua demum affulgente res patefieret clareque eniteret, ita ratione absente animo id posse accidere, ut rei non cognosceret nisi speciem externam, sed in eius ipsam naturam, in qua eius idea inesset, descendere non valeret.

Plato solis sublimitatem et auctoritatem celebravit eo quod in deorum immo caelestium numero collocavit (VII 508 A τίνα ἔχεις αἰτιάσασθαι τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν τούτου κύριον;) eum quippe cuius lux efficeret, ut et visus noster quam optime cerneret et quae oculis obicerentur certe a nobis viderentur.

Sed ne luce quidem in primis effici, ut ad res clare percipiendas oculus sit capax ait Plato; quod enim ei non contingeret, nisi affinitate quadam cum sole ipse esset coniunctus, ex cuius fonte altissimo omnem suam vim hauriret; sensuum quidem instrumentorum oculum soli esse simillimum (VII 508 B ἡλιοειδέστατον τῶν περὶ τὰς αἰσθήσεις ὀργάνων).

Cuius similitudinis cum habuisset rationem, animum ad optimum ita se habere voluit: ut oculum cum sole affinitate esse coniunctum, ita animi partem divinam, rationem nimirum, optimo esse proximam cognationeque id ipsum attingere, ex qua mentis fingendae verique cognoscendi perciperet fructum. Sed oculo in terrestribus rebus conspiciendis acquiescente animus altius quiddam appetit; qui quidem verum ipsum, seu ut ait Plato *id quod est* (τὸ ὄν) cognoscere desiderat, cuius vis sit tanta, ut nulla res nisi ab eo illustretur unquam possit cognosci. Animum igitur in primis operam dare oportet, ut tum a rebus exorientibus et intereuntibus, quippe quae tenebris sint permixtae nec quicquam aliud ei praebeant nisi opinionem, quae eum reddat obtusum, se plane avertat, tum summopere meditando et ratiocinando denique perveniat ad id quo rei natura contineatur seu ad famosam illam ideam quae

cum sit immutabilis, sola est digna quae *id quod est* denominetur, et rei est causa ultima et sola verum complectitur. Quod si assecutus erit, ideam demum conspiciet et sibi denique contigisse ut recte *intellegeret et cognosceret* gaudebit et *intellectum habere* videbitur. Quam persuasionem adstruit allata parabola praeclarissima de specus hominibus (VI 515 D sq.).

Idearum summam boni ideam appellavit Plato. Quam quatenus auditoribus explicare se posse putavisset, iam capite primo indicavimus: cuius notionem ut praesto habeamus, totum repetimus contextum. Socrates quidem Adimantum sic est allocutus (VI 505 A): „Boni ideam esse maximam disciplinam saepe audisti, qua accedente actiones iustae aliaeque eiusmodi fiant demum utiles et conducibiles; et nunc fere scis eam animo meo obversari nec praeterea nos satis eam novisse; quam autem etsi ignoramus, tamen, si sine ea vel maxime noverimus reliqua, nullo nobis fore usui scis, quemadmodum ea absente quodcumque possideremus non esset nobis profuturum; an praeter optimum possidere quidquam putas esse utile? aut alia omnia intellegere remoto optimo, pulchrum vero et bonum nihil intellegere?"

Boni porro ideam, cuius celsitudinem his extulit verbis, vi duplici florere ait et ea quidem quae ut res ab homine investiganda erroris evitandi causa omnino nuda specieque deposita ei patefiat efficiat, et ea quae ipsam cognoscere studenti det certe cognoscendi facultatem. Boni igitur idea, tali potentia praedita, veritatis et scientiae habenda est causa (VI 508 E αἰτία ἀληθείας καὶ ἐπιστήμης). Utramque esse venustam hominumque permulcere animos nemo quidem negabit; ast utraque utut est bona, optimi tamen eminentia longe superatur. Utraque autem ad optimum quomodo se habeat ut demonstremus, illius comparationis inter oculum visumque et solem factae memoriam necesse est renovemus: oculum visumque similes soli esse licet quidem dicere, sed eos idem ac solem habere vetamus. Perinde utramque, veritatem et scientiam, quarum causa sit optimum, idem esse ac optimum ipsum cuius natura, ἕξις, maioris sit pretii, affirmare est nefas; nam cum veritas et scientia suam pulchritudinem non debeat nisi ipsi optimo sine quo omnino ne vigere quidem valerent, fieri non potest quin hoc tanta fulgeat amoenitate, ut nostra saltem mente concipi nequeat (ἀμήχανον κάλλος). Porro solis

commonefacti dicimus: ut is non solum id efficit, ut res oculis aspiciendae rite possint conspici, verum etiam ut omnino generentur, crescant, alantur, ita optimum non solum id efficit ut res intellectu a nobis comprehendendae certe a nobis intellegi possint, sed et ut omnino procreentur ac sint (τὸ εἶναι). Inde etiam sequitur ut optimum quod tanta gaudeat vi, ut ipsum rebus benigne det τὸ εἶναι, non possit esse idem ac τὸ εἶναι, quod superet sua dignitate et potentia (VI 509 B τοῦ ἀγαθοῦ πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει ὑπερέχοντος). En quam alte optimum consurgit quippe quod mundum procreaverit eiusque obtinuerit principatum!

Unde reliquas ideas quarum Plato centies mentionem facit, ut pulchri saltem afferamus, quas non dicit causas effectivas esse, sed tantum finales, pari dignitate carere patet: quas creandi vi non ornatas, sed exemplaria (παραδείγματα) potius esse ostendit, secundum quae res demum in lucem proferantur.

IV. De boni idea nobis appetenda.

Platonem altum quiddam et sublime spirasse animumque habuisse excelsiorem patet quam Anaxagoram. Qui enim νοῦν seu rationem mundi esse auctorem affirmavit quidem, sed adeo non demonstravit ut mechanice potius eum explicavisse videretur. Quod saltem non eam quam speravisset rerum causam teleologicam, sed fingente mente omnino vacuam in eius libro illustratam invenisset Socratem conquerentem fecit Plato (*Phaedo* 97 C). Qui quidem ad mundi cuius omnes partes optime inter se consentirent admirabilem concentum animos nostros advertit, ex quo omnium telem collegit creatorem, in cuius cognitione qui terrestribus rebus neglectis totum se collocavisset et rectos mores et pacem iucundam esset consecuturus. Quod quam praeclaris extulerit verbis audiamus (VI 500 C): „O Adimante! Qui ad ea quae sint mentem vere converterit, in hominum negotia despectare et cum iis conflictando invidiam malevolentiamque suscipere ne tempus quidem habet; rebus potius bene ordinatis neque unquam se immutantibus iniuriamque neque inferentibus neque patientibus sed ornate prorsus et consentanee dispositis contemplandis deditus id praecipue agit, ut eas imitetur seque iis reddat quam simillimum. An fieri posse putas, ut quis illud quocum plenus amore versetur non imitetur? Cum divino igitur et honesto versatus honestus et divinus ipse fit philosophus". Boni igitur ideam,

quam omnium solam causam tanto studio celebravit et cui easdem ac nos nostro deo proprietates immo divinitatis notam attribuit, nil aliud nisi eundem intellegi voluisse videtur. Quem autem quod eodem vocabulo aperte non nominaverit est profecto quod miremur. An a suorum temporum religiosis opinionibus laedendis cavit? In ratiocinando potius acquiescere eum intendisse praecipueque id egisse putamus, ut optimi notionem ostenderet strictissimam et integerrimam, quod quidem quatenus ei contigisset vidimus.

Quomodo tandem boni ideam nec cogitandi ope satis intellegendam nec verbis exprimendam nec cum qualibet re eodem numero habendam celebraverit considerantes, glorioso cantico ab his ordiente

> Boże w dobroci nigdy nie przebrany,
> żadnym językiem niewypowiedziany,
> najwyższe dobro, Tyś w największej cenie,
> sam jeden u mnie nad wszystko stworzenie

nonne similes laudes contineri audimus? Quanto porro amore homines incenderentur, si ut boni ideam adspicerent vere iis contingeret, Cicero est divinatus; qui quidem virtutem non esse nisi unam adeoque fieri non posse quin in unam omnes conciderent idemque efficerent cum ex Platonis dialogis comperisset eique assentiens bonum aequavisset honesto, ita exclamavit (*De off.* I 5): *Formam quidem ipsam et tamquam faciem honesti vides; quae si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiae.*

Iam reliquae quaestiones in *Civitate* investigatae, ut regnandi diversas rationes, hominum multiplicia negotia, poematum auctoritatem saltem afferamus, si cum boni celsissima idea a Platone laudata conferuntur, nonne tam minutae esse videntur, ut eam quidem ipsam opus suum gravissimum scribenti praecipue obversatam liceat conicere? Quod ex libro decimo apparet, ubi boni ideae vi effici, ut illa harmonia quam inter vitae rationem et impertitam sortem re vera esse cupimus flagrantissime, ast irritam factam toties videmus, tandem recandescat animosque placeat exacerbatos Eris, militis Pamphylii narratione licet mystica probatum invenimus. Plato autem cum *Civitatis* praecipue indicem operi suo imposuisset, id egisse videtur, ut ad boni ideae gravitatem manifestandam maxime eam ipsam dumtaxat iuste ordinatam esse idoneam ostenderet.

QUO MODO LUCRETIUS DOGMATA EXEMPLIS E NATURA ET VITA COTIDIANA PETITIS COMPROBAVERIT

scripsit
ELEONORA ZIMMERSPITZ

Inter homines per tot saecula litteras colentes inveniuntur nonnulli idem philosophi et poetae, quippe quibus indoles omnia intellegendi et explanandi cum vi quadam creatrice iuncta insit. Non tales quidem, sicut Platonem nunc in mente habeo, cuius philosophia, quamquam tota poesi imbuta, tamen sensibus est aversa: de illis potius hic sum dictura, qui ea sunt praediti indole, qua omnia quae sentiant cogitentve, et videant. Huius generis hominem designavit Carolus Reinhardt Posidonii ingenium explicans. Affirmat enim eius naturam duabus e viribus iisque contrariis constitisse. E quibus prior est vis imaginationis, cuius ope auctor singularia rerum et insignia percipiens insigni forma reddit: semper acutissimis oculis respicere videtur particulare, id scilicet, quo res distinguitur ab alia, id quod Graeci τὸ ἴδιον appellant.[1]) Huic facultati contrarius est interior quidam motus qui varia uni cuidam generi subiecturus omnia singula in unum universum coniungere gestit. Sed Posidonio non idem, quod Aristoteli in mente fuit, ut omnia discerneret inque ordines redigeret: immo potius varia omnia et dispersa ut ex una et simplice quadam vi emanantia et ab una potentia effecta comprehendere studuit. Cuiusvis rei αἰτίαν requirens intelligentiam claram et iudicium rectum τῶν ἰδίων acquirit pariterque τὰ ἴδια observans saltem aliqua ex parte τὴν αἰτίαν cognoscit.[2]) Ita et multitudo et uni-

[1]) Cf. Carl Reinhardt, Poseidonios, München 1921, 5: „Seine (des Poseidonios) Geistigkeit lässt sich vielleicht am klarsten in ein Schema bringen, wenn man sie bestimmt als die Koinzidenz zweier Gegensätze. Der eine dieser beiden Gegensätze wäre: seine Richtung auf das Einzelne, das Mannigfaltige, Besondere, Charakteristische, Individuelle... sein geschärftes Auge für die ἴδια und was weiter damit zusammenhängt: die Kraft des Künstlers, das Besondere zu erfassen, in besondere Form zu geben..."

[2]) Cf. ibd.: „Der andere der beiden Gegensätze wäre: Der Trieb zum Ganzen, das Zusammenschauen, der Drang die Mannigfaltigkeiten unter einen Hut zu bringen — nicht allein der Geist der Klassifikation, sondern die Gabe, das Zerwürfelte als Evolution aus einer Einheit zu begreifen, als Ergebnis einer Differenzierung und als Wirkung aufzufassen grosser einheitlicher Kräfte. Der Blick für die ἴδια schärft sich durch die Frage nach der αἰτία und die Frage nach der αἰτία stillt ihr brennendes Verlangen an den ἴδια".

tas, vis et effectus visa sunt et quasi oculis conspecta. Posidonius forsitan maximus ex illis antiquis intellegendi auctoribus fuit, qui oculis, immo vero imaginibus, sentire videbantur.[1]) Sed haec omnia, quae Reinhardtus de Posidonio dixerat, etiam in Posidonii aequalem paulo tantum iuniorem quadrant, qui eum in nonnullis operis sui partibus secutus est[2]): in T. Lucretium Carum. Cuius rei magnum documentum hoc est, quod Henricus Bergson de eo facit simillima illis, quae Reinhardt de Posidonio protulit.[3]) Hoc etiam nomen, quo Reinhardtus Posidonium ornat, cum affirmat eum ultimum fuisse ex illis magnis auctoribus antiquis, qui universum explanare conarentur,[4]) non minus quam ille meritus est poeta Romanus.

Iam Lucreti libros strictim perlegentem fugere non potest eum dogmatibus suis accuratissime Epicurum sequi.[5]) Ceterum ipse in libri III prooemio v. 3 sq. confessus est:

> Te sequor, o Graiae gentis decus, inque tuis nunc
> ficta pedum pono pressis vestigia signis.

Sed cum hac de re agitur, quomodo Lucretius ab Epicuro in dogmatis struendis pendeat, animadvertendum est eum in argumentis haec dogmata confirmantibus, non omnibus in partibus ma-

---

[1]) Cf. ibd.: „Einheit und Vielheit aber, Kraft und Wirkung sind geschaut, mit Augen gesehen. Poseidonios ist vielleicht, d. h. da man von Demokrit zu wenig weiss, der grösste Augendenker der Antike".

[2]) In libro V, quo phaenomena tractantur, Posidonium a Lucretio imitatione expressum affirmat Paulus Rusch, De Posidonio Lucretii Cari auctore in carmine „De Rerum Natura" VI, Jena 1882. — Quam opinionem improbat C. Landi (*Quaestiones doxographicae ad Lucretium et Ovidium spectantes* I. Memm. della R. Accademia di Scienze in Padova 26, 1911), qui Lucretium VI 703—737 *de Nili incremento* non Posidonium, sed Democritum et Anaxagoram exprimere censet. — H. Diels (Lukrez-Studien IV, Berl. Akad. 1921) putat Posidonii opus, quod περὶ ταχτικῆς inscribitur, a Lucretio in versibus V. 281 sqq., quibus bellum depingitur, imitatione expressum esse.

[3]) Cf. H. Bergson, Lucretius. Extraits précédés d'une étude sur la poésie, la philosophie, la physique, la texte et la langue de Lucrèce, Paris 1884 Rec. B. J. 1885 qui dicit: „Ce qui frappa le Romain, c'est la fermeté des lois du monde, de l'autre part, la vie intense et la variété charmante des êtres".

[4]) Cf. Reinhardt: „Poseidonius reiht sich am ehesten in den Kreis der grossen Vorsokratiker. Er, als der letzte grosse Welterklärer der Antike".

[5]) T. Lucretii Cari De Rerum Natura rec. H. Diels, Berolini 1922, VI 132—136. 142—144. 145—155. Epicurea ed. Hermannus Usener, Lipsiae 1887. Epist. II § 100.

gistrum imitari.[1]) Nam Epicurum his in scriptis quae supersint quibusque solis iudicium inniti possit, argumentis tantum a priori petitis usum esse videmus, Lucretius vero dogmata utriusque generis documentis, tam infinitis quam definitis (quae nunc etiam *concreta* et *abstracta* vocantur) comprobat.

Qua in re proprium Lucretii fuit semper priore loco argumentum a priori sumptum exhibere, post hoc demum pro documentis res observatione acquisitas afferre; e. gr. cum v. 1329—1369 omne materia expletum esse negat et e contrario edocet ullum *inane* existere, imprimis eo nititur argumento, quod si omnia materia essent expleta, motus omnibus in rebus notatus esse nequiret. Post haec tandem comprobat huius sententiae veritatem rebus, quas omnes animadvertere possumus, cibum totum corpus animantum et sonum muros domorum transire; duabus ex rebus, quarum neutra alteram magnitudine figurae superet, unam alteri pondere praestare. Multaque alia exstare, quae nullo modo explicari possent, nisi rebus *inane* admixtum esse concederemus. P r i o r e m huiusce argumentationis partem, scil. eam quam argumentum a priori appellare solemus, apud Epicurum quoque reperimus; in epistula enim prima ad Herodotum (*Epicurea* p. 6, 8) legimus: τόπος δὲ εἰ μὴ ἦν ὃν κενὸν καὶ χώραν καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν οὐκ ἂν εἶχε τὰ σώματα ὅπου ἦν οὐδὲ δι' οὗ ἐκινεῖτο, καθάπερ φαίνεται κινούμενα. Fragmento autem 272 (*Epicurea* p. 193, 3) de Sexto Emp. *Adv. dogm.* II 329 deprompto legimus: εἰ ἔστι κίνησις, ἔστι κενόν· ἀλλὰ μὲν ἔστι κίνεσις· ἔστιν ἄρα κενόν. Hic quidem Epicurus utitur syllogismo. Locum autem, ubi Epicurus alias rationes aut exempla ad thesim suam confirmandam afferat, omnino non repperi. Ergo Lucretius secundam argumentationis partem quae priorem amplitudine longe — nam versus 21 (I 346—367) occupat, cum prior 11 versibus contineatur — ex Epicuri libris mutuari non potuit.

Similiter atque hoc loco, res se habet ubicumque Lucretius praeter explanationem aut documentum logicum alias rationes, vitae observatione ac naturae suggestas, exhibet.

[1]) Quod ignorasse videtur J. Woltjer, Lucretii philosophia cum fontibus comparata, Groningae 1877, 70 haec dicens: „Satis videmur exposuisse poetam a philosopho Graeco non dissentire neque ad doctrinam eius quidquam addidisse neque, quae vitiosa sint, emendavisse; nihil fecit, quam eius philosophiam interpretari optima cum fide".

Ad secundam iam pervenimus quaestionem: comparationes et exempla e vita cotidiana naturaque petita ad dogmata adstruenda illustrandave an omnino Lucretii propria fuerint an cuiusdam alterius et, si ita res se habeat, cuiusnam imitatione expressa.

In didacticae poesis genere, quod Lucretius coluit, aliquos praecursores habet poeta. Nam ipsi antiquissimi Graecorum philosophi, qui omnium rerum causam extra materiem requirebant, scil. Xenophanes, Parmenides, Empedocles, philosophiae formam poeticam indiderunt, profecto spe adducti hoc modo philosophemata legentibus tractabilia simul et iucunda reddituros esse.[1]) Quorum philosophorum opera Lucretio bene nota fuisse scimus.[2]) In primis Empedoclem, quamquam dogmata eius impugnat, dilexisse et maximi aestimavisse videtur, quippe quem tam praeclara laudatione extollat.[3]) Idemque Empedocles exemplis e vita cotidiana naturaque haustis usus est; non tamen, ut Lucretius, pro argumentis, sed ad rem quam edoceret illustrandam. Quorum exemplorum nonnulla evidentia et subtilitate insignia sunt; excellunt quoque ea facilitate quam apud Lucretium admiramur. Hoc solum afferam exemplum cuius in usu Lucretius et Empedocles (fgm. Diels p. 253) conspirant: uterque non omne cum omni misceri posse praedi-

[1]) Quam spem Lucretius ipse nobis prodit IV 18—22 dicens:

Sic ego nunc quoniam haec ratio plerumque videtur
tristior esse, quibus non est tractata, retroque
volgus abhoret ab hac, volui tibi suavi loquenti
carmine Pierio rationem exponere nostram
et quasi musaeo dulci contingere melle.

[2]) Quod etiam Jobst, Ueber das Verhältnis zwischen Lucretius und Empedokles, Erlangen 1907 affirmat contra opinionem Woltjeri qui hos poetas tantummodo ex Epicuri opere Lucretio notos esse putat. Quod ad Empedoclem spectat, optimum documentum dant similitudines inter Lucretium et Empedoclem intercedentes.

[3]) Cf. Lucr. I 726—733:

Quae (insula) cum magna modis multis miranda videtur
gentibus humanis regis visendaque fertur,
rebus opima bonis, multa munita virum vi,
nil tamen hoc habuisse viro praeclarius in se,
nec sanctum magis et mirum carumque videtur,
carmina quin etiam divini pectoris eius
vociferantur et exponunt praeclara reperta,
ut vix humana videatur stirpe creatus.

cans pro exemplo affert vinum, quod cum aqua miscetur, cum oleo tamen iungi non vult. At Xenophanis tam pauca et minuta fragmenta ad nos pervenerunt (27 versus poematis Xenophanei omnino extant), ut perdifficile sit probatu Lucretium hoc opere usum esse. Unum reperio locum quo Lucretius Xenophanem redoleat: nempe Lucretius I 348—349 de inani docens hoc affert exemplum:

> In saxis ac speluncis permanat aquarum
> liquidus umor et uberibus flent omnia guttis.

Quibus versibus in memoriam revocatur Xenophanis fgm. 37 D.:

> καὶ μὲν ἐνὶ σπιάτεσσι τετοῖς καταλείπεται ὕδωρ.

Parmenides denique in his quae supersunt Xenophanis fragmenta et Empodoclis multo superantibus, ne minima quidem ullius observationis vitae aut naturae exempla praebet. Ergo spero fore ut non longe a vero abhorream Parmenidis opus exemplis documentisque observatione innixis caruisse affirmans. Quod mirandum sane non est, cum tota huius viri ratio ad speculationem dirigatur et rebus quae sensibus capiantur, aversa videatur. Ergo nullo modo hos poetas philosophos Graecos Lucretius in exemplis e natura vitaque cotidiana petitis imitatione expressit.[1]) Attamen veri est simile, reapse horum poetarum opera Lucretium impulisse, ut Epicuri rationes, quae etiam ipsius propriae fuissent, poetice evolveret. Ex quo profecto non sequitur Lucretium cuiusquam imitatorem fuisse, quin immo cum his in documentis exemplorum fontes litterarios ostendere nequimus, hoc quod operi eius maximum decus addiderit, eius ipsius ingenio insitisque virtutibus necesse est assignemus.

Ergo in Lucretio ipso, in ingenio eius et indole hic quaerendus est fons eorum permultorum capitum, in quibus poeta dogmata sua (nam Epicuri dogmata sua esse putabat) egregia cum arte et subtili sensu exposita, exemplis e natura vitaque haustis adiuvat. Quam quaestionem ut solvamus, Lucretium hominem a philosopho separatim tractemus oportet.

[1]) Nam in eis quoque versibus, in quibus similitudines quaedam inter philosophum Graecum et poetam Latinum intercedunt (ut loco citato de aqua permanante), Lucretius sententiam apud Xenophanem repertam variat poetica personificatione exornans *(uberibus flent omnia guttis)* et hoc modo descriptionem vividiorem reddens.

Nam triplex mihi esse videtur causa proferendorum locorum qui naturae observatione ac vitae imbuti sunt; quorum locorum primum genus Lucretio homini, secundum philosopho, tertium denique poetae adscribendum est.

Liceat igitur pauca de Lucretio homine dicere. Quamquam poeta doctrinam alienam, scil. Epicuri, tradit — in libris res physicas tractantibus etiamsi rationes allatae propriae auctoris essent, non habes ubi propria poeta proferre possit — tamen contra omnem opinionem multa Lucreti animi lineamenta ex eius opere extrahere licet. Ne longa sim, haec tantum enumerabo, quae nos in hac dissertatiuncula adiuvare possint.

Primo loco mihi fortitudo animi et vehementia memorandae videntur. His enim ex virtutibus maximam partem haec orationis Lucretianae vis atque impetus secum legentes abripiens defluxit. Lucretius quamquam promptus ad pugnam esse videtur (cf. II 1042 sq.) tantummodo in sancto ac iusto bello pro defendenda veritate, non cupiditate pugnae ipsius permotus, armis se accingit. Ipsum non magni aestimavit bellum cui in humanitatis atque cultus evolutione postremas partes tribuit; et quod plus est, verbis contemptionis plenis utitur, cum bellorum suo saeculo gestorum mentionem facit (V 999 sqq.). Immo potius in Lucretio cuiusdam maiorum anima, agricolae et boni patris familias revixisse videtur, id quod multis exemplis comprobatur. Creberrime agriculturam, saepius etiam pecudes et omnia quae cum illis cohaereant, commemorat. Terram item eximie venerabatur. Cuius venerationis et amoris magnum documentum dedit in carmine de Magna Matre i. e. de terrae symbolo et multis in epithetis, tanta cum arte quanto cum amore electis, quibus terram multis poematis locis exornat.[1]) Pecudes autem insigni amore amplexus est diligentique vitae eorum observationi incubuit, si tam elegantes et pulchras scaenas ex animalium vita depingere potuit, ut commemorem II 352 sqq., ubi matrem vituli mactati pullum suum quaerentem describit.[2]) Insigne quoque mihi id videtur, quod saepissime

[1]) E. gr. I 7: *Suavis, daedala tellus;* cf. etiam V 821 sqq., ubi terram merito matris nomen adeptam esse affirmat.

[2]) Cf. E. Bertrand, Lucrèce un peintre de la nature à Rome (Annales de l'université de Grenoble XVIII 1906, 209 sqq. 257—260), ubi hanc picturam describit et eius pulchritudinem bene notat.

de pecudibus loquens vocem *laetus* ponit [1]). — Lucretium persubtilem et ingeniosum rerum naturae observatorem esse, testantur versus IV 991—1005, quibus canes sopitos et in somnis negotia sua continuantes diligenter et secundum naturam depingit. Sed non solum eis animalibus, quibus cotidie fere occurrebat, animus Lucreti occupatus est: ferarum quoque in extremis terrae regionibus viventium mentionem facit [2]).

Quod ad sensum familiae pertinet, quo Lucretium maxime praeditum fuisse censeo, maxime commoveor tenero et admirabili amore, quo amplectebatur liberos *dulces*, ut eos appellare solebat. Liberorum mentiones in opere Lucreti, etsi rarae et breves [3]), tamen quodam calore mollissimi amoris sunt perfusae. Ad unum modo locum animum quaeso intendas, ubi primi coniugii primaeque familiae conditae iura et genus humanum mollescere incipiens commemorans (V 1017—18) dicit:

Puerique parentum
blanditiis facile ingenium fregere superbum.

Exeunte libro IV de rebus veneriis tractans multum locum quaestioni liberorum creandorum dedit eosque *divitias* (IV 1253) et *munitionem* (IV 1256) parentum appellat. Nescio qua re id fiat, sed facere non possum, quin in omnibus Lucretianis de liberis enuntiationibus aliquem lenem tristis desiderii sonum percipiam.

Ceterum in omnibus his quae ad vitae simplicitatem et ad luxus contemptum spectant, Lucretius cum magistro suo ad unguem convenit (cf. V 1117 sqq.). Scaenae e vita rustica haustae non solum mira cum arte, sed maximo cum amore depictae, amabili vivacitate longas philosophi aut physici argumentationes legentes nonnunquam defatigantes interrumpunt (cf. II 29—33).

[1]) Cf. II 660 sqq. et III 296 ubi varia animalia peculiaribus epithetis exornat, ut *lanigerae pecudes, equorum duellica proles* etc.

[2]) Ut e. gr. elephantorum mentionem facit, quos describit versu Ennium et Naevium redolente (V 1302): *boves lucas, turrito corpore, taetras anguimanus.*

[3]) Cf. III 87—88 (cf. II 55):

Nam veluti pueri trepidunt atque omnia caecis
In tenebris metuunt, sic nos in luce timemus.

aut IV 300—404:

Atria versari et circumcursare columnae
usque adeo fit, uti pueri videantur, ubi ipsi
desierunt verti, vix ut iam credere possint
non supra sese ruere omnia tecta minari.

Auctor tam rara et eximia spectandi et observandi facultate praeditus, etiam imaginatione amplissima eaque vi quae solius ingeniosi poetae propria esse solet, floruit. Idem ipse qui deos nec non divinum negabat, tamen divina quadam mente praeditus fuisse videtur. Nam leguntur apud Lucretium versus non solum *musaeo lepore tinctae* quod persaepe ex voluntate et consulto accidit — haud raro enthusiasmo ardenti aut maximo dolore incitatus poeta fortissimis Musae alis ablatus in regiones, ubi vera regnat poesis, assurgit et ex alto carmina divino inflata spiritu canit[1]). Pauca commemorabo: imprimis hanc Veneris in prooemio (v. 1—43) invocationem laudationemque, quo hymno excelsiorem aut pulchriorem sane nemo piorum poetarum componere potuit[2]); porro IV 1058—1120, ubi poeta saevam amoris vim atque mala et dolores quos amor affert, fortissimis verbis et ardentissimis, quibus Catullus ipse gloriari posset, depinxit. Alia quoque reperimus gratia et nitore splendentia, ut ea brevis anni temporum descriptio (V 925 sqq.), quae ipsa per se minutum sui generis est artificium.

Haec de poetae ingenio dicta sufficiant; satis enim exempla e vita et natura hausta nec non naturae eiusque phaenomenorum descriptiones saepissime apud Lucretium occurrentes tribus ex causis ortas esse docent. Namque ad nonnullas descriptiones poetam haec quae viderat et pracipue quae perpessus erat impulerunt[3]). Alia iterum exempla furor poeticus suggessit (I 27). Tertia denique philosophus, vir doctus, invenit, ut eorum ope dogmatum suorum veritatem ad liquidum demonstraret. De hoc ultimo exemplorum comparationumque genere imprimis nunc tractabo. Omnium rerum naturam Lucretius duplicem esse docuit et duo tantum principia in universum admisit: materiam aut corpora et inane; id quod tangi potest et id quod tangi non potest (cf. I 418—429). Primum doctrinae statuit caput: *nihil de nihilo gigni et nihil ad nihil interire.* Eisdem dogmatibus Epicuri *De rerum natura* doctrina in epistula prima ad Herodotum (*Epicurea* p. 5, 13 sq.) proposita incipit. Inquiramus, quaeso, quomodo philosophus Graecus et poeta Romanus haec doctrinae gravissima capita tractaverint.

[1]) Cf. Mecherzyński, O poemacie filozoficznym Lukrecjusza uważanym ze strony estetycznej (Rozpr. Akad. Umiej. w Krakowie 1880): „natchnieniem, wzniosłością myśli Lukrecjusz przewyższa wszystkich poetów rzymskich".

[2]) Quod iam Ricardus Heinze (T. Lucretius Carus. De Rerum Natura Buch II, Leipzig 1897, p. IV) rectissime observavit.

En habes, quod his de rebus Epicurus dixit: Πρῶτον μὲν ὅτι οὐδὲν γίγνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίγνετ' ἂν σπερμάτων γε οὐδὲν προσδεόμενον. καὶ εἰ ἐφθείρετο δὲ τὸ ἀφανιζόμενον εἰς τὸ μὴ ὄν, πάντα ἂν ἀπολώλει τὰ πράγματα, οὐκ ὄντων εἰς ἃ διελύετο. Videmus hic Epicurum forma quam saepissime adhiberet usum esse, nempe brevibus et ieiunis sententiis (κανόσι). Affirmat res se ita habere. Causam eius rei status modo unam ponit, ut semper argumentum a priori petitum: *Si omne ex omni gigni posset, seminibus opus non esset.* Ex quo per documenti e contrario vim concludit: *Cum tamen, ut videmus, res seminibus indigeant, sane omnia ex omnibus gigni non possunt.* At toto caelo diversum modum init Lucretius qui legentem non temere credentem, sed ratione pervictum vult. Non parcit igitur verbis: haec eadem Epicuri dogmata tradens illustrat et explanat 115 versibus! Post brevem scilicet introductionem poeticam (I 146—149) in totius disputationis fronte principium tractandum ponit: *Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam.* Quod principium comparantes cum eius fonte, nempe cum Epicuri verbis: οὐδὲν γίγνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, magistri sententiam a poeta uno verbo, una notione amplificatam esse animadvertimus: nimirum voce *divinitus;* quod sane non mirabimur, si in mentem revocaverimus, Lucretium quavis occasione data opinionem dis universi creandi atque regendi potentiam adscribentem impugnare (cf. F. Jacoby, *Das Prooemium des Lukretius* [*Hermes* LVI 1921, 25]). Quattuor sequentibus versibus causam huiusce falsae opinionis id esse edocet, quod homines (I 152—154, cf. etiam V 1183—1187)

> multa in terris fieri caeloque tuentur,
> quorum operum causas nulla ratione videre
> possunt,

quapropter ea *fieri divino numine rentur.* Iterum quattuor sequuntur versus quibus affirmat id quod antea dixerat, primum intellegendum esse, ut unde et quomodo res sine deorum opera fiant, illud secuti rectius et planius perspiciamus. Nunc demum ad haec magistri verba redit: πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίγνετ' ἂν σπερμάτων γε οὐδὲν προσδεόμενον. Quae fere ad verbum latine vertit (II 159 sq.):

> Nam si de nihili fierent e x o m n i b u s rebus
> O m n e genus nasci posset, n i l semine egeret.

Tum hic idem argumentum a priori quo de iam ante diximus, habemus. Sed iterum Lucretius id latius producit et quasi

extendit. Non sufficit ei, sicut Epicuro, dicere: *Ex omnibus rebus omne genus* (haec verba iam Epicuri sententiam vocabulo πάντα expressam extendunt, aut potius mutant, cum eam definiunt): sed cum et *res* et *genus* nimis generalia et communia Lucretio videatur, sex sequentibus versibus ea illustrat (I 161—166):

> E mare primum homines e terra posset oriri
> squamigerum genus et volucres erumpere caelo,
> armenta atque aliae pecudes, genus omne ferarum
> incerto partu culta ac deserta tenerent;
> Nec fructus idem arboribus constare solerent,
> sed mutarentur, ferre omnes omnia possent.

Ubi iam observare licet id quod, cum idem saepissime in toto opere recurrat, Lucreti ingenii maxime proprium fuisse putamus quodque Adamus Krokiewicz, (*O Rzeczywistości*, p. 19) ita definivit: *Lucretius videt omnia, quae describit.*

En habemus id quod poetae proprium est, alienum autem a viro docto atque erudito. Nam hic notionibus cogitat, ille autem imaginibus; sculptor formis sentit, pictor lineis et coloribus; musicus sonis et vocibus; verus tandem poeta haec omnia in imaginatione sua coniungere solet, sed saepissime unum ex eis amplitudine et vi expressionis omnia cetera superat. Apud Lucretium imagines, quae sensu audiendi efficiuntur, multo minus ceteris valent. Se subtili sensu audiendi quoque praeditum esse magnum quidem documentum dat his versibus, quibus t o n i t r u s naturam et causam explicans multis ac variis varios reddit sonitus expressionibus et eos cum aliis alias saepe occurentibus et hanc ob rem legenti bene notis comparat[1]).

Videmus igitur Lucretium in eis quoque quae auribus percipiuntur, persubtilem esse observatorem, cum tot egregiis praestantibusque comparationibus excellat. Sed haec tonitrus descriptio fere una toto in opere exstat, cum eorum quae oculis cernuntur, permultae sint descriptiones et, quod minime est neglegendum, multo plus poetici coloris prae se ferant, ut plane dixerim eas maiore cum amore esse pictas[2]).

[1]) Cf. VI 96—155. Cf. etiam Karl Hartmann, Das Verhältnis des T. Lucretius Carus zur Musik (Philologus XLVIII 1909).

[2]) Cf. A. Biese, Die Entwickelung des Naturgefühls bei d. Römern, Kiel 1884, 30.

Habemus in I 161—164 quoddam a poeta e philosophica lingua et abstracta in poeticam linguam et concretam translatum. Nam notionem *res* imaginibus *mare, caelum, terra* illustrat; et quod legentes *omne genus* imaginemur oporteat, edocet enumerans homines pisces, aves, armenta atque alias pecudes et *omne genus ferarum*. Hic videmus Lucretium pro exemplis laudare res palam oppositas, ut *e mari—homines, e terra—squamigerum genus*, utpote quae nemini ignota fuerint, praesertim cum poetae Alexandrini et Romani sententias accumulantes res a natura abhorrentes saepissime in votis praecipue ac iuramentis usurparent. Tanto facilius illis imaginibus evidens reddi potest veritas eorum quae poeta edocet. Ipse uno iterum loco, nempe V 128 sqq. hoc tam saepe apud posteros poetas (ut apud Vergilium aut Ovidium) repetito lusu utitur verborum quae res plane oppositas significant.

Sequente dogmate uni cuique rei certa corpora genitalia, dicta etiam *corpora prima* aut *primordia* aut *semina rerum*, inesse affirmat; illis corporibus certo tempore confluentibus omnes res procreari. Quod dogma hac argumentatione comprobat: quotannis rosas vere, frumenta aestate, vites autem autumno crescere videmus (I 174—5), quod nulla alia ratione, nisi hac ipsa, quam explicaverit, fieri possint. Ullam rem sine principiis existere posse negans, huic poeta insistit, terram certis sine imbribus foetus edere non posse; animantium quoque naturam ad vitam conservandam genusque propagandum cibo indigere. Ergo satius esse, ut multis rebus multa communia corpora inesse concedamus, sicut in multis verbis multas communes litteras exstare videmus, quam ut res aliquas sine materia existere posse putemus (cf. I 823 sqq.). Rebus gignendis igitur certam destinatam esse materiam ex qua quid possit oriri, constet (cf. II 679 sqq.). Hanc opinionem minime falsam esse edocet duo documenta afferens: unum e contrario, alterum autem rectum; prius quidem hoc est: natura homines tales, qui et pontum per vada transire et montes magnos manibus divellere et multa saecula vivendo superare possent, parere non potuit: id quod natura, nisi rebus gignendis c e r t a esset materia, certe efficere potuisset, nam nihil aliud huic rei obstitisset (I 199); quod cum natura non fecerit, res profecto ita se habere, ut poeta supra docuerit.

Alterum autem exemplum, quo hoc dogma adiuvatur, expertus suppeditat (I 208—214):

> Postremo quoniam incultis praestare videmus
> culta loca et manibus melioris reddere foetus,
> esse videlicet in terris primordia rerum,
> quae nos fecundas vertentes vomere glaebas
> terraique solum subigentes cimus ad ortus:
> quod, si nulla forent, nostro sine quaeque labore
> sponte sua multo fieri meliora videres.

Quo documento, quod satis ad probandum firmum et grave esse existimat, dogmatis: *nihil de nihilo gigni posse* argumentationi finem ponit et ad illud transit dogma quod cum explanato artissime cohaeret: *nihil ad nihilum interire.*

Omnia exempla et descriptiones huic argumentationi insertae, originem ducunt ab hac singulari indole poetae qui non notionibus, sed imaginibus cogitat. Inde nullus his in documentis et exemplis ordo observatur, ut non tam aliis, quam sibi ipsi poeta ea afferre videatur. Non igitur mirum, quod argumenta haec, quamquam eleganter proposita et cum arte picta, non magnam vim spirent. At quem ratio detrectat exemplorum ordinem, fortasse poetico percipiemus sensu.

Examinemus quaeso hunc exemplorum ordinem: Primum sumamus, quo ordine Lucretius de primordiis doctrinam supra explicatam defendat. Hic nempe docet errare eum qui illa de primordiorum existentia dogmata hanc ob causam falsa dicat, quod primordia illa cerni non possint. Atqui plurima existere corpora, quorum existentiam, quamquam oculis non percipiatur, nemo velit negare (I 265—259). Primum ergo de vento agit, cuius vim ingentem admirabili cum arte depingit[1]). Videmus igitur ventum mare verberare, ruere in ingentes naves, nubes differre,

---

[1]) Nam quamquam hoc toto capite, ut iam dixi, philosophus interpretis munere fungitur, tamen interdum poetae dicendi potestas datur. Animadvertendus est sensus musicus, qui hac descriptione cernitur (I 273—274):

> Interdum rapido percurrens turbine campos
> Arboribus magnis sternit...

aut I 293—294;

> ...Interdum vertice torto
> corripiunt rapidique rotandi turbine portant"

Littera canina *r* iterata minacem venti impetum egregie reddit; etiam talis allitteratio ut *minaci murmure* (I 276) sane non contemnenda est. De ceteris in Lucretii opere allitterationibus vide I. Schneideri dissertationem: De allitterationibus apud Lucretium usu ac vi, Progr. 1897 et C. Hartmanni op. cit.

rapido turbine campos percurrere, magnas arbores sternere; audimus eius trucem fremitum et minax murmur (cf. I 271—276). Ergo quomodo ventum existere negemus, cum eum manifeste agere videamus? Sicut flumen largis imbribus turgidus arborum fragmina arbustaque volvens pontes validos scindat et omnia diruat obstacula, quamquam ex mollissimis corporibus, i. e. ex aquae stillis, constet, ita ventum cuius impetus saepe non minus validus, quam fluminis vis sit, aliquem aëris amnem esse necesse esse confiteamur. Hanc solam intercedere differentiam, quod corpora ex quibus flumen constet, scil. aquae stillas, videre possimus, corpus tamen venti cuius vim optime cognoverimus, spectare non liceat (I 277—297).

Simili modo rem se habere cum odoribus, calore, frigore, voce, quae omnia existere et natura corporea esse constet, cum sensus nostros impellere possint — teste poeta I 304, *tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res.* Attamen eorum corpora conspici non posse (I 298—304). Saepe etiam corpora quaedam advenire aut fugere animadvertimus, quomodo autem quove temporis momento id faciant, non videmus. Exemplo sint umoris corpora; nam (I 305—310)

> Fluctifrago suspensae in litore vestis
> uvescunt, eaedem candenti sole serescunt.
> At neque quo pacto persedit umor aquai
> visumst, nec rursum quo pacto fugerit aestu.
> In parvas igitur partis dispargitur umor,
> quas oculi nulla possunt ratione videre.

Multaque alia id confirmant; quamquam effectum corporum fugientium observamus, tamen (I 320—321)

> Quae corpora decedant in tempore quoque
> invida praeclusit aciem natura videndi.

Etenim (I 311—318)

> Multis solis redeuntibus annis
> anulus in digito supter tenuatur habendo,
> stilicidi casus lapidem cavat, uncus aratri
> terreus occulte decrescit vomer in arvis.
> Strataque iam volgi pedibus detrita viarum
> saxea conspicimus; tum portas propter aena
> signa manus dextras ostendunt adtenuari
> saepe salutatum tactu praeterque meantum.

Denique post tot singula adlata, nunc affert id, quod apud omnes animantes animadvertere licet, scil. eos crescere et post ali-

quod tempus, cum senescant, macie perire. Sed tandem ad unum exemplum redit, cum dicit id quod quovis temporis momento saxa mari impendentia visco peresa amittant cerni non posse. Quod exemplum in argumentationis fine positum aptissimum est ad probandum (cf. I 328): *naturam corporibus caecis rem gerere.* Itaque habemus hic longam argumentorum seriem quae omnia unam thesim confirmant. Non fortuitus mihi horum argumentorum ordo esse videtur. Nam poetam qui in totius argumentationis fronte evidens hoc posuerit documentum, quod unum solum iam sufficeret ad rationis, quam affirmat, veritatem probandam bene sibi conscium fuisse necesse est putemus. Hoc de vento exemplum eligendum et in argumentationis fronte locandum certe philosophus et magister rem suam planissime et evidentissime expositurus curavit. At non ille philosophus sobrius et ieiunus, sed poeta ardenti imaginatione et uberrima praeditus, hoc philosophi propositum exsecutus est. Quamquam haec venti cum flumine comparatio sane a ratione inventa esse potuit, tamen in ea adornanda poeta, primorum suorum potentia verborum, quibus saeva venti vis describitur, raptus et imaginatione ablatus, picturam suam variis coloribus adspersit lateque eam evolvit. Post hunc longum excursum, in quo philosophum a poeta superatum esse videmus, Lucretius planam rationis viam retractat. Contentus enim est enumeratis factis omnibus bene notis, nulloque ea colore inficit, ut res ipsae doceant ac pervincant. Attamen hoc quoque loco artificiosam quandam constructionem in exemplorum ordine observat. Haec enim praecipue affert exempla quae quisque ipse expertus est: ergo de odore, calore, frigore, voce disputat. Illis quam brevissime perstrictis poeta aliam in regionem se convertit et paulo latius unum tractat exemplum, nempe de vestibus madescentibus et arescentibus (I 305—310). Atque iterum perpaucis versibus (I 311—318) multa tenemus exempla congesta — quasi ad manum poetae esset infinita similium exemplorum multitudo ex qua ille negligenter proxima modo sumit et affert. Quae series sine ullo ordine recensens res, quae primum adspectae minime cohaerere videntur, persubtilem poetae demonstrat sensum eorum quibus legentes permovere possit et capere (quam ob rem minime adsentio Briegero versuum hic ordinem permutandum esse censenti).

Huc spectat etiam modus, quo singula capita poeta iungit, aut usus asyndeto — id quod potius Lucretii proprium est — unum alterum sequi iubet transitione omni neglecta. Particula *principio* aut *qua propter* argumentationem incohatur, talibus ut: *tum porro, praeterea, huc accedit, ut* rem suam producit, per *denique* extremum catenae vinculum adicit (cf. Heinze p. 44) Saepissime duo capita vicina eodem vocabulo, scil. *praeterea,* incipit (cf. Bockemüller, *Studien zu L. und Epicur,* Stade 1874). Hac simplicitate neglectisque omnibus quae apud alios poetas delectationis aucupium produnt, schola Lucretiana a sermone cotidiano proxime stat et, cum hoc in opere loci artis pleni sane non desiderentur, poeta sonis et scribendi genere saepe permutatis lectorem non fatigat, id quod porro res hic descriptae expostulare videntur. De exemplis *corpora caeca* existere demonstrantibus non habeo quod dicam, uno quidam excepto. In hoc enim animum convertere volo: *stilicidi casus lapidem cavat* (I 33), quod exemplum eximie a poeta adamatum esse puto, cum id saepe nonnullis solum lineamentis permutatis in eius opere legatur. Iam aliquot versus infra, in capite de inani legimus (I 348 sq.):

> In saxis ac speluncis permanat aquarum
> liquidus umor et uberibus flent omnia guttis.

Latinus poeta sententiam: *stilicidi casus lapidem cavat* evolvit versibus, quibus amorem consuetudine concinnari affirmat (IV 1284 sqq.):

> Nam leviter quamvis, quod crebro tunditur ictu
> vincitur in longo spatio, tamen atque labascit.
> nonne vides etiam guttas in saxa cadentis
> umoris longo in spatio pertundere saxa? [1])

Praeter hanc aliquot aliae res sunt, quas Lucretius maxime dilexisse et propter hanc causam saepius exempli gratia protulisse videtur. Ita tribus locis (I 196—198. 823 sqq. II 688—691) versibus, quae e litteris et verbis constant, pro exemplis usus est. Venti etiam descriptionem I 277—294 mira cum arte evolutam IV 259—264 breviter retractat, demonstrans rem ipsam videri posse, quamvis singulae eius particulae oculorum nostrorum aciem fugiant. Denique imaginem, quae pecudes et

[1]) Eadem imago in deliciis fuit Ovidii, qui eam de Lucretio depromptam multis locis usurpat, ut A. am. I 475. Ep. ex Ponto I 1, 59. II 7, 39. Cf. L. Sternbach, Analecta philologica (Charisteria Casimiro de Morawski oblata, Cracoviae 1922, 58 sqq.).

oves, pascentes repraesentat, aliquoties repetit. Primum, ut iam omittam brevissimam illam mentionem, in laudanda Venere factam (I 15 *inde ferae pecudes persaltant pabula laeta*), cum I 257—261 enumerat haec quae ex Patris Aetheri et Matris Terrae nuptiis gignuntur et inter alia talem pingit imaginem quam suo iure E. Bertrand cum fratrum Batavorum van Ostade picturis comparat:

> Hinc fessae pecudes pingui per pabula laeta
> corpora deponunt, et candens lacteus umor
> uberibus manat distentis; hinc nova proles
> artubus infirmis teneras lasciva per herbas
> ludit lacte mero mentes perculsa novellas.

Alia citare possim, ut II 60—65, ubi exemplo variorum animalium in uno campo pascentium et ex uno flumine sitem sedantium rebus multis multa communia inesse declarat. Sed eam solum imaginem afferam, (nam haec omnium certe est pulcherrima qua demonstrat saepe summam rerum aut animantium nobis e spatio quodam spectantibus quiescere videri, quamquam singulae res omnes moveantur:

> Nam saepe in colli tondentes pabula laeta
> lanigerae reptant pecudes, quo unamque vocantes
> invitant herbae gemmantes rore recenti,
> et satiati agni ludunt blandeque coruscant;
> omnia quae nobis longe confusa videntur
> et velut in viridi candor consistere colli.

His versibus Lucretius duobus coloribus contrariis et oppositis mirae pulchritudinis imaginem depinxit. Nam hanc descriptionem legens videt continuo hanc parvam picturam bucolicam: collem viridem herbis uberrimis, in quibus roris gemmae nitescunt; in colle autem laetum pecudum gregem, gramina tondentem, ludentem, coruscantem, candore lanae suae quasi maculam candidam in viriditate herbarum efficientem [1]). Etiamsi nulla alia huius rei documenta extitissent (at habes praeterea magnificam solis orientis descriptionem V 596 sqq. aut imaginem theatrorum per quae magna vela extenta suos iactant

[1]) Haec *macula candida in viriditate herbarum* in memoriam revocat *Domini Thaddaei* Mickiewicii versus: *Święciły się z daleka pobielane ściany; tem bielsze, że odbite od ciemnej zieleni — topoli.* Habemus ergo iam apud Lucretium eam colorum notionem et gradus lucis, quam apud vatem Polonum laudat Stanislaus Witkiewicz, Mickiewicz jako kolorysta, Warszawa 1920, 13.

colores) haec una pictura luculentissime demonstraret coloribus maxime et illo subtili lucis umbraeque lusu poetam commoveri nec non acute rerum lineamenta videre.

Lucretius nunquam dubitavit parva cum magnis comparare. Persuasum sibi habuit iisdem plane legibus regi omnia quae hac in terra fiant et cotidie a nobis observentur perinde atque illa magnifica phaenomena, quae in caelo conspiciamus et quae mente humana capi non posse videantur. Itaque cum Epicurum secutus affirmat solem non multo esse maiorem, quam is sensibus nostris appareat [1]), omittit debile sane hoc Epicuri argumentum scil. quod sol, si magnitudinem intervalli causa amisisset, multo plus caloris eadem causa perdere debuisset [2]) eique aliud substituit documentum probans, quomodo tantulus sol emittat lumen tantum (V 592 sq.):

> Quod maria ac terras omnis caelumque rigando
> compleat et calido perfundat cuncta vapore.

Certe totius mundi ardoris semina hic congredi eamque ob causam u n o ex fonte omne hinc lumen erumpi. Ergo non esse mirandum, quod sol tam lata intervalla lumine perfundat, cum etiam parvo aquae fonte lata irrigari prata et campos redundari videamus (V 596—603). Verisimile poeta etiam hoc suspicatur non magni solis ardorem aera implere ac fervore suo calefacere; cui phaenomeno simillimum saepe observemus, cum una ex parva scintilla, quae segetibus incidit, magnum incendium oriri videamus (V 604—609).

Sed non modo solem, quem non nimis magnum esse putat, Lucretius parvis cum rebus comparat. Terram magnam esse sine dubio non infitiatur. Ac tamen in libro VI qui παθολογία quaedam universi est, vulcani eruptionem cum morbo corporis humani comparat (VI 655—672). E parvis rebus observatis poeta saepe conclusiones rectas et ad magnas res spectantes educit: ita e. gr. magnam mari partem aestu solis ventique vi detrahi affirmat. Ad hanc minime falsam neque ineptam opinionem adduxit eum madentium observatio vestium,

[1]) Cf. Epicuris Epist. II 91 (p. 39, 2 sqq. Us.): τὸ δὲ μέγεθος ἡλίου τε (καὶ σελήνης) καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων καὶ ἃ μὲν πρὸς τὸ ἡμᾶς τηλικοῦτόν ἐστιν ἡλίκον φαίνεται καὶ δὲ τὸ καθ' αὑτὸ ἢτοι μεῖζον τοῦ ὁρωμένου ἢ μικρῷ ἔλαττον ἢ τηλικοῦτον τυγχάνει.

[2]) Epic. (p. 537, 4 Us.): εἰ γὰρ τὸ μέγεθος διὰ τὸ διάστημα ἀποβεβλήκει, πολλῷ ἂν μᾶλλον φησὶ τὴν χρόαν.

quas fervidi solis radii exsiccant nec non viarum umidarum, quae saepe, idque una nocte, cum venti eas verrunt, exsiccari solent (VI 616—626).

Sic in minutissima quaque re, ceteris quidem hominibus contemnenda, ipse Lucretius *simulacra atque imaginem rerum* ingentium et aeternarum vidit. Huius mirae intuendi facultatis maximum documentum praebent versus (II 112 sqq.) quibus visionem depingit mundorum qui adhuc geniti non sunt; fingit corpora in inani volitantia inque aeterno certamine continua proelia gerentia excitata conciliis crebris et discidiis... Et haec omnia, haec aeterna in universo pugna, hoc ingens chaos apparuit ei in uno solis radio per opaca domus transfuso, in quo haec corpora minutissima neminique ignota vario turbine saltant. Ut haec corpora minutissima, in solis tantum radio conspicua, sic innumerabiles Lucretio mundi esse videbantur. Tunc sincerissima et ex imo pectore deprompta haec effudit verba, quibus amicum suum admonet (VI 647—652):

> Hisce tibi in rebus late est alteque videndum
> et longe cunctam in partem despiciendum,
> ut reminiscaris, summam rerum esse profundam,
> et videas coelum summai totius unum
> quam sit parvula pars et quam multesima constet,
> nec tota pars, homo terrai quota totius unus.

HERONIS DE MENSURIS 38

De mens. 38 (Heib. V 192, 18) ex divisione 1452:14 datus est numerus ργ ω′ ζ′ κα′ = 103 $^{2}/_{3}$ $^{1}/_{7}$ $^{1}/_{21}$. Heiberg Hultschium secutus adnotavit: $^{1}/_{7}$ *sollte fehlen.* Quae adnotatio falsa locum non sanat. Si divisionem computaveris hoc modo, ut fractiones solis monadibus expressas habeas, erit 103 $^{1}/_{2}$ $^{1}/_{7}$ $^{1}/_{21}$ = ργ β′ ξ′ ιδ′. β′ (eodem modo atque L′) dimidiam partem, β vero duas partes significat. Cum β′ in β errore immutatum esset, scriba in eius locum litteram ω′ posuit, quae littera idem valet ac β. Inde corruptela orta est. Praeterea ΚΛ′ ex ΙΔ′ corruptum est.

M. A.

STUDIA RHETORICA I

DE VARRONIS *DE LINGUA LATINA* LIBRORUM VIII-X DOCTRINA ET FONTE

scripsit
GEORGIUS KOWALSKI

I

In eis quae libri octavi disquisitionibus praemittuntur (VIII 1, 2), tres discriminum orae [1]) adumbrantur: *cur et quo et quemadmodum in loquendo declinata sunt verba.* Duae priores videntur eaedem esse atque ex *trinis copulis* (sc. δυάσιν) in libri noni prooemio expositis (IX 1, 4) prima *naturae et usuis,* secunda *multitudinis ac finis.* In libri decimi autem initio (X 1, 2) ex item tribus capitulis commune est cum anterioribus primum, *unde,* tertium enim quod est *cuiusmodi* ad tertiam *oram* solius libri octavi spectat. Qui amor in tria dividendi videtur esse Varronianus, primum propterea quod in totius operis constitutione praevalet atque etiam in his tribus prooemiis copulatur cum enarratione consilii quod, ut cuncti operis, ita etiam trium qui quidem salvi sunt de analogia librorum observatur in compositione. Atque quoniam manifestum est ipsam librorum materiam aliunde desumptam esse, satis quadrat quod singulorum librorum triades neque librorum suorum argumentis arctius respondent atque inter se si comparantur vel pugnant vel terminis non stare evincuntur. Primum quomodo suam triadem Varro in libro octavo exsecutus sit examinemus.

Itaque paragrapho 3, 9 ostendit quaestionem *cur declinaverint* esse a se peractam. Ex eis quae a par. 2, 3 ad par. 2, 8 leguntur, perspicimus hac quaestione de c a u s a declinationis comprehendi certamen inter duo principia, necessitatis et utilitatis, sed ea ratione, ut inter se concilientur, quod utrius sectae sit non difficile est discretu, cum IX 1, 1 ipse Varro testetur iam ab Aristarcho positum esse, ut verborum similitudinem sequeremur quoad pateretur consuetudo, IX 65, 114 magnum numerum fateatur a dissimilibus ortum esse, libri autem decimi par. 2, 16 tradat in declinatione voluntaria esse ab Archistarchiis causam analogiae desertam. Quaestionem

[1]) Πέρατα, κρηπῖδες, aliud similis argumenti solemne vocabulum translatum, ut fuit moris apud Stoicos.

libri VIII de causa respondere primae copulae libri IX ideo patet, quia oppositio inter naturam et usum nihil aliud est, nisi certamen inter necessitatem et utilitatem, quando naturae opponitur voluntas, cuius contrarium quid sit nisi necessitas non video. Ceterum divulgatum adeo est analogiae defensores posteriores esse nisos necessitudine naturali, anomaliam autem qui colere perstiterint impositionis voluntariae signa protulisse, ut hac re latius enarranda iure meo supersedeam (cf. Fr. Muller, *De veterum, imprimis Romanorum, studiis etymologicis* I diss. Trai. ad Rh. 1910, p. 52. 151—153). Ratio naturae appellata est analogia a Stoicis iunioribus, quibus hac in re adnumerandi sunt Pythagorei (R. Schmidt, *Stoicorum Grammatica*, Halis 1839, p. 30 adn. 49). Nigidius Figulus, in etymologiis Stoicos, in analogiis Peripateticos secutus, in rebus publicis Pompeianus, i. e. Rhodius, inter hos et illos medius, in rebus arcanis Pythagoreus, non φύσει verba esse dixit, ut plerumque legitur, sed *vi et ratione naturae facta* (Gell. *N. A.* X 4).

Cur idem valere videtur atque *unde* libri X (cf. *L. L.* V 1, 2: *priorem illam partem, ubi cur et unde sint verba scrutantur)*, sed libro decimo causa prorsus neglegitur. Quod minime mirum est quoniam aetiologia libris VIII et IX peracta non restat nisi ut ipsa analogiae forma (i. e. quid et cuiusmodi sit) exponatur.

Quod maiorem admirationem movet, illud est quod pertractata causa brevius, ut quam se tum cum de copia verborum (cf. VIII 8, 20) ageret, aeque ac quaestionem *quo* amplius retractaturum pollicitus esset, denuo in disquisitione *contra universam analogiam* latius sermonis causam recenset (11, 26 — 16, 32), latissime a partibus analogiae (IX 2, 7 — 26, 33. 33, 47 — 48. 65, 113). Quod libro IX prima quaestio paragraphis 33, 47—48 quasi suppletur, fortasse non mirandum, postquam ipse praemonuit (IX 2, 7) se quaedam *in priore libro* praeterisse.

Plures animadverterunt discrepare prooemium libri VIII ab eiusdem libri consilio. At id in libro IX propterea minus fit, quod quae a partibus analogiae dicuntur, cum disputatione *pro universa analogia* hic dumtaxat consentiunt neque tamen minus eadem inter capitula prooemii et tractationis discrepantia exsistit, ut etiam in libro decimo ubi de quaestione *cur* non agi iam indicavi.

Ut porro etiam aliis in rebus propositiones differre a suorum librorum argumentis ostendam, revertendum est ad librum VIII. Altera quaestio *quo* tractatur in propositione eius libri paragraphis 3, 9 — 8, 20, in disputatione *contra universam analogiam* paragraphis 17, 33 — 41, 84 et spectat ad partes orationis (in disputatione *contra universam analogiam* praecedit quaestio generalis de quantitate 17, 83 — 22, 43) i. e. quatenus pertineat analogia. Cui quaestioni respondet copula libri IX altera (IX 1, 4), cuius locus est in tractatione libri noni in paragraphis 27, 34—35 (cf. 28, 36 *quam ad finem quoque*), ubi solum agitur de divisione in declinationem naturalem et voluntariam.

Turbat vero quod eadem quaestio in prooemio libri octavi (9, 21—23: de declinatione naturali et voluntaria) tractatur capitulo tertio *quemadmodum*. Ne tale autem argumentum capitulo tertio relinquamus, prohibemur loci alterius tractatione concordi in ambabus disputationibus de analogia (VIII 17, 33—41, 84 ~ IX 27, 34—35) atque etiam libri decimi paragraphis 2, 14 — 6, 84, inter quae paragraphi 2, 15—16. 3, 51—62 reservantur discrimini faciendo inter declinationem naturalem et voluntariam, paragraphis 2, 14—36. 3, 51 — 6, 84 de fine analogiae agitur. Videtur locus secundus apud Graecos divisus esse in quaestionem generalem de fine analogiae et specialem, i. e. secundum partes orationis. In quibusdam manualibus quaestio de nominibus impositiciis collocabatur inter considerationes generales quaestionis finitivae, in aliis autem in partis specialis capite de nomine excipiebantur nomina impositicia (VIII 23, 44 ~ 28, 36). Quomodo autem factum est, ut locus secundus delaberetur ad quaestionem *quemadmodum*? Postquam in propositione libri octavi (VIII 1, 2), an dicam potius omnium trium de analogiae natura fine forma librorum, auctor de tribus locis tractare sibi proposuit, et quidem de quaestionibus *cur* et *quo* arctius, amplius autem de quaestione *quemadmodum*, plane quid de tertio diceret, neque in fonte suo, ut quod solum generalia contineret, invenit quidquam, neque id esse sui propositi duxit, ut iam tum formam analogiae enarraret, itaque locum explevit partim quaestionis alterius capitulo laxius cum illa compacto, partim consilii proprii propositione. Divisio in declinationem naturalem et voluntariam potest etiam

ad locum primum spectare atque inde, ex quodam fonte a ratione totius prooemii alieno, hoc loco a Varrone adscita esse.

Iam quandam quaestionum ἐπιπλοκὴν animadvertis. Accedit quod quaestio *quemadmodum* libri octavi (VIII 9, 21) cum quaestione *quam ad finem* libri noni (IX 28, 36) prorsus congruit in argumento, quare non qualitatis esse, sed quantitatis putanda est. Sequitur ut quaestio *quemadmodum*, i. e. *quam ad finem*, a quaestione *quo*, i. e. finitiva, non sit distinguenda, quod tamen auctor in prooemio libri VIII fecit, quomodo etiam in prooemio libri X ubi capitulum tertium *cuiusmodi* idem est atque capitulum *quemadmodum* in prooemio libri VIII. Itaque ut iam nunc, quod dudum perspicitur, s t a t u u m nomina adhibeamus, videtur status coniecturalis cum statu finitivo, status finitivus cum statu qualitatis, status qualitatis cum statu quantitatis permisceri atque etiam confundi, tum status finitivus post statum qualitatis collocari in libro decimo, tum denique aliquantum confusionis accessisse ex ambiguitate vocum quibus Romani Graecum vocabulum ὅρον interpretati sunt, quia vocabulum *finis* aequo modo ὅρον atque ποσότητα designare potest, vocabulum autem *modus* perinde ποιότητα ac ποσότητα. Hoc, quod posui extremum, excepto, etiam hic, ut usquequaque, origines a Graecis, scil. aequalibus, repetamus.

In capite 6 libri III *Inst. or.* Quintilianus agit primum de eis qui duo status fecerint. Inter quos Archedemus qualitatem ut statui finitivo subiectam exclusit, alii (ut Pamphilus) iuridiciali (i. e. qualitati) quasi subditam finitionem repudiaverunt, Posidonius (qui i n v o c e qualitatem quantitate posteriorem collocavit) et Apollodorus finitivae qualitatem praemiserunt, idem et Theodorus a coniecturali reliquos status seiunctos, inter se autem tanquam species adgnatos, maiore quaestionum singularum capite, quod ille περὶ ἐννοίας, hic περὶ συμβεβηκότων appellavit, comprehenderunt, Cornelius Celsus coniecturae subiecit finitionem, quidam quantitatem modo ad coniecturam, modo ad qualitatem referebat, finitionem in numero succedentium qualitati habebat. In universum ei qui in duos dividendi status ratione ducebantur, cum primitus plus duo status censerentur, ut alios aliis subiungerent, cogebantur Stoicorumve ratione usi omnes status secundum quasdam generales notiones dialecticas retractarent atque perpenderent, quod etiam factum est per subdivisionem (ὑποδιαίρεσιν), apud Stoicos usitatis-

simam (cf. Diog. La. VII 1, 43, 61), in doctrina grammatica de partibus orationis et in divisione temporum.

Itaque quadam ex parte confusio statuum apud Varronem conspicua ex horum temporum doctrina Graeca esse videtur derivanda. Videamus nunc, cum Varro ipse in tres status vel tria capitula dividendi rationem amplexus sit idque sui operis proprium esse videatur, nihilne etiam inde confusionis ortum sit quod exemplaria Graeca quae exscripsisset alii fortasse dividendi rationi parerent, praesertim cum subiunctionis vestigia et his in capitulis et alibi in libris de analogia appareant, quae quotiens occurrunt, totiens ad Stoicum dichotomiae studium (R. Schmidt p. 48) reducimur.

Ponamus Varronem invenisse in fonte prooemii libri octavi duo tantum capitula *cur* et *quo*. Quomodo talis dichotomia quadraret ad copulas (i. e. δυάδας) prooemii libri noni? Immo optime, quia si bene illarum trinarum copularum qua in re posita sit divisio perspexeris, iam tibi patebit per totam divisionem principium dichotomiae servari. Separetur prima copula ut quae, coniecturalis cum sit, apud omnes fere (excepto Posidonio) scriptores a Quintiliano commemoratos separatum locum obtineat. Atqui altera et tertia copula ea tantum re inter se differunt quod prior κατὰ πρᾶγμα, posterior κατὰ πρόσωπον instituitur, utraque autem *multitudinis ac finis* est. Itaque duo tantum manent capitula divisionis in prooemio libri noni traditae: *cur* et *quo*. *Quemadmodum*, si intellegatur ea notione quae inest tertio capitulo prooemii libri decimi quod est *cuiusmodi*, neque revenit in expositione neque in tractatione reperitur. Quae autem sub hoc capitulo in expositione (VIII 9, 21—24) traduntur, quam sint inepta, iam vidimus.

Divisio in prooemio libri decimi adumbrata omisso in tractatione capitulo *unde* item ad dichotomiam reducitur. Restant capitula disputationis de analogia in libris octavo et nono. Disputationis *contra universam analogiam* et singularum partium, capitula sunt *cur* (VIII 11, 26 — 16, 32) et quo (I. κατὰ πρᾶγμα: 1. *in universum:* VIII 17, 33 — 22, 43; 2. *ad partis singulas orationis:* VIII 23, 44...; II. κατὰ πρόσωπον 1. θεωρητικόν; 2. πρακτικόν: A. *populus*, B. *singuli:* a. *orator*, b. *poeta*, cf. IX 1, 5—6. 64, 111—115). Disputatio *pro universa analogia* expressis verbis (IX 28, 36) in parte generali duobus nititur capitulis: *cur, quam ad finem;* sequitur disputatio de singulis partibus,

cuius divisio superiori accuratissime de consulto respondet. *Quid* sit analogia, ipse auctor supplevit loco minime apto (VIII 9, 23—24), fortasse etiam initio deperdito libri noni. De ipsa forma analogiae (*quale, quid*) in libro decimo tractat, ubi etiam *quo* occurrit, sed ita ut illis duobus inserviat salva dichotomia; capitulum *unde* ex amore triadis fluxit, sed a consilio libri abhorret.

Restat ut binis capitulis omnia comprehendendi studium iisdem temporibus apud Graecos vigueritne inquiram. Dio Academicus Alexandrinus sub ea tempora Romam legatus qui fuit, tres quidem contra dialecticos (i. e. Stoicos) partes orationis in grammatica agnovit (Varro *L. L.* VIII 4, 11 et *adn. exeg.*), sed neque haec ratio a Stoicis abhorrere videtur, utpote quae tertium illud *neutrum* quasi extra examen removeat (neque *utrumque*, i. e. participium, quod apud Varronem *L. L.* IX 63, 110 post nomina et verba examinata leviter perstringitur, Stoicorum dichotomiam vastatur, cf. R. Schmidt p. 45—47), simili ratione atque memoriam in divisione partium rhetorices, qua in divisione Dio in duo secandi rationem amplexus inventionem modo et dispositionem, hactenus Hermagoram (Quintil. *Inst. or.* III 3, 9) secutus, tradidit, sed utramque duplicem, rerum et verborum, ut esset elocutio inventionis, pronunciatio dispositionis, his quinta pars memoria[1]) accederet (Quintil. *Inst. or.* III 3, 8). Theodorei ab inventione, cui in specie verborum submiserunt elocutionem, separaverunt tres reliquas partes, sine dubio ut generis alterius, si conicere licet ex Theodorea statuum divisione, in qua coniectura ab reliquis secernitur. Ambo secuti sunt Hermagoram qui inventione separate posita reliquas partes quattuor oeconomiae subiecit (*ibd.* III 3, 9).

Quomodo Hermagoras diviserit status, non satis constat inter doctos. Certe, ut alias, etiam hac de re parum diligenter rettulit Quintilianus. Sed errorem eius non referam ad statum finitivum, ut fecit Thiele p. 52, qui proprietatem Theodoro soli attribuit, quanquam Quintilianus eam etiam quibusdam aliis Hermagorae imitatoribus adscribit. Ceterum multa alia videtur imitatus esse Theodorus Hermagorae. Sed id mihi singulare videtur quod Quintilianus solam qualitatem nuncupat nomine

[1]) Ut cum pronunciatione a Hermagora e numero partium rhetorices sublata, quod plurimi varie imitati sunt.

status *per accidentia*, tanquam translatio (i. e. πρός τι) non hic quoque censeatur (cf. Thiele p. 47), etiamsi apud Theodorum inter species περὶ συμβεβηκότων inveniatur. Quae cum ita sint, iam dichotomia apud Hermagoram apparet: prior copula constat coniectura (περὶ οὐσίας) et finitione (περὶ ἰδιότητος); cui haeret ad latus posterior per accidentia (περὶ συμβεβηκότων), quam efficiunt qualitas (πῶς ἔχον) et translatio (πρός τι). Theodorus hoc ab Hermagora differt quod ἰδιότητα (cf. Augustin. *De rhet.* 9 H.) ut speciem statui generali alteri περὶ συμβεβηκότων subiecit. Similiter qui ab ipso Theodoro generalis proponitur status περὶ οὐσίας, apud Fortunatianum *A. rh.* I 12 H. est quinta species coniecturae, quod non de facto quaeratur in quaestione de substantia. Quod si recte obiectum videatur, nova haec coniecturae appellatio Theodoro tribuenda est. Si quid ipse senserim, fateri licet, non credo a Theodoro coniecturam ita esse appellatam, sed statum finitivum divisum esse in duas species, καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος, ita ut ὅρος appellaretur περὶ οὐσίας, ποιότης — περὶ ἰδιότητος. Tum etiam alterum statum generalem solummodo ad reliquas duo extremas species relegaverim, fueritque schema tale:

1. στοχασμός
2. περὶ οὐσίας καὶ συμβεβηκότων

καθ' ὅλον — κατὰ μέρος (περὶ ἰδιότητος) — ποσόν — πρός τι

Tum hoc solo Theodorus a Hermagora differret, ut proprietatem divideret in tractationem in universum et peculiarem. Hac ratione a pluribus differentia inter *quid* et *quale* definiebatur. Praeterea schema καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος magni momenti fuisse in dichotomia Theodori suspicor ex Varronis libris de analogia. Eadem dichotomiae ratio in reliqua statuum divisione Hermagorea prodit, quod persequi longum est.

Inter reliquos dichotomiae fautores apud Quintilianum enumeratos, sunt autem omnes primi a. Chr. n. saeculi, traditur divisio sectae cuiusdam quae etsi eis dichotomicis non est adnumeranda qui eadem ratione dialectica et partes rhetorices et status tractaverunt, tamen longius progressa est, secundum τελικὰ κεφάλαια cum genera causarum (Quintil. *Inst. or.* III 4, 16) tum status (*ibd.* III 6, 41), ubi dichotomiam observat, distribuendo. A Posidonio pendet Apollodorus, a Hermagora Theodorus. Ne enim ab adversario expressa exprimeret, maluit ad

vetustius redire exemplum. Ceterorum certamen est circa qualitatem et finitionem, nemo tamen eorum ausus est Hermagorae dichotomiam in οὐσίαν καὶ ἰδιότητα — τὰ συμβεβηκότα renuere. Quorum numerus alias rationes dividendi amplexorum catervis longe praestantior est apud Quintilianum, dummodo Hermagoram loco non suo, ut demonstravi, moveas.

Quod primo a. Chr. n. saeculo observamus dialectices in rhetorica dominium, effecit ut vetustiores divisiones vel aliter appellari coeptae sint vel notionum communium commercio inter se coniungi, ex. c. 1. partes rhetorices — officia oratoris — vires oratoris (Cic. *Part. or.*): 2. a. partes rhetorices — status (rhetores I a. Chr. n. saeculi) — partes orationis (Hermagoras partes orationis subiecit partibus rhetorices, Cicero et Quintilianus partes rhetorices partibus orationis); b. genera dicendi — partesr hetorices — status (Hermag., Cic. *Part. or.*) — partes orationis; c. virtutes dicendi — schemata — genera dicendi — partes orationis — status. Simul dialectica grammaticam invasit, ut eiusdem esset utrumque munus suscipere. *Elementa* (στοιχεῖα) et *capitula* (κεφάλαια) partes et particulas (μορία) expulerunt et omnes divisiones pervaserunt.

Divisio in capitula a Theodoro processit atque cum eius in duo dividendi ratione arctius cohaeret, quam ille quamvis non invenerit, tamen ad rerum naturae rationem deducendo comprobavit. Cum enim corpus humanum ad dichotomiae rationem ita comparatum esse videatur, ut binae eius partes quae in pedes et manus excurrant, in caput quasi confluant, ita capitulum uniuscuiusque dichotomiae debet esse principium commune, non dividendi, sed comprehendendi in unum. Itaque οὐσία et ἰδιότης non videntur esse capitula, sed ex. c. τὰ συμβεβηκότα. Hanc Theodori rationem, cuius color metaphoricus quantum Stoicam loquelam sapiat neque a cetera, qualis noscitur, Theodori phrasi repugnet, iam vides, accuratius explicavit Augustinus *De rhet.* 12 H. his verbis: *Hoc idem Theodorus κεφάλαιον appellat, translatione usus videlicet a principali parte corporis, quod in hoc etiam complexu duorum quae utrinque dicta sunt, quasi caput quoddam totius controversiae efficitur.* Videtur dichotomiae in naturali ratione fultae doctrina iam a Theodoro iuvene proposita fuisse, siquidem Apollodorus Theodori opinionem de prooemii ratione momentis oratoriis pensitanda refutare dum conatur sine capite (ἀκέφαλον)

orationem prooemio si careret futuram contendebat: qua translatione videtur ad Theodori doctrinam adludere, non propriam illustrare, ut Thieleio (p. 195) placet; simul usus est Apollodorus loco Platonis *Phaedr.* 264 C: δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῷον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν αὑτοῦ, ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι μήτε ἄπουν, ἀλλὰ μέσα τε ἔχειν καὶ ἄκρα, πρέποντ' ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγραμμένα. Cicero in *Partitionibus oratoriis*, quae mediae Academiae cum sint, multa ex Hermagora quidem, sed quonam Academico interprete haud dixerim, traxerunt, singulare studium dichotomiae exhibet, ex. c. in partibus orationis, mirum quantum cum Theodoro etiam in aliis congruus, quae sua cum essent, ante se dicta esse non curavit Theodorus.

Fontem controversiae de analogia in libris VIII—IX redintegrare conanti tale schema e Varroniana inluvie emergit:

I. Propositio (προκατασκευή).

Ex more isagogae cuius proprium erat quae parcius praemunivisset, eadem in parte speciali latius enarrare (cf. de partibus orationis VIII 4, 11. 23, 44—45; priore loco bina, inter se diversa, mutuatur elementa divisionis, ex quibus postea conficit propriam). Auctor eius rei extitit Theodorus, qui exordia ex quaestionibus cienda tradidit.

Capitula

coniecturae — quantitatis
cur — *quo*

II. Tractatio (controversia).

Capitula

coniecturae — quantitatis
cur — *quo, quam ad finem*

κατὰ πρᾶγμα — κατὰ πρόσωπον

θεωρητικὸν διαφωνία — πρακτικόν

καθ' ὅλον — κατὰ μέρος
in universum — *singulae partes or.* — *populus* — *singuli*

orator — *poeta*

III. Peroratio (ἀνακεφαλαίωσις).

IX 65 113—115.

Praeter dichotomiam controversiae invenitur in libro octavo paragraphis 5, 14—15 aliud specimen bipertitae divisionis derivatorum:

nomina declinantur

in earum rerum discrimina quarum nomina sunt — *in earum extrinsecus q. ea n. non s.*

propter ipsius rei naturam — *propter illius usum qui dicit*

I. 1. (derivationes κατὰ τὸ ποσόν: a. (minuendo)

ab toto — *a parte*

a corpore: *sine agitatione* / *ubi motus maiores*

ab animo: *sine agitatione* i. e. καταστηματικαί / *ubi motus maiores* i. e. κατὰ κίνησιν, cf. ex Epicuro DL. X 1,28,136).

II. (declinationes) sec. casus

I. 2. (derivationes κατὰ τὸ ποιόν


a homine locus
ab eo loco homo
a maioribus
a facto
alia.

discrimina propter incrementum (*declinationis genus*).

I. 1. (derivationes κατὰ ποσόν:
b. (augendo).

Sed videsis quam inepte exempla latina sumantur in hac dichotomia (*ab toto*: *ab capite capitulum, cervix-cervices*; sub *motibus maioribus* omittitur capitulum *a corpore* ad quod spectant exempla: *a pugnando et currendo.*

Auctor Graecus in propositione libri octavi Dionis et Aristotelis dichotomias partium orationis affert. Quodsi quis obiciat tres esse partes apud Dionem, eodem numero etiam apud Aristotelem invento acquiescat necesse est. Ex dialectica divisione non apparet statim, sed e disputationis filo mox elucet apud Aristotelem agi de coniunctione, apud Dionem de adverbio. Idem auctor Graecus, postquam ad tractationem venit, eandem dichotomiam conduplicat:



Hucusque videtur Varro Graecum esse auctorem secutus qui divisionem Aristotelicam cum Dionea conglutinavisset; ut

autem plenam efficeret conduplicationem (cuius amor est apud Hermagoram quoque conspicuus), adiecit *utrumque*.

Alteram divisionem quis non concesserit Wilmannsio additam esse a Varrone e traditione scholae Stoicae?

Idem dichotomiae studium observatur in speciebus nominis:

articuli { *provocabula* / *pronomina* } — { *vocabula* / *nomina* } — *nominatus*

Dichotomia conduplicata partium orationis[1]) repetitur IX 24, 31 et X 2, 17, quo posteriore loco participium ponitur tertium qui error voluntarius est (neque doctrinam qualis traditur apud Priscianum XI 1, 1 K. refert), ut ex. c. apud Quintilianum *Inst. or.* III 6, 56 statuum Hermagorae enumeratio tertio loco quartum exhibet statum.

Ut iam ex dichotomia derivatorum vidimus, fons Graecus minutiis more Hermagorae et Apollodori abundabat. Ex his quae nunc proponam aliis dichotomiae vestigiis e solo libro octavo collectis apparebit ad quantam inanitatem Varro exemplar Graecum redegerit:

VIII 2, 3 *utili — necessaria*
tempus — genus; 4 13 *locus — tempus*
5 *impositio* (*historia*) *— declinatio* (*ars*)
8 *posse — velle*
3, 9 *fecundum — sterile*
9, 21 *voluntarium — naturale*
11, 26 *aperta — brevis*
16, 31 *utilitas — elegantia*
17, 33 *quae est in consuetudine — quae non est in cons.*
18, 34 *a similibus similiter - ab dissimilibus dissimilia*
19, 37 *multa — plura*
20, 38 *in omnibus eius* (i. e. orationis) *partibus - in aliqua*
21, 39 *res — verba* (IX 29, 40. X 2, 19)
22, 42 *rectus — obliqui*, quod solemne vocabulum, cuius usque ad nostra tempora auctoritas durat, natum esse eo tempore videtur, quo inter partes orationis inventio, inter

[1]) Appellatur autem a Varrone *L. L.* IX 24, 31 *quadripertita*: quae appellatio quam Varroniana sit, vel inde colligere possis quod eadem utitur ad dichotomiam conduplicatam nominis designandam VIII 27, 50.

status autem coniectura aequum ius ceteris, tanquam quae caduca neque propriae potestatis essent, denegaverint: primum a Stoicis contra pugnatum est (R. Schmidt p. 59-60), sensim vero divisio in ὀρθά, πλάγια (οὐδέτερα) etiam in doctrinam eorum de proloquiis transiit (Diog. La. VII 64).

Habes vere Romanum horrorem minutiarum Graecarum atque probam simplicitatem magnanimi compilatoris.

De forma analogiae hucusque profundum silentium. Sed enim liber decimus proprius eius argumenti est (*quid* ὅρος 3—13. 37—50, *cuiusmodi* ποιότης 14—36. 51—84, cuius species est *cuiusmodi* [*modus* = *finis*], ποσότης 15—16. 51—62. 73—75). Itaque hic qualitas cum quantitate permiscetur. Item in fine libri (X 79—84) post *quid* (X 10 ∽ X 79) inducitur ὅρος — ποσότης. Peccavit Varro eo quod tripertitam universae de analogia disputationis divisionem, libris VIII—X comprehensam, quae ab ipso ad totius operis imaginem inducta erat, etiam in singulis libris servare voluit. Fontibus dichotomicis ad totius operis consilium male et obiter accommodatis, atque etiam ineptissime adiecti libri decimi (qui quid sibi velit, si non consilium quod auctoris erat in voluntate positum, sed argumentum examines, non perspicias) ratione, cum damno ipsius in utramque partem disputationis, habita, auctor, an potius dicam compilator, in has, de quibus ipse velim iudices lector, ineptias inruit.

II

Quomodo Varro fonte suo usus sit, certe paucula eius rei attuli specimina. Nunc operae pretium est indagare eius fontis vel auctorem vel utique familiam. Circa primi a. Chr. n. saeculi scriptores et grammaticorum rhetorum philosophorum scholas retia tendenda sunt, non tam prae doctrinae grammaticae lenitate in opere Varroniano perspicua, quantum propter dichotomiae studium. Ex scriptoribus quos Varro nominat, recentissimus est Dio, isque solus est cuius mentio extet etiam apud Quintilianum, qui rarissime ultra saeculi a. Chr. n. primi dimidium posterius recurrit. Ut demonstravi, Varro Dionem ex fonte Graeco affert, quare dubium non est quin scriptor quem Varro compilaverit, Dione recentior, ante annos 47—45, quibus Varro opus *de l. l.* composuisse a pluribus probatur, scribere coeperit. Dio Romam a. 56 legatus venit, certe iam tum clarus

habebatur, quia praecipue a civitatibus bene de studiis suis meriti et auctoritate quadam praestantes oratores mittebantur. Varro cum decem fere annis post scriberet, non indigebat adminiculis in quibus Dionis doctrinae ratio habita esset.

Si certi nominis desideratur argumentum, ut quae eius argumenti sint incertissima, ea prima detegam. Theodorus circa 33 a. Hieronymo teste viguit, Tiberii 42 anno nati tutelam circa eundem annum suscepit, quo tempore, ut minimum, quadraginta annorum erat; natus est igitur ante a. 73 (Apollodorus quinquaginta fere annorum fuit, quando ei Octavii pueri cura oblata est). Itaque opus, quod Varro compilavit, tenella adhuc aetatula (circa 26 annos natus) Theodorus composuisse accipiendus esset, nisi eum a. 33 multo maiorem natu fuisse coniceremus ex aemulatione cum Apollodoro qui adversarii exagitandi copiam habuisse fertur, et ex eo quod Albucius, cuius acme est circa a. 5 a. Chr. n., ipsum Theodorum novisse non videtur.

Quodsi haec per se non satis firma videntur quibus alia incertiora superstruantur, aliter argumentari in animo est. A. 48 Octavius togam virilem sumpsit nec tamen putandus est simul rhetoricam exuisse quinto decimo aetatis anno. Quibus igitur annis Varro opus *De lingua latina* aggressus est, rigida doctrina Apollodori maxime pollebat, verum Varro Pompeianus eo opere quasi arietem huic tanquam in aula potenti doctrinae incussit, quia quae 'regii' firmis oboedire imperiis omniaque certis discripta esse regulis contendebant, ea pristinae libertatis alumnus variis momentis pendere neque rerum naturae esse contrarium, ut diversa suas quaeque leges observarent et sibi persuasit et aliis praedicabat. Ne tamen Varroni ipsi eius certaminis instrumenta neve aliud quidquam praeter calcar atque consilium tribuamus, hoc obstat quod antiqui Apollodori adversarium ponunt non Varronem, sed Theodorum. Itaque necesse est concedamus Theodorum ante Varronem scripsisse. Utriusque adversarii doctrina comparata docti mirati sunt, quaenam causa fuerit, cur Theodorus tam acriter Apollodorum incessaret.

Illud cum nobis notum sit, Caesarem opus severissimae doctrinae *de analogia* composuisse, Varronis autem atque Ciceronis familiaris, Tullium Tironem[1]) dico, exstitisse opera argu-

[1]) Namque similis argumenti fuisse videtur opus Tironis *De usu atque ratione linguae latinae*. Tiro, si ex fragmentis quae Funaioli congessit concludere licet, analogiae partes sequebatur.

menti prorsus contrarii (contrarii dico non analogiae, sed rigiditati), fortasse hoc pacto enodemus, quare Theodorus, cuius tanta fuerit auctoritas apud Quintilianum Tacitum Hermogenem, etsi in scriptis ipsius nulla prorsus essent inventa *non prius audita*, tantam laudem adeptus sit, ut mox, aliquot annis ante victoriam ab Octaviano ad Actium reportatam, Tiberii factus sit praeceptor.

Tiberii Claudii adversus domum Iuliam et Iulium Octavianum mox Augustum inimicitiae adeo creverunt, ut circa annum Christi nati Tiberius Rhodum secesserit, quae insula videtur tunc temporis fuisse eorum refugium qui philosophia contenti esse deberent. Rhodius non Gaderenus[1]) maluit appellari Theodorus. Omnes boni animis atque spe per multa decennia in Tiberio pependerunt, donec imperator factus diu atque male contenti animi aegritudinem in crudelitatem plus quam imperatoriam effudit. Rerum publicarum in litteras atque occupationes liberales momenta quanta apud antiquos fuerint, nunquam satis aestimabimus[2]). Saepe oppressis accidit, ut odium in tyrannos ingeniosius quam malint exprimere cogantur.

In indice aliquot operum Theodori, a Suida proposito, invenimus titulum περὶ διαλέκτων ὁμοιότητος καὶ ἀποδείξεως. De vocabuli διάλεκτος significatione v. in universum R. Hirzel, *Untersuch. z. Cic's philos. Schriften* II 1882, 260—261. Vocabulum διάλεκτος initio *colloquium* (Plat. *Conv.* 203 a; Antisthenis cynici scriptum περὶ διαλέκτου, DL. VI 1, 9, 16), apud Demosthenem in *or. adv. Pantaenetum* c. 55 *sermonem* designare videtur (cf. lexica, ubi laudantur loci similes ex Platone Isocrate Aristotele), significationem *verbi, vocabuli* habet apud Epicurum (Usener, *Epicurea* 1887, 111, 18) et Philodemum *Voll. rh.* Sudh. I 110. II 268 (διάλεκτος idem quod oratio, Plut. *Adv. Colot.* 1119 F). Περὶ διαλέκτων scripsit Aristocles Rhodius, Theodori aequalis, apud Varronem in libris de analogia frequentissime laudatus. Latine igitur si verteris titulum operis Theodori, habes *de similitudine verborum.* Idem opus a Varrone scriptum esse con-

[1]) Natalis oppidi puduit alium quoque Gadarenum, Menippum (D. L. VI 8, 1, 99). A Zenone quin Citieus esset non itum infitias quasi memoriae dignum prodidit Antigonus Carystius (D. L. VII 1, 10, 12), laudavit ipse D. L. VII 1, 26, 30: εἰ δὲ πάτρα Φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος;

[2]) Ex. c. aliquantum lucis fortasse etiam Horatii contra Pompeianae domus poetam Lucilium contentio illinc accipiat.

stat, neque de eius argumento ulla est inter doctos dissensio. Contrarium huic argumentum Varro explicavit opere quod inscripsit *de utilitate sermonis*. Vide possintne etiam hae partes Theodoro tribui qui anomaliam minime sequebatur, quomodo Schanz affirmavit nescio qua ratione ductus, nisi ea ut usque quaque Theodorum Apollodoro opponeret atque validiorem quandam causam ambarum scholarum contentionis inveniret. Immo vero ipse titulus in indice Suidae testatur studium analogiae. Nihilne igitur intererat inter utriusque scholae analogiam? Multa quidem, si Varronem adhibeamus testem; est enim analogia Varroniana multo mitior Caesarea atque usque eo procedit ut quasi ex aequo anomaliae imperium agnoscat. Quae analogiae imago ceteris quae de Theodori doctrina comperta habemus consideratis talis esse videtur, ut quasi Theodoreos ductus exprimat.

Mitiorem analogiae doctrinam iam ipse Aristarchus protulit. Dionysii Thracis canones ipso silentio quotiens haeserit proclamant, quacum re consentiunt definitiones grammatices et rhetorices sub nomine Dionysii Thracis traditae. Si quaerimus quid tandem causae fuerit cur haec satis obsoleta doctrina repente vires recuperaverit, ut se ipsam debilitaret atque sua ulcera nudaret, praesto est responsum: propter vetustissimae analogiae restaurationem ab Apollodoro et Caesare tentatam, tali analogia opus fuit quae non se, sed suorum cultorum ardorem intempestivum peteret. Talis erat analogia recentior, i. e. Graeca primi a. Chr. n. saeculi. Ideo nova apud Theodorum quaerenda non sunt neve quod Apollodorum refutaverit, eius rei a Graeca doctrina ratio repetatur, propterea quod tale recentioris analogiae certamen contra puram atque meram anomaliam, Cratete mortuo dudum exstinctam, rationibus doctrinae Graecae explicari non potest. Id igitur novum Theodorus attulit quod neutram constare rationem si acre poneretur denuo demonstravit, id quod a Graeco Graecis demonstrari supervacaneum erat. Ex pluribus locis e scriptis suis apud antiquos allatis dubius animi et ab utraque parte quaedam argumentatus (cf. Augustini *l. l.*) ostenditur Theodorus. Sed hic quaeritur, siccine etiam de analogia cogitaverit, in alteramne etiam partem de ea disputaverit in opere suo *de similitudine verborum*.

Non me fugit diversos fontes statui a doctis librorum VIII—IX. At idem schema quod Graecum esset in utroque de-

texi, argumentorum autem seriem ab ipso Varrone propter studium tripertitae divisionis esse confusam exposui. Quamque paucula decerpserit, item demonstravi. Librum decimum abundare ostendi. Analogiae doctrinam secutum nihilo minus eiusdem doctrinae asseclae Apollodoro oblocutum esse Theodorum patefeci, regularum quarumlibet contemptorem. Nunc ex eodem titulo operis Theodori nova libet ducere argumenta.

Nempe scripsit libros duo reddiditque rationem analogiae, quod quomodo fieri potuerit nisi refutata anomalia non assequor. Qui solus extat, Dionysii Thracis, libellus de analogia (id enim est κανόνων ἐκλογισμός) qui in Dionysii Thracis *arte* proponitur, quae tamen non ita ab eo definitur, tantummodo regulas et definitiones continet omissis omnibus dubiis et quae controversiam moverent. Itaque ratio analogiae reddi non poterat sine controversia, praesertim si hoc ipso titulo praedicabatur. Recentioris analogiae ratio quae redderetur erat nulla, propterea quod constabat mera observatione. Inde provenit quod auctor usque ad Chrysippum et Cratetem decurrit licet multo recentiora tradat (cf. divisionem Varronis κατὰ πρόσωπον cum confusa huius loci apud Chrysippum tractatione, R. Schmidt p. 54). Est igitur admodum probabile Theodorum duobus libris controversiam ambarum scholarum proposuisse.

Laborant docti quae ratio temporum intersit inter opus *de lingua latina* et libros *de similitudine verborum* et *de utilitate sermonis*. Quanquam per me non stat quominus Varro prius illos libros composuisse credatur quam ad opus spissius ac collecticium accingeretur, tamen ipsius Varronis indicio fretus quod *L. L.* IX 12, 7 legitur, contendo primum ab eo in opere *de l. l.* materiam esse collectam, post diligentius in libris *de similitudine* et *de utilitate* retractatam separatis voluminibus, quo pacto crimen compilatoris effugeret, eis quae congesta invenisset apud Graecum, alium in modum compositis. Adde quod minus offendit, si in opere variae doctrinae singula quaedam mutuamur, quam si solum ut furto fruamur prodimus.

In editione Varronis *de l. l.* Goetz-Schoelliana cum ad primum capitulum *cur* libri octavi tum saepius alibi afferuntur loci ex Sexto Empirico, sed minus apte, primum quod Sextus Empiricus refert argumenta scepticorum, adprime autem Epicureorum, adversus Stoicos, non Peripateticos prolata. Eo referendum est quod Sextus Empiricus natura esse procreata

verba negat (*Adv. gramm.* 142—5), Varronis fons ab utraque parte affirmat (VIII 10, 25. 23, 44. IX 76. X 2, 17). Haec Sexti Empirici opinio scepticis debetur, non Epicureis, quia Epicurus ipse, licet a Stoicis dissentiat, a natura trahit verborum originem (R. Schmidt p. 23 adn. 39). Sequitur quod Sextus Empiricus neque breviter neque perspicue loquendi facultatem arte posse inculcari concedit, cum auctor Varronis eam etiam extra artem inveniri contendat. Deinde Sextus Empiricus contra analogiam quidem pugnat, sed suorum temporum, i. e. eam quae Atticistarum iuniorum fuit. Tum Sextus Empiricus contra Stoicos qui grammaticam (ut etiam rhetoricam) subdidisse criticae accusantur, inter ambas disciplinas distinguit, quod discrimen Varronis fons sive dicas unicus sive uterque prorsus tollit et passis velis in Sexti Empirici accusationem incurrit (cf. capitula de virtutibus dicendi, de copia verborum, doctrinae de statibus vestigia, universam dispositionem libri utriusque in modum orationis). Superest ut animadvertam a partibus anomaliae oppugnari apud Varronem non solum analogiam, sed in universum grammaticam cuius necessitatem sceptici omnium temporum agnoscebant (Sext. Emp. *Adv. gramm.* 272). Τὰ ἐγκύκλια μαθήματα deprecabantur initio Cynici (DL. VI 9, 3, 103—4). Quin etiam Zeno (*ibd.* VII 1, 28, 32) accusabatur a Cassio Sceptico τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν ἄχρηστον ἀποφαίνειν. Quae tamen ut utilis rursus recepta est a Chrysippo (*ibd.* VII 1, 66, 129). Quamvis igitur singula effata de utilitate appetenda de Sexto Empirico commoneant, cavendum est ne in exigua adnotatione ea quae e multis afferendis afferantur pro potioribus habeantur. Quod ita se non habet, quia etiam Stoici utilitatis causa esse omnia praedicabant et artis solemne vocabulum evitabant. His adice quod qui anomaliam defendit sincerus utique scepticus non est, ut maximum, argumenta contra Peripateticos a scepticis vel Epicureis petit. Quae in ipsa Porticu si quaeras, inveniantur. Tum limina Epicureorum et scepticorum si prorsus evitari nequeunt, sunt quidem Epicurei et sceptici, utrique nobilissimi, aetatis Varronianae.

Ab initio Epicureae et scepticorum in scientias et artes invectivae repetere quae fuerint in philosophos (de Stoicis cf. Diog. La VII 2, 4, 161. VII 3, 1, 165, VII 7, 6, 184; ἐποχή) rhetores grammaticos momenta longius esset quam huius quaestionis ratio fert. Disputationis contra scepticos vestigia possunt iam

apud Chrysippum (R. Schmidt p. 52 adn. 75), tum apud Hermagoram (cf. Augustini *De rh.* 3 H.) erui. Idem Hermagoras videtur de Stoica firmitudine opinionum aliquantum declinavisse, cum neque rhetoricen omnino definierit (Striller, *De Stoicorum studiis rhetoricis* I p. 18), neque peristasin (*ibd.* p. 27). Utra schola, Stoicorum an Epicureorum, rhetoricen in sophisticam et civilem diviserit, pro certo affirmare non ausim, sed illam id fecisse suspicor quae civilem protulerit, i. e. Stoicam. Epicurei rhetoricen civilem agnoscebant (Philod. *Voll. rh.* Sudh. I 69. 90. 93), acutis telis invadentes in Peripateticos, ab omni civilis contentionis instrumento alienos (*ibd.* II 276—277), doctrinam de statibus silentio praeteribant, solummodo respuebant coniecturam (*ibd.* I 246. 247—8. 249). Ut στοχαστικοί Stoici oppugnabantur (*ibd.* II 126), εἰκοτολογία usquequaque apud Philodemum exploditur. Quae Stoicorum oppugnatio fructum quendam tulit, siquidem in Ciceronis *Topicis* l. legimus inventione (quae maxime ad coniecturam faciebat; cf. DL. VII, 1, 35, 46 in Stoicorum doctrinae expositione: τὴν δὲ ἀνεικαιότητα, ἰσχυρὸν λόγον πρὸς τὸ εἰκός, ὥστε μὴ ἐνδιδόναι αὐτῷ) neglecta iudicationi Stoicos incubuisse. Quintilianus quidem iudicium quod apud Hermagoram et Theodorum secundum locum tenet, reliquis rhetorices partibusp raeposuit (III 3, 6).Volkmann *(D. Rhet.*[2] p. 29) docet quidem quinque aliis placuisse partes rhetorices statuere, aliis tres, sed originem et causam huius differentiae neglegit. Actionem et memoriam primus Hermagoras e numero partium rhetorices sustulisse videtur, quid autem eum impulerit, ut hoc susciperet, edocemur Philodemi *Voll. rh.* I 193 sq. Sudh. adversus Athenaeum contentione, qui Hermagorae aemulus has duas extremas rhetorices partes vindicaverit. Alexis quoque memoriam eiciebat (*ibd.* I 79). Theodorus, quantum e definitione artis rhetoricae, apud Quintilianum ei attributa, conicere licet, tribus tantum rhetorices partibus se continuisse videtur. Certe de Albucio, qui admiratione Hermagorae (sc. discipuli Theodori) stupens ad imitationem eius exarserit (Sen. *Contr.* VII *praef.* 5) comperimus memoriae eum atque actioni locum inter partes rhetorices ademisse (Quintil. *Inst. or.* III 3, 4). Ne aliorum id quam Epicureorum factum esse auctoritate putemus, Ciceronis *Or.* 54 prohibent verba: *quandoquidem de memoria nihil est hoc loco dicendum, quae communis est multarum artium,* quod est unum ex adamatissimis apud Epicureos et scepticos contra

singulas artes argumentis. Item in opere *de or.* desideratur memoria. Epicureae doctrinae nonnihil auctoritatis tribuisse Stoicos documento sunt *Epistulae* Senecae, quam ad rem quadrat quod pronunciationem et memoriam inter rhetorices partes Seneca non censet (Volkmann, *ibd.*) De memoria et pronunciatione num quid Cornelius Celsus tradiderit nihil habet comperti Iust. Woehrer (*De A. Cornelii Celsi rhetorica,* Diss. Philol. Vindob. VII 1903, p. 156) qui paene totum Celsum rhetorem ex miserrimis reliquiis ad usum facultatis philosophicae Vindobonensis suscitavit. Ex exemplis apud Volkmannum congestis colligi potest eos praecipue qui Hermagora duce iudicationem inventioni praeferre coeperint, i. e. aliquantum a coniectandi ardore refrixerint, extremas duas e quinque tralaticiis partibus artis praecidisse. Theodoreorum quae tres ceterae partes fuerint, non satis explicite Quintilianus (*Inst. or.* III 3, 8) narrat, nam si de dispositione memoria actione cogites, iudicationem num omittendam censuerint, te interrogo. At si dispositionis loco partitio et ordo potiantur, ut apud Hermagoram, ne actioni neve memoriae aditus ad partes praecludatur cave.

Evidentior est scepticae doctrinae auctoritas in partibus orationis. Prooemium necessarium esse cum iam Aristoteles negavisset, non erat cur sceptici de eo magnopere laborarent, cum alioqui ne persuaderetur neve animi moverentur decreta interponerent. Itaque sola ex prooemio mansit propositio, item Aristotele auctore, qui postquam etiam narrationi interdixit, ut in orationis partes ne propositionis specie amplius evagaretur, nihil fere in oratione reliquit praeter argumentationem, eius in prooemio propositionem, eius in peroratione recapitulationem. Nullo Hermagorae praecepto de narratione conservato, suspicor vix quandoque extitisse ullum. Qua in re Theodorus a Hermagora paululum declinavit ad Lycium versus, quia et narrationem definivit (I 363 1—3 Sp.-H.) et ei peculiarem virtutem dicendi attribuit (*ibd.* 370, 14—17) et *nunciatricem decenti ornatu* appellavit artem orandi (Quintil. *Inst. or.* II 15, 21), i. e. ἑρμηνευτικὴν τῇ πρεπούσῃ κατασκευῇ (κατασκευή autem vulgo apud rhetores definitur ut λέξις ἐκπεφευγυῖα τὸν ἰδιωτισμόν).

Quintilianus (*Inst. or.* IV 1, 23—24) Verginii sententiam refellit, quod singula quaestionis capitula in prooemio Theodorum docuisse proponenda putaverit, cum Quintiliano Theodorus

videretur solummodo validissima capitula in prooemiis praeformanda collocavisse. Tamen ex eis quae tradere pergit, sequitur ut a Theodoro narrationem sublatam itemque affectus e prooemio expulsos eaque omnia in universum praecepta esse credendum sit Quintiliano. Hoc loco aliquantum obscuro obscurior est alius locus Quintiliani *Inst. or.* V 13, 59), ubi loci prooemii a Theodoro reiecti esse traduntur, i. e. topica secundum orationis partes disposita (quaestiones Theodori minores, i. e. capitula, non secundum partes orationis sed secundum quaestiones maiores, i. e. status, dividebantur, ut apud Hermagoram). Efficitur, ut Theodorus cum orationis partes respuerit, id rursus in universum statuisse videatur, idque solum, ut supra, Quintilianus ei crimini dat et fori ignorantia excusat. Quomodo haec cum Senecae *Contr.* II 1, 36, quo loco non semper narrandum tradidisse Theodorus dicitur, concilientur, equidem nescio. Potius Quintiliano fidem negaverim, ut cuius refutatio Theodori, tanquam rerum momenta parum respicientis, bis quidem prolata, e mediarum partium studio procedat quodque qui (ut Quintilianus et Seneca pater) se adversus declamatores[1]) tanquam fori gladiatores iactabant, nimietatem eis obiciebant, qua ipsi ne peccarent, magno cum doctrinae detrimento evitabant. Solitum fuit calumniandi genus, scholastici nomen ignominiosum inurere, neque solus Hermagorae iunioris, qui ad pedes Theodori sederat, admirator Albucius, quem supra nominavi, *timebat ne scholasticus videretur* (Sen. *Contr.* VII *praef.* 4). Quintilianus pluribus locis Theodoreae de momento doctrinae vestigia prodit, quam per posteriores excepisse, Theodori autem ipsius opus nullum praeter *artem* per singula tantum capita atque obiter consuluisse manifestus est.

Locutio de *potentissimis quaestionibus* (i. e. κεφαλαίοις, cf. Quintil. *Inst. or.* V 12, 14) expressa videtur esse ex Graeco δυναμικώτατος, quod adiectivum est frequens apud Philodemum

[1]) Declamator fuisse Theodorus et in vita Suidae traditur et Senecae supra allato testimonio probatur; praeterea capituli definitio ab Augustino commemorata atque etiam de statibus doctrina eum praecipue controversiis animum advertisse produnt. Narratio autem in controversiis minimi erat momenti (Quintil. *Inst. or.* IV 2, 30 et IV 4, 8, ubi de *nuda* in coniecturalibus propositione Quintilianus verba facit, quae quasi ex Graeca Theodori definitione I 434 Sp.-H. esse translata videntur [κατὰ ψιλὴν ἀπόδοσιν]). Similia ex Cornelio Celso ap. Quintil. *Inst. or.* IV 2, 10.

(*Voll. rh.* Sudh. I 378. 379: δυναμικώτατος λόγος est is qui ἀμεταπτωτάτους facit πίστεις). *Auctor ad Herennium* exhibet pluries eadem significatione adiectivum *firmissimus*. Quod supplementi ad vocem *argumentum signum* sim. genus ortum est ex pugna adversus studium coniecturae (εἰκοτολογίαν). Eius signa iam apud Demosthenem apparent qui fere vocabulum σημεῖον, τεκμήριον cum adiectivo μέγιστον coniungit, quasi ipsa vox, nimis in iudiciis trita, parum fidei mereretur. Δυναμικώτατος pro eo q. e. μέγιστος quo spectat, infra docebo. Ipsae quaestiones minores, i. e. κεφάλαια, probationis erant firmamentum quo τὸ τῆς ῥητορικῆς ἰσχυρώτατον (III 731, 24. IV 62, 5—8. VI 556, 6—7. 636 23—30 W.) consistebat, eadem etiam ipsius contentionis, i. e. ἀγῶνος, partem obtinent (VI 586, 3—4 W.)

Sequeretur ut Theodorus λέξιν sive φράσιν[1]) contemneret, quandoquidem Epicurei (ex. c. Alexis eam e numero partium rhetorices sustulit) hanc dulcissime cavillabantur. Quod tamen minime confirmatur ea de causa, quia Theodorus ut Rhodi alumnus, tum ut rhetor legitimus, quem ars sua, quam hoc nomine definivit, aleret, ut declamator denique, audacis metaphorae usum probabat (Sen. *Suas.* 3, 7, Sueton. *Tib.* 57), eius autem discipuli phrasin Apollodoream ut enervatam vituperavisse feruntur[2]). Metaphorae usus sive potius abusio e brevitatis studio provenit (Fortunat. *A. rh.* III 7 H.).

Studium brevitatis aetate q. v. classica adeo commune est, ut si exceperis Peripateticos (cf. Critolaum apud Philod. *Voll. rh.* II 220 Sudh.) et eum qui illos in hoc dumtaxat sequebatur, Ciceronem dico, nulla fere schola est, quin hanc virtutem commendet. Qui eam certis momentis aestimandam arbitrati sunt, possunt ex ipso Aristotele pendere, sed Theodorus non solum breviter sed etiam dilucide non semper utile esse exponere ratus (Quintil. *Inst. or.* IV 2, 32) recta via ad Epicureos[3])

[1]) Potius autem ἑρμηνείαν, si modo recte definitionem eius artis oratoriae, apud Quintilianum conservatam, Graece interpretor, ex qua mihi videtur elocutionem cum pronunciatione coniunxisse, ut illa sit verborum, haec rerum.

[2]) In loco Demetr. *De eloc.* 237 lectionem mss. tueor et primi saeculi rhetorem evitando παρενθύρσῳ in pugnae Salaminiae ecphrasi dedita opera, studuisse puto tum propter Romanorum cavillationes tum ut... Gadarenum i. e. Punica malignitate. Sin σμικροῖς ὀνόμασιν usus, dum πρᾶγμα μέγα depingit εἰς τὸ ξηρόν incidit, nimirum declamator fuit.

[3]) Philod. *Voll. rh.* I 156 Sudh.; cf. Philod. π. ποιημ. 13,63 Jensen 1923, quibus locis τὸ ἐναργῶς καὶ τὸ συντόμως vel omnino non valere in poesi vel ex circumstantia pendere Epicureus opinatur.

est referendus, qui soli neque bonum quidquam esse censebant neque tamen id quod ei esset contrarium commendabant. Varronis auctor, qui in disputatione pro analogia brevis et aperta ut sit oratio postulat, Theodori sententiae dicit contrariam, ideo etiam minime Epicuream, quomodo editoribus placuit.

Cum Epicureis hoc commune habet quod tertiam virtutem, τὸ πιθανόν, omittit (Philod. *Voll. rh.* Sudh. I 20. II 2—3. 91. 114. 164—5). Ipse autem Theodorus probabilitatem non solum agnovit, sed peculiariter ad narrationem rettulit (I 370, 14—17 Sp.-H.), quod fecit fortasse, ut etiam in virtutum dicendi divisione dichotomiam servaret schematis ope καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος (cf. etiam divisionem in κεφάλαια γενικώτατα et εἰδικά, cuius Stoicae origini fidem faciunt verba D. L. VII 1, 42, 61). Epicureorum hac in re discedit discipulus eatenus, ut probabilitatem duabus generalibus[1]) minorem et loco speciei poneret. Idem apparet in narratione definienda quam quidem non abolevit, sed ita circumscripsit, ut Alexander ei obiceret, ne ullius quidem nedum ornatae hoc esse orationis (I 363, 4—5: οὐ μὴν ποιμπικὸν οὐδὲ ῥητορικόν); sensit enim nomen quidem relinqui, rem ipsam tolli, atque ita hanc ambiguitatem, quae multis in aliis Theodori peculiaris est, damnavit (δεῖ γὰρ σαφέστερον τὰ τοιαῦτα ὑπογράφειν): adversus scepticum est haec accusatio. Quam eo plus meruit quod dum narrationem esse fere nullam affirmat, unius vix patiens, duas admittebat (I 375, 9—12 Sp.-H.; cf. Quintil. *Inst. or.* IV 2, 11). Habes Tiberiii magistrum. Itaque non est cur de tertia virtute dicendi apud Theodorum tantopere confidamus. Post Aristotelem et plurimos alios in definitione artis oratoriae probabilitati modum adposuit.

Haec Theodori doctrinae ambiguitas in qua etiam recentiores offendunt, qua in re Theodorus ab Apollodoro potissimum discesserit quaerentes, causam non satis perspicuam, sed magnam et unam habebat: quod Theodorus omnia fere praecepta absoluta auctoritate praedita esse noluit, capitula artis quasi ἐν δυνάμει suspendit, oratori solum vim tribuit (περὶ ῥήτορος δυνάμεως in indice Suidae), omnia certis servire momentis opinatus. Momenti vis eo est apud Theodorum obscurior, quod

[1]) Generales ut haberentur virtutes dicendi omnes postulaverunt Peripatetici (cf. Cl. Peters, *De rationibus inter artem rh. IV et I s. interc.*, diss. Kilon. 1907, 67—8). Theodorus, cui narratio non solum non principalis pars orationis, sed fere nulla est, non Peripateticos sequebatur.

cum alii innumerabilia praecepta de uniuscuiusque virtutis dicendi aut partis orationis[1]) momento dederint eaque vel a genere dicendi causarumve, vel a circumstantiis externis repetenda docuerint atque eo modo doctrinam de momento in minutissima quaeque discripserint (v. farraginem praeceptorum apud Cl. Peters, p. 41.55, cui adice Augustini *De rh.* 14 H.), Theodorus curiositatis Apollodoreae odio vim ipsam momenti indicavit, cetera neglexit.

Doctrinae de momento originem esse sophisticam (D. La. IX 8, 4, 52: Οὗτος [sc. Protagoras] πρῶτος... καιροῦ δύναμιν ἐξέθετο) quis nescit, cave tamen confundas eiusdem vocabuli notiones diversissimas. Novam de momento doctrinam[2]) constituit apud Stoicos vir mirae admodum indolis, Zeno (cf. Philod. *Voll. rh.* II 12 Sudh.). Duo eius doctrinae fuerunt fundamenta: scepsis et studium brevitatis. Dialectici, i. e. Stoici, imprimis breve dicendi genus colebant, sceptici nihil constare evincendi studio accensi, quamvis breve dicendi genus ut magis naturale observarent, tamen sibi ea de re in modum doctrinae non liquere, sed secundum quaedam momenta, essetne ea res commendanda necne, ut alias, etiam hic statuebant (Arcesilaus ap. Diog. La. IV 6, 17, 42: αὐτὸ τοῦτο μάλιστα φιλοσοφίας ἴδιον, τὸ καιρὸν ἑκάστων ἐπίστασθαι. Philod. *Voll. rh.* Sudh. I 156. 201. 202, 239—40). Itaque Zeno brevitatis studium ea ratione mitigavit, ut in materia civili e rerum externarum comparatione tres quosdam gradus quasi copiae dicendi definiret. Quae opinio de brevitatis mensura ad civilium oratorum peritiam referenda quantum ex Epicureorum sententia fuerit, locus supra laudatus documento est.

In Ciceronis disputatione *de or.* II 4, 17 Caesar, nimirum ille ex sociis colloquiorum, *ineptum* (ἄκαιρον) Graecae nationi

[1]) Dispositionis neque apud Hermagoram (qui oeconomiae principale caput statuit iudicium) neque Theodorum neque Theodoreos (v. supra) neque Cornelium Celsum (Iust. Woehrer *De A. Cornelii Celsi rhetorica [Diss. Philol. Vindob.* VII 1903 p. 152]) neque Quintilianum (cuius *Inst. or.* liber VII praeter anticum et posticum capitulum nihil quo libri inscriptio excusetur continet, cum totus liber doctrinam de statibus in religiose servatis, ut in tralaticiis saepius, dispositionis partibus explicet) ulla est vis quippe redactae sub potestatem doctrinae de momento.

[2]) Vetustiora cf. A. Rostagni, *Un nuovo capitolo della retorica e della sofistica (Studi Italiani di filologia classica* II 1922, 148—201); D. Lewi, *Il καιρός attraverso la letteratura greca. (Rendiconti della R. Accademia dei Lincei* 1923, 260—281).

vitium esse innatum ac peculiare praetendit, ipsius virtutis pondus his verbis celebrat: *ego mehercule ex omnibus Latinis verbis huius verbi vim vel maximam putavi.* Theodori de vi momenti doctrina etiam cum Peripatetica (Diog. La. V 5, 9, 81 Demetrii Phalerei librum περὶ καιροῦ commemorat) facit, quando adversus Asianos convertitur (cf. περὶ ὕψ. 3, 5); tum ad notionem decori accedit, cuius mentio definitioni artis oratoriae inlata est etiam a Theodoro, sed ibi quoque Theodorus est Rhodius. Eodem tendit Dionysii Halicarnassensis sententia de momento omnium rerum mensura (*Lys.* 13, 482).

Quintilianus *(Inst. or.* II 13, 2) quae tradit, Porticus admonent, ubi notio momenti arcte cohaerebat cum partibus iudicationis (cf. Sen. *De benef.* I 12). Hermogenes, quem primus Thiele vidit Theodoro multa debentem, perfectissimae scientiae esse censet momentis uti nosse eiusque rei agendae potestatem habere (π. ἰδεῶν B. 378 11—12 Rabe: ἔστι δὲ τοῦτο μεγάλης καὶ τελεωτάτης ἐπιστήμης οἶμαι τὸ χρῆσθαι καιροῖς εἰδέναι τε καὶ δύνασθαι). Posteriorum doctrinae de summa in philosophicis et rhetoricis momenti gravitate auctor est Plato *Alc.* β′ 145 E: ἄνευ τῆς τοῦ βελτίστου ἐπιστήμης καὶ τοῦ εἰδότος ὁπότε βέλτιστον ἑνὶ ἑκάστῳ τούτων χρήσασθαι καὶ πρὸς τίνα; Stob. *Anth.* Ἐκλογῶν c. XXXIV p. 682—687 Hense Περὶ τοῦ εὐκαίρως λέγειν.

Igitur doctrina de momento primum est sophistica (a hominis existimatione pendet quomodo utatur momentis), tum fit Stoica, ad brevitatem spectat, e civili experientia repetitur, apud Peripateticos decori partes contra cacozeliam tutatur, a Stoicis iunioribus cum iudicatione coniuncta, a Rhodiis ad Aristotelicam notionem δυνάμεως reducitur, certo argumento caret apud scepticos, tum apud Theodorum Quintilianum Hermogenem.

Iam cum de *quaestionibus potentissimis* verba facerem, ad Epicuream consuetudinem rediendum putavi, non solum quo ostenderem quantam illi curam firmissimae probationis habuissent, sed quod ipsum etiam vocabulum Epicureae est consuetudinis.

Non longe abest ea quoque *vis* quae ἐν τῷ ἐνδεχομένῳ πιθανῷ latet, non omnimodo enim orator persuadere debet (haec contra Sophistas), sed quoad res ipsa patitur, cuius rei qui sit modus, oratoris est metiri. In potestate eius est ita uti argumentatione, ut ultra certa rei momenta non egrediatur. Quid

autem res ipsa admittat, viribus oratoris aestimandum est. Tum illa *vis*, quae in argumentando tota posita esse videbatur, ipsi etiam de momento doctrinae inhaerens conspicitur. Notio primitus sophistica ab Aristotele est suscepta, a Stoicis vero ad oratorem relata, sed videtur latius dominata esse. Qui rhetoricen *vim tantum* nominaverunt (Quintil. *Inst. or.* II 15, 2), videntur quadamtenus stare a partibus scepticorum et Epicureorum. Qui cum Epicurei quorum multa de *vi oratoria* verba apud Philodemum *(Voll. rh.* I 116. 117. 121. II 137. 212. Sudh. π. ποιημ. 50, 12. 57, 8 Jens.) extant, de cognitionis vanitate sententiam ab antiquis Sophistis exceperint, eo nomine monemur, ne hic de Aristotele solo et primo cogitemus, quomodo fecerunt Quintilianus (*Inst. or.* II 15, 10—23) et multo ineptius Troilus (VI 51, 1 W.).

Latius evagatam esse notionem δυνάμεως oratoriae non ideo dixi quo universae illius in mentem veniret virtutis dicendi, cuius apud Peripateticos et Rhodios oratores tanta est labefactatis reliquis virtutibus auctoritas. Etenim considerandus est etiam Posidonius, cuius de ratione dicendi doctrina longe a Demosthenica illa *vi* (i. e. δεινότητι, sed etiam δυνάμει) aliena est, cum apud Posidonium *vis* in philosophia versetur. Non nego equidem etiam in *vi* Demosthenica inesse notionem dialecticam, praesertim cum a Stoicis hoc vocabulum ad Demosthenem referatur. Sed Cicero in *partitionibus oratoriis* I, qui libellus a media Academia fluxisse ab ipso auctore affirmatur, *vim oratoris* (cf. Philod. *Voll. rh.* II 12, 3 Sudh.) eodem modo definit, quo Stoici *officium oratoris*, i. e. capitulum de partibus rhetorices hoc vocabulo inscribit. Hoc igitur loco evidenter contra Stoicorum vulgatam facit, quamvis oratoris in arte oratoria tanquam artificis in artificio dominium cum illis agnoscat.

Δύναμις (aliis ὕλη) appellabatur materia argumentandi maxime personis iuncta (Quintil. *Inst. or.* V 10, 33), cum alia argumenta a persona ducerentur (*ibd.* V 10, 33), alia extra personarum complexum posita essent (*ibd.* V 10, 53). Itaque δυνάμεως notioni[1]) videtur subesse divisio κατὰ πρόσωπον καὶ πρᾶγμα, ut quae utriusque sit materia, δύναμις sit nuncupata. Rationi in duo dividendi, quam vocamus dichotomiam, tertium

[1]) De ratione quae inter notiones δύναμις—μέρος, δύναμις—οὐσία, οὐσία—ποιότης intercedat, cf. Porphyrium Iamblichum Numenium Nicolaum ap. Stob. *Anth.* 352, 17. 354, 2—3. 368. 369. 2—4. 381, 8 Wachsmuth.

quod vel commune esset *(utrumque)* vel ab utroque alienum *(neutrum)* saepius intervenire vidimus. Etiam *vires oratoris* secantur in paria in *partt. or.*: ad res spectat inventio, verbis constat elocutio, quacum est conexa, tanquam species, actio, cum collocatio ambarum, memoria omnium communis sit; item in partibus orationis obvenit dichotomia (cf. Apsin. *Rhet.* 12 p. 304. Volkm. *D. Rhet.*[2] p. 126).

Ne longius morer, inter opera Theodori in indice Suidae commemoratur περὶ ῥήτορος δυνάμεως liber unus. Artem a Quintiliano singulis locis inspectam[1]) eum continuisse vel propter unius libri mentionem non suspicor, sed ea quae ex oratoris persona de materiae civilis, secundum partes rhetorices et orationis discriptae, tractatione dici possent.

Horati *Epistulae ad Pisones* v. 88 iisdem fere verbis expressum habet initium Varronis *de l. l.* libri noni (similis est sententia Menandri Stob. *Anth.* II 1884, Wachsmuth p. 204, 10—12). Quod quorsum spectet ut intellegamus, recordemur Pisonem Philodemi fuisse patronum. Theodorus, ita Philodemo natu minor, ut ipsius contubernio uti potuisse non sit negandus, forsitan eo promptius Philodemi sodalicium appetiverit quod eodem oppido ambo oriundi erant (Strab. XVI 759, 29).

Philodemi *voluminum rhetoricorum* (cf. Stob. *Anth.* librorum duorum posteriorum capita bipertita) liber quartus legitur divisus in partes duas, quarum priori inscribitur: Τῶν εἰς δύο τὸ πρότερον, alterius inscriptio est: Τῶν εἰς δύο τὸ δεύτερον. Disputationis in utramque partem auctor exstitisse Arcesilaus fertur (Diog. La. IV 6, 2, 28). Cuius contubernio usus Chrysippus assensionem differendam esse didicit, τῇ τῶν Ἀκαδημαικῶν ἐνστάσει χρησάμενος (Diog. La. VII 7, 6, 184); propterea (δι' ἣν αἰτίαν *ibd.)* geminis scriptis consuetudinem simul exagitavit atque tutatus est *(ibd.* cf. VII 7, 12, 198). Non ex Academiae hortis haec prosiluisse suadet iterum Zeuxis Aenesidemi familiaris quem περὶ διττῶν λόγων opus edidisse Diog. La. IX 11, 13, 106 tradit. Eandem addubitandi rationem Posidonius in quaestione de

[1]) *Ars oratoria* Theodori initium capiebat a definitione, tum partium rhetorices divisionem, dein de statibus doctrinam exponebat, denique, inter μερικὰ κεφάλαια, de partibus orationis et virtutibus dicendi agebat. Itaque doctrina de partibus orationis et de virtutibus dicendi sequebatur partium rhetorices expositionem, non, ut apud Peripateticos Ciceronem Quintilianum fit, praecedebat.

κόσμου ἐκπυρώσει observavit, praeter argumenta in utramque partem exposita nihil fere proprii fatus (R. Hirzel, *Untersuchungen* I 1877, p. 226. 228; cf. praeterea *ibd.* III p. 249). Idem dichotomiae studium cum apud Theodorum deprehendimus, tum etiam in Varronis de analogia reperimus libris. Quo pacto recte videmur conicere omnium trium de analogia librorum (VIII—X) materiam esse a Varrone e Theodori *de verborum similitudine atque eius rei demonstratione* libris duobus excerptam e quibus prior, in duas particulas divisus, Varronis libris octavo et nono argumenta ministraverit, posterior *(utrumque)* decimo sit patrocinatus.

Vocabulum Stoicum (Diog. La. VII 1, 66, 131. VII 7, 12, 201. 202.) ἀπόδειξις, in operis Theodori titulo positum, valde Philodemo et Epicureis familiare est. Accedit quod eius demonstrationis via et ratio apud Varronem prorsus Epicurea est. Illa est enim ratio dialectica cuius duos statuerim modos: 1. priorem modum secandi in duo cuiusque argumenti ut utrimque reiciatur; 2. alterum modum concedendi supra reiectis dummodo ad μερικώτερα refutanda progrediatur, quae tamen argumento καθ' ὅλον deiecto propriis viribus stare nequeant. Hoc schema καθ'ὅλον καὶ κατὰ μέρος argumentationis Theodoreae peculiare fuisse ostendi. Prior huius rationis species occurrit apud Varronem verbi causa VIII 17, 33. 38, Epicureis autem usitatior est quam ut eius rei exempla congerenda sint. Alterum specimen lineamenta universae disputationis apud Philodemum referunt. Quod dico cuiusmodi sit apud Varronem, paucis illustrabo. Cliens anomaliae solas necessitatem et utilitatem in quaestione de linguae natura considerandas esse contendit. Postquam demonstravisse sibi visus est neque opus esse analogiam neque usui, tertium tamen principium elegantiae admittit. Id etiam feliciter profligavit, neve longius torqueret analogiam, ea quae ei intulerat vulnera nimis quam sufficere videntur. Ille tamen quasi contra se de linguae natura debellatum esset atque tanquam quaestione *cur* conclamata, interiora obstacula pervestigat. Crederes maiora minus prospera expertum minoribus inhaerere atque oblitum valere in minora quae valeant in maiora, confitendum sibi censere analogiam quidem quandam esse, sed mancam et caducam. Eodem schemate refellendi usi sunt Epicurei. Qui ut a capite ad extrema adversarii deducerent triumphum, refutatione universa non contenti,

ad singulas partes descendebant, dum nova arriperent argumenta quae tum demum sese sponte offerrent si anteriora cecidissent.

Quare docti et ingeniosi Atticismi vel socium vel etiam ducem et auctorem appellaverint Theodorum non intellego. Veterum imitatio et apud Rhodios viget nec non Philodemo probatur qui ex. c. Demosthenem Aeschinem Lycurgum laudat. Item doctorum nomina adponere quod Epicuro quidem displicebat (Diog. La. VII 7, 3, 181) et singula dinumerare argumenta Philodemo familiare est, a Varronis libris de analogia non alienum.

Obeundus videtur umbilicus quaestionis. Theodorus Gadarenus opus de analogia duobus libris conscripsit, ἀπόδειξιν adnexuit. Ut alias, etiam ibi dichotomia et schemate καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος usus est. In utramque partem disputavit; quam disputandi rationem Theodoro vindicat Augustinus, comprobant omnia quae de vi vocabulorum δύναμις, καιρός apud Theodorum enarravimus. Alia Philodemi vestigia, quae apud Varronem exstant, ad conterranei calcem quadrant. Apollodori doctrinae Theodorus non argumentum, sed modum oppugnavit. Rhodium et ipse se nominat et studia in philosophiam rhetoricen grammaticam conlata talem eum fuisse produnt. Hermagorae imitator, etiamdum στοχαστικός, iudicationi (sive consilio) tamen praemium in doctrina de momento concessit. Tiberius, Theodori discipulus, rerum scelerumque momenta tota vita meditatus est. In Tiberii honorem Apollonides Nicaeus Timonis Sceptici *Sillos* commentatus est (Diog. La. IX 12, 1, 109). Dialecticae Theodorus intellegens fuit, totus constat capitulis. In declamatione phrasi Rhodia utebatur. Zenonem imitatus opus *de republica* composuit, Rhodiorum (Posidonii, Molonis) studia geographica ipse etiam fovit opere περὶ Κοίλης Συρίας. Stoica sunt opera: περὶ τῶν ἐν φωναῖς ζητουμένων (quo equidem Varronis de accentu frustulum rettulerim), περὶ θέσεων, περὶ ἱστορίας i. e. de paradoxis naturae. Stoicis cautius artem oratoriam definivit, contra Peripateticos narrationem damnavit, Academicis num refragatus sit, non constat, sed parum probabile est. Novitati minime studebat, incerto fidus. Aenigma et esse maluit et etiam nunc manet.

STUDIA RHETORICA II

AD FIGURAE ΠΑΡΑΔΙΑΣΤΟΛΗΣ HISTORIAM

scripsit
GEORGIUS KOWALSKI

Protagoras et Prodicus apte dicendi praecepta primi (cf. H. Mayer, *Prodikos von Keos und die Anfänge der Synonymik bei den Griechen [Rhet. Studien herausg.* von E. Drerup H. 1] 1913) exposuisse feruntur. Inter quae id praecipue premebant, ut vocabula simili significatione praedita acute inter se distinguerentur. Postquam primae de linguae origine et indole cogitationes obversari doctioribus coeperunt, naturali quadam animi propensione ea quae postea analogiae appellata est ratio ex proximo arridebat. Itaque cum viderentur plura unius rei vocabula existere, doctores conabantur discrimina quaedam demonstrare quibus cuiusque vocabuli origo tamquam excusaretur. Accedebat quod a sophistis instituta doctrina de arte plurium ex his quae pro physicis vulgo habebantur rerum creatrice, postulabat ut etiam lingua arte et quidem ex hominum consensu facta esse videretur. Quod si accipiendum erat, tum linguae quoque consilium quoddam atque iudicium non erant abneganda. Ideo nihil in lingua inveniretur oportebat quod ratione careret.

Studia synonymica, a Protagora et Prodico condita, mox ad grammaticam descenderunt, quare rarius in rhetorica et in philosophia sermo de eis fit. Quamvis enim orta ex philosophia, sordidiora posterioribus videbantur quam ut limen scholae egrederentur. Ut plurimum, quotiens de definitione cyrologia apte dicendo agebatur, synonymiae mentio paucis fiebat (cf. Arist. *Rhet.* p. 1404 b 25 — 1405 a 2. Hermagoras ap. Cic. *De inv.* II 54, 115. Quintil. *Inst. or.* 11 I 90. Augustin. *C. Faust.* XXII 18).

Idem Protagoras adeo de rerum veritate addubitavit, ut iudicium hominum illi praeposuerit. Ea de cognitionis principio haesitatio, delata ad philosophiam moralem, ubi veritatis notio cum virtutis notione cohaerebat, effecit ut eadem dubitatio quam de veris et falsis ille excitavisset, etiam hic de virtutibus et vitiis oreretur. Ut illic, eadem res vera an falsa esset, incertum erat, sic hic, utrum virtutis nomen acciperet an vitii, parum sophistis (de Protagora cf. Gomperz H., *So-*

phistik und Rhetorik 1912, 240) apparebat. Quo modo autem in ratiocinationibus de rerum cognitione, de eis rebus potissimum disserendi erat cupido quae maxime fluebant, eodem modo in quaestione morali notiones magis vagae atque in utramque partem inclinatae eligebantur ad tractationem. Atque ita studium oppositum synonymiae grammaticae increvit in philosophia morali ab sophistis exculta, quia quam semasiologia primum animadvertit notionum vicinitatem, eam philosophia moralis sophistarum ad auxilium omnis notionum moralium discriminis confundendi traxit.

Etiam quod ad demonstrativum genus dicendi spectat, quale eximie a sophistis colebatur, οἱ μειρακιώδεις σχηματισμοὶ τῶν ἀντιθέτων τε καὶ παρομοιώσεων καὶ παρισώσεων, ἐν οἷς οἱ περὶ τὸν Γοργίαν μάλιστα ἐπλεόνασαν (Dionys. Halic. *Ep. ad. Amm.* II ed. W. Rhys Roberts 1901, c. 17 p. 156) hac ex re magnopere adiuvabantur. Cum enim, quod etiam francogallico proverbio: *les extrêmes se touchent*, illoque latino: *Vicina sunt vitia virtutibus* (Otto, *Die Sprichwörter d. R.* s. v.) exprimitur, notiones inter se contrariae, tamen saepius quantitate quam qualitate differant (ut ex. c. in rhetorica: cacozelia ab oppositis virtutibus dicendi, et ridiculum a sublimi, quod hodie quoque in proverbio est), facile fit, ut ex oppositorum commutatione quidam lusus ingenii nascatur. Id genus dicendi igitur Gorgiae vetustiori placuisse vix mireris.

Quamquam virtutum cum vitiis conmutatio videtur primo obtutu ad defensiones iudiciales fuisse perutilis, quando ibi praesertim intererat, ut ea quae viderentur noxia atque criminosa esse, pro commodis atque laudabilibus in utilitatem reorum explicarentur, tamen perdifficile est ut credam talem lusum in pristinis iudiciis admitti potuisse. Quin immo pro comperto habemus primum ab Isocrate in oratione *De antidosi*, quam in formam defensionis forensis, quamvis longe ab hoc genere alienam, ac demum post iudicium peractum redegit, arreptum, tum ab oratoribus quarti saeculi in refutationem inductum locum illum, multo post ab Hermagora ad causas status definitivi translatum esse, quod ideo facilius factu erat quod iam antea oratores q. v. Asiani illum inter figuras universi generis dicendi posuerunt. Quod autem sophistae hanc virtutum et vitiorum vicinitatem ut invenerunt ita etiam triverunt, quodque a Peripateticis scholae vetustioris ea inter prae-

cepta generis demonstrativi traditur, haec documento sunt in genus demonstrativum a principio paradoxologiam moralem fuisse inductam. Quam si apud Thucydidem Accium Hermagoram Livium Tacitum in deliberativo genere invenimus, non ideo ibi primum natam esse credemus, quomodo neque si apud Quintilianum *(Inst. or.* IV 2, 76—77 cf. C. Iul. Vict. 425, 20—21 Halm) narrationis instrumentis adnumeratur, propterea vel ad causas vel ad universum genus ab initio pertinere videbitur, neque denique ad ethopoeiam, tractam ex narratione a Peripateticis (cf. Doxopat. II 525, 15—17 W.). In universum videtur genus laudativum et demonstrativum ante iudiciale exortum, neque, nisi hoc admiseris, tota rhetoricae historia bene constat. Sed haec maiora sibi poscunt argumentationis instrumenta, quam ut hoc loco expediantur.

Primus qui post sophistas de virtutum et vitiorum vicinitate verba fecit, Thucydides fuit. Dionysius Hal. (*l. l.*) prorsus eum accusat quod studiosius quam sublimis generis sectatorem deceret, Gorgianis artificiis hac in re indulserit. Loco qui ex *Historiarum* libro III c. 82 ab eo inter alia exempla σχημάτισμῶν proponitur, Thucydides praemisit, quasi ut audaciam styli excusaret, monitionem: τὴν ὑπερβολὴν τοῦ καινοῦσθαι τὰς διανοίας bello fuisse effectam. Ut signa nimiae cupidinis in novandis sententiis, Thucydides attulit multa de confusione orta in civitatibus Graecorum inter notiones virtutum et vitiorum (cf. Isocr. *Areopag.* 20, *De antid.* 283—284). Ea vero quae propositum consequuntur, non tam ad res civiles quadrare videntur quam rhetoris officinam testari. In contionibus talia declamabantur, quotiens alieni legati aderant vel sui oratores populum adibant ut auxilium rogarent vel, ne adversario civitas adstipularetur, suaderent. Sed ea Thucydides solita arte in maius (i. e. ex genere contionali sive suasorio in genus demonstrativum) extollit. Quoniam de bello inferendo vel evitando agitur, occurrunt vocabula virtutum et vitiorum bellicorum: τόλμα — ἀνδρεία, μέλλησις — δειλία, σώφρων — ἄνανδρος, ξυνετός — ἀργός etc. Item demonstrativi generis sunt quae Isocrates in adsentatores populi et praecones fallacis sapientiae contorsit iacula indignationis oratoriae (ἀκολασία — δημοκρατία, παρανομία — ἐλευθερία, παρρησία — ἰσονομία; βωμολοχευομένους καὶ σκώπτειν δυναμένους — εὐφυεῖς, κακοηθείαις καὶ πανουργίαις χρωμένους — πλεονεκτεῖν, τὰς τῶν παλαιῶν σοφιστῶν τερατολογίας ἀγαπῶντας — φιλο-

σοφεῖν). Verba quibus in oratione *De antid.* transitio ad locum fit (ἐπεὶ νῦν γ' οὕτως ἀνέστραπται καὶ συγκέχυται πολλὰ τῶν κατὰ τὴν πόλιν), suspicionem imitationis Thucydideae facile movere possunt.

Aetate Platonis (cf. *Republ.* p. 474 D) locus de virtutem et vitiorum vicinitate a comicis videtur fuisse receptus, ut permulta eiusdem farinae, ex philosophia populari (i. e. sophistica). Voce ποίημα Plato se doctrinam de lingua arte atque consilio conformata respicere ostendit. Posses hic etiam de comoedia quae inscriberetur Μελίχλωροι cogitare, nisi hoc nimis coniecturam saperet. Ut iam hic dicam, quare locus ille tantum apud posteriores valuerit, ut taceam de festiva ipsius indole, vicinus est illius decantati in scholis de philosophorum regno (473 D).

Aristoteles *Rhet.* p. 1367 a 32 — b 3) contra propositum artis suae[1]) virtutes cum vitiis quomodo permutentur praecipit. Quae enumerat exempla, partim ex Thucydide proveniunt (εὐλαβής — ἐπίβουλος, θρασύς — ἀνδρεῖος), partim videntur ex simili studio characterum comicorum, cui etiam Theophrasti *Characteras* debemus, prodiisse (ὀργίλος, μανικός — ἁπλοῦς; αὐθάδης — μεγαλοπρεπής, σεμνός; ἄσωτος — ἐλευθέριος). Hic parum prospexit Aristoteles in genere demonstrativo (πρὸς ἔπαινον καὶ πρὸς ψόγον) non solere tractari de talibus.

Hyperides (cf. Π. ὑφ. 34, 2 τὸν δ' ἐπιτάφιον ἐπιδεικτικῶς, ὡς οὐκ οἶδ' εἴ τις ἄλλος, διέθετο) eodem artificio usus est contra Aristophontem Azanium.[2]) Quod vitia in virtutes hic vertuntur (ex persona Aristophontis), quodque ambo mitiora sunt bellicis, conicio etiam Hyperidem ex characteribus comicis ea

[1]) Quod postea ex auctozitate Stoicorum Quintilianus *Inst. or.* III 7, 25, ubi de laude et vituperatione agit, corrigit et tantummodo, si communi utilitate ducatur, viro bono praeceptum Aristotelis hac de re sequi permittit.

[2]) *Fgm. Orat.* p. 283, 5, 6—11 Halm. Girard, *Etudes sur l'éloquence attique,*[2] 1884, 140 male Hyperidem figurae auctorem esse putat, propterea quod, ne pluribus de Isocrate, idem artificium finiendarum notionum similium quidem, verum aestimatione quae est posita in percontando quid bonum, quid malum sit differentium, occurrit apud aequales, Aeschinem *Adv. Tim.* 137—159. *De falsa leg.* 145). Demosthenem *(De cor.* 284. *Adv. Androt.* 22), oratorem incertum (K. Jander p. 31). Omitto exempla finitionum, apud oratores frequentia, ubi indignationis partes sunt nullae, quando non agitur de vitio virtuti adsimulato. Omnia haec sunt, aliter atque apud Isocratem, dialecticae originis.

exempla hausisse et Aristotele auctore ad artificium generis demonstrativi haud apte accommodavisse.[1])

Theocritus duobus locis (VII 18—19. X 26—27) Platonis vestigia pressisse ita manifestus est, ut sola mentio eius facti sufficere queat. Eodem pertinet locus Lucretianus (IV 1160—1199); quem si Martha (*Le poème de Lucrèce*, 1896, 208) minus recte ex recentiore comoedia Graeca derivat[2]), tamen comicum colorem eius et ipse haud male sensit et qui rectius eum de prima loci origine edocere poterat, Molière, loci Lucretiani imitator. Satis, ut opinor, hoc exemplum, a recentiore comico, originis comicae loci imperito, duobus scriptoribus diversorum generum interpositis, ex ignoto fonte comico petitum, monet historiam litterarum q. v. comparativam non esse studium inutile.

Ceterum (i. e. ubi locus ex Platonis auctoritate non pendet) aetate Alexandrina artificium parum aptum visum est osoribus generis demonstrativi. Revixit apud Asianos oratores. Quorum agmen quoniam, quod ad nostrum propositum pertinet, Gorgias iunior demum aperit, primum dispiciendae sunt sortes figurae in scholis rhetoricis Peripateticorum et Stoicorum. Vetustior doctrina Peripatetica eam figuram soli generi demonstrativo concessit. Qui ad Aristotelem redierunt (Cic. *Part. or.* 22. Nicolaus, *Progymn.* 52, 21—53, 3 Felten. Longinus in *Epitome incerti auctoris* Sp.-H. 211, 18—19, ubi post partes orationis et rhetorices enarratas tria genera dicendi recensentur), locum de vicinitate virtutum et vitiorum tantum in genere demonstrativo collocant. In genere deliberativo invenitur apud Thucydidem (*l. l.*). Stoicam doctrinam qui Romanorum primus, pristina scholae illius severitate, nondum miti Panaeti ingenio soluta, rigidam, scriptis suis expressit, Accium dico, in fabula cui nomen erat *Myrmidones*, egregium deliberativi generis specimen ab Homero in *Iliadis* libro IX illustratum ita versibus latinis retractavit, ut Achillem quid inter per-

---

[1]) Propterea Thalheim, *RE* s. v. *Hypereides*, nimis ipsum Hyperidem castigavit, cum ille potius aetatis suae vitium imitatus esset quam propro ingenio peccasset: „Minder gelang ihm, wo er es anstrebte, das Erhabene: der Ausdruck tritt dann in Gegensatz zu der Einfachheit der Gedanken und sieht darum leicht wie erborgt aus".

[2]) Quam sententiam in favorem epigrammatum aetatis Alexandrinae, sc. eiusdem, h. e. Platonicae originis, non dicam an peius, abdicavit in appendice, p. 383.

vicaciam et pertinaciam interesset dispiciendi studio abreptum faceret contra Antilochi suasoriam hoc acumine orationem concludere: „Tu addis quod vitio est, demis quod laudi datur". Hoc lumine oratorio emicat notissima pugna, in campum moralis philosophiae a Stoicis tracta, quo in campo olim a Sophistis excitata, postea a Peripateticis ad elocutionem adversus Asianos oratores conversa est. Cum enim Peripatetici solutae orationis et poesis saepius hoc unum commune esse statuerent, ut quod hic virtuti esset ibi vitium evaderet, acriter in Asianos oratores invaserunt, ut qui utroque genere confuso virtutibus poeticae elocutionis, simulac in prosam orationem raptae essent, totidem vitiorum opprobria illinerent. Hanc doctrinam repetit Varro in operis *De sermone latino* libro V (Goetz-Schoell 204, 15—16), quod opus, ut etiam similis argumenti scripta vetustiora, ex Peripateticorum doctrina, a Stoicis recepta, pendere videtur.

Ut ad genus deliberativum redeamus, eo in genere locus censetur ab Hermagora (Cic. *De inv.* II 54, 165), Livio (XXII 12, 12), Tacito (*Hist.* I 37), quia genus demonstrativum in scholis rhetoricae civilis neglegebatur, discipuli autem sese praecipue in suasoriis componendis exercebant. Peripatetici iuniores, postquam pluribus auctoribus, quorum memoriam hic excitare non est necesse, adducti genus demonstrativum omiserunt colere, figuras eius, sed multo mitigatas, ad universum contulerunt genus dicendi, quod sensim contra Atticistas etiam, Lysiae admiratores, doctrinam de tribus characteribus styli adiuvantibus maxime Stoicis occupavit. Figuram subdistinctionis, ut nimis sophisticam, omnino ex numero figurarum sustulerunt, tantummodo, et quidem contra cacozeliam Asianorum, sub capite de apte dicendo de illa tractabant (vide infra). Stoici parce ea utebantur in definitione, qua in re omnes fere Romani cum eis consentiunt.

Post characterum styli confusionem etiam ad genera rhetorices tollenda ventum est, eundem in modum ut etiam partes rhetoricae inter rhetoris officia numerari coepta sint. Id ex eo evenit quod in scholis iuvenes ad munera publica suscipienda instituebantur; quapropter genus iudiciale reliqua duo coartare coepit. Ne autem prorsus traditioni obloquerentur, magistri, dum salvam e ruina supellectilem dumtaxat esse volunt, praecepta generis demonstrativi et deliberativi ad quasdam

partes orationis iudicialis transtulerunt et adplicaverunt, imprimis ad exordium et ad narrationem, unde fluxerunt capitula progymnasmatum, ut: de finitione, de amplificatione, de ecphrasi, de ethopoeia. Primum id fecisse Hermagoram vix crediderim. Quamvis rhetorica civilis cum Porticu iuniore nullo certo vinculo cohaereret, tamen res ita comparata erat, ut Peripatetici potius litteras, Stoici iuniores potius officia colerent.

Cicero iuvenis (*De inv.* II 54, 165) contra Hermagorae auctoritatem (cf. *ibd.* I 9, 12) locum de virtutum et vitiorum vicinitate ad genus deliberativum reponit, nescio quem iuniorum secutus, verum exempla *(audacia — fidentia, pertinacia — perseverantia* cf. *Part. or.* 19; *superstitio — religio)* potius dialectice tractat, non tamen ad consilium status finitivi, sed secundum τελικὰ κεφάλαια deliberationis. Quod factum esse a quodam Stoico magistro ideo puto, quia eius tractationis vestigia in scholis Romanis permanserunt, ex. c. Rutilius Lupus (5, 4—16 Halm) post exemplum Gorgiae ex Hyperide affert eius amplificationem a se confectam per definitionem. Ps.-Rufinianus (53, 23—30 Halm) quoque figuram dialectice interpretatur (*similes res discernuntur contrariis redditis)*; sequitur ex proprio ingenio exemplum ineptissimum (Verg. *Ecl.* III 80—83).

In oratione *In Verrem* (V 66) dinoteta efficit figura styli demonstrativi in modum Hyperidis adhibita, quod fortasse Rhodi didicit. Quintilianus (*Inst. or.* VIII 4, 3) hoc ad praecepta ornatus transtulit ex figuris, ipse Peripateticae doctrinae oboediens. Post multos annos Cicero cum in *Part. or.* 22 genus laudativum recenseret, quasi maiore quam Aristotelica severitate etiam ea explodit quae ille, alieno a suo proposito usus arbitrio, admisit. Sed ne prorsus omittat, quae inter praecepta generis laudativi olim tradebantur, utique commemorat, sed ea condicione ut reiciat. Quod ita Stoicum est, ut nisi c. 40 fontem ipse indicavisset, puta mediam Academiam, pro tali etiam haberetur. At vero mallem fistulam pro fonte nominassem. Vitia quae virtutem imitantur, sunt etiam apud eum e studio characterum comicorum hausta.

Genus Asianum cum ipse propere deseruisset, filium tamen in scholam Gorgiae misit, quasi amores iuveniles revirescerent in sene et paeniteret doctrinae nimis festinanter abiuratae, cuius vires ex inopinato crescere coepissent.

Rhetores Asiani omni discrimine inter characteras styli sublato horum figuras, praecipue, contra Peripateticos, generis demonstrativi, ad quodlibet genus dicendi, non solum figuratum, ut illi, sed etiam humile, accommodaverunt, usi auctoritate Hyperidis qui primus talia miscebat. Ideo non est factum casu, ut figura styli demonstrativi illustraretur apud Gorgiam exemplo desumpto ex Hyperide. Hoc videtur derivandum ex pugna adversus Peripateticos et propterea ipso Gorgia vetustius.

Huius certaminis vestigia manent etiam apud Quintilianum [1]) qui postquam Rutilii Lupi (vel Cornelii Celsi) exemplum Graecum attulit, an figura esset dubitavit, quippe quod ex finitione (sec. Stoicos) penderet. Qua ex dubitatione apparet non tam bene Quintilianum de figurarum vanitate in universum iudicavisse (neque enim Stoici permittbant), quam totum illum locum sophisticum inter figuras ne facile admitteret praecavisse, cum illi vel ex Peripati auctoritate locum in praeceptis de ornatu tribueret, vel, ut Stoicae doctrinae assecla, honetius officium definitionis vere philosophicae relinqueret.

Locus Horati (*Serm.* I 3, 41—66) comica exempla exhibet et potest ad Aristotelis Rhetoricam referri. Radermacher (*Ein Nachhall des Aristoteles in römischer Kaiserzeit [Wien. Stud.* XXXVIII 1916, 72—80*]*) de Caecilio Calactino cogitavit, libri *De figuris* auctore. Haec, quantavis Caecilii apud Romanos fuerit auctoritas, vereor ut possit probari ex Peripateticorum [2]) odio adversus διδασκαλίαν, cum ψυχαγωγίᾳ operam darent, atque ex Stoicorum studiis moralis tractationis quae eadem est atque illa qua Horatius utitur. Nimirum, quomodo Cicero senex privatim Asiano generi adoluit, in scripto ad Academiam recurrit, similiter Horatius in carmine humili recentem auram

---

[1]) *Inst. or.* IX 3, 65, ex quo habet ea Isidorus, 518, 29—31 Halm, ex Rutilio Lupo autem *Carmen de figuris* 67, 115—7 Halm.

[2]) Peripateticorum adversus ambages sophisticas et mox cacozeliam Asianam acies, exemplis ex comoedia petitis instructa, in campo litterario explicatur, Stoicorum vero in philosophia populari admissus impetus in vitia blanda saepius cum illa confunditur; utrumque porrigitur per omnia fere scripta Horatiana (*Serm.* I 1, 102—107. 2, 24. 75. 10, 19—70. II 2, 54—55. 3, 280. 7, 41. *Ep.* I 1, 28—43. 6, 16—31. 18, 5. 9. 19, 17. II 2, 194, *Ep. ad Pis.* 31. 267—8).

popularem secutus est, et simul, more Romanorum, auctoritate extra certamen huius temporis posita, proprio Marte neque Caecilio duce, sese tutatus est. Saepius talia Romani, ne Graecos sui temporis aemulari cogerentur, fecerunt.

Vides severiores quoque saeculum sequi, sed qua honestius possint. Interim Gorgiae iunioris ars, quam mox Rutilius Lupus latine interpretaturus erat, magis magisque Romae invalescebat, atque renovato a Gorgia schemate illo subdistinctionis, teste Livio XXII 12, 12, *pessima ars nimis prosperis multorum successibus crevit.*

Ovidius, schematum dianoeas (male enim apud Gorgiam παραδιαστολή schematibus lexeos adnumeratur) egregius amator, etiam illam figuram bis (*Ars Am.* II 657—662. *Rem. am.* 323—330) illustravit (nihil affert notula C. Prinzii, *Zu Ovids Ars am. II 662 und Rem. am. 323 f.* [*Wien. Stud.* XL 1918, 90—92]).

Ab aetate Tiberiana figurae sententiae semper felicius percrebrescunt. Cornelius Celsus nostram *prope supra modum invasit* (Quintil. *Inst. or.* III 7, 25), i. e. in modum Asianorum.

Simul videtur in rhetorica Stoicorum pugna coorta esse adversus nimiam huius figurae potentiam. Ut Thucydides et qui illum secuti sunt, Isocrates Accius Cicero Livius, figuram colore indignationis obleverunt, ut alii (Hyperides, Horatius) notam Aristotelicam consulto schemati illi inusserunt ut magna eius nominis sanctimonia quasi purgarentur, sic Peripatetici ad caput de apte dicendo schema Asianum relegaverunt, sic etiam Stoici (ut iam prius dialectici, apud quos posuerunt rudimenta Aeschines, Demosthenes) ad definitionem, dummodo sibi maneret potestas usurpandae huius adeo in arte inveteratae et nuper aura populari afflatae figurae sententiae.

Atque Seneca iunior (dum pater ῥητορικώτερα sequitur *Contr.* VII, praef. 5), eandem quam mox Quintilianus rationem amplexus, locum de vitiis virtutes imitantibus in definitione (*De clem.* I 3, 1) posuit. Non solum hac in re, sed etiam ipsa loci tractatione a partibus honestioris philosophiae (cf. *Herc. F.* 251—2) stetit, neque vitia cum virtutibus confundi agnovit; momentis tamen quaedam grata et ingrata esse concessit Theodoreis libri *De benef.* I, c. 42.

Honestissimus omnium Quintilianus ad Aristotelem redire Cicerone duce maluit. Aristoteles semel tantum ex propria

auctoritate sophisticae inventioni cessit, sed eo modo, ut, psychologica ratione ductus, affectibus qui plerumque nocivi videntur, ex. c. ira, salubrem in vita efficacitatem nonnunquam tribueret. Idem observavit Quintilianus de ambitione (*Inst. or.* I 2, 22). Ubi vero Aristoteles sophistarum artificio plane assensus est, sc. in genere demonstrativo, Quintilianus sententiam eius eatenus valere concessit, si orator qui simul vir bonus esset, communi utilitate duceretur. Stoica et haec esse patet et illa, iam laudata (*Inst. or.* IX 3, 65 exscr. Isidor. Hispal. *De origin.* p. 518, n. 9), ubi figuram Asianam παραδιαστολῆς dubitanter (quippe qui separatim doctrinam de figuris recenseret) figuris adnumeravit, quamvis intellegeret eam t o t a m (sine ulla igitur dubitatione) pendere ex finitione. Sub capite de cyriologia (*Inst. or.* XI 1 90) iterum Aristotelis vestigia premit, qui (*Rhet.* p. 1404 b 25—1405 a 2) homonymiam sophista solum esse dignam censuit quod in hoc artificio maxime malitiam suam exercuissent (παρὰ ταύτας γὰρ κακουργεῖ). Sed enim ὀρθότης in dicendo apud Quintilianum potius ad τὸ πρέπον accedit quam dialecticam Aristotelis redolet. Quintiliani verba: *Verborum etiam moderatione detrahi solet, si qua est rei invidia*, reddunt graecum titulum περὶ λέξεως ἀνεπαχθοῦς. Eiusdem generis sunt quae apud Plutarchum *De Herodoti malign.* 855 B leguntur, ubi etiam Radermacher vidit locum esse non dialectice, sed ἠθικῶς tractatum. Ad certa tempora si origo est referenda, prima eius tractationis semina apud Demetrium *De elocutione* et Dionysium Hal. apparent, redeunt apud Lucianum. Utique apparet contra cacozeliam Asianam haec (sc. περὶ τοῦ πρέποντος κατὰ τόπον πραγματικὸν καὶ λεκτικόν; de apto; tum etiam in ethopoeia) esse prolata, igitur Aristotele posteriora. Hoc loco Quintilianus figuram παραδιαστολῆς ad genus iudiciale (i. e. refutationis; quod denuo Stoicum est, immo etiam Rhodium, si mavis, Aeschineum, Demosthenicum, traducit, propterea characteras idoneos deligit.

Caeterum (*Inst. or.* I 12, 4. VIII 3, 7. X 2, 16) loco hoc utitur tamquam instrumento refutandae cacozeliae Asianae (ut iam auctor *Ad Her.* IV 10, 15), dum propriis eorum armis castra invadit. Exempla ubique habet ex comoedia. Ubi tamen de figuris agitur (ex. c. *Inst. or.* I 5, 5), iterum vitiis quandam partem virtutis, in hoc quidem Lycei alumnus, concedit.

Sub capite de amplificatione Quintilianus (*Inst. or.* VIII

4, 1) speciem amplificandi (vel minuendi) in ipso rei nomine [1]) exemplo ex Ciceronis or. *In Verr.* V 66 allato illustrat. Posteriores hanc speciem aliter collocaverunt, ut ex Iulii Severiani *Praeceptis Artis Rh.* (368, 29—369, 5 Halm) cognoscimus, ubi status finitivi haec vere esse quis non videt [2]), item ex Doxopatri *Homiliis in Aphthonium* (II 525, 15—17 W.) qui recte perspexit locum de augendo vel minuendo in ipso nomine ex ethopoeia esse secernendum. Haec autem esse Stoica recentiora claret. Vetustiora, et quidem Peripati, vestigia sequitur Nicolaus (*Progymn.* 52, 21—53, 3 Felten) qui sub capite de laudatione et vituperatione figuram παραδιαστολῆς exemplis vetustissimis (i. e. bellicis) instruit. Similiter Quintilianus *Inst. or.* IV 2, 76—77, ut (contra Theodoreos) necessariam esse in statu qualitatis narrationem defensoris probet, ne eadem prorsus narrentur, similibus verbis contraria narranda sive potius suadenda censet (exempla, Aristotelica, repetita apud C. Iulium Vict. p. 425, 20—21 Halm, item sub narratione). Num hic de Cornelio Celso, ut Radermacher vult, cogitandum sit, vehementer dubito, quia locus ipse vetustior est Horatio et Ovidio, usurpatus autem videtur esse novissime a partibus Peripati contra nimium Stoicos. Quae cum ita sint, priusquam scholae accuratius in historia rhetoricae distinguantur, odiosum est singula nomina proferre.

Ultimus, quod sciam, Tacitus (*Hist.* I 37. 52) locum a parte philosophiae moralis tractavit, virtutes contra vitia similia tutatus. Insigne est quod ambo loci in *Historiis*, opere, si quod aliud, epidictico, obveniunt (locus prior in oratione ab Othone ad milites habita; cf. Livium *l. l.*). Adde quod Tacitus figurarum sententiae ultimus artifex exstitit.

Peripateticorum iudicia de decore poetico apud prosae orationis scriptores vitioso renovat Martianus Capella III 326 Dick. Ex scriptoribus Christianis solus Augustinus locum bis adhibuit (*De civ. Dei* XIV 9, 3. *C. Faust.* XXII 18), sed utroque

---

[1]) Quae sunt recentiora tractationis κεφάλαια κατὰ τόπον πραγματικὸν καὶ λεκτικόν, congesta sine discrimine statuum, i. e. contra Theodoreos, sub capite de ornatu; etenim δείνωσιν non solum ad statum qualitatis spectare ipsis artis oratoriae monumentis edocemur.

[2]) Aliis rationibus adductus post Reitzensteinium Iust. Woehrer, *De A. Cornelii Celsi rhetorica.* Diss. Philol. Vindob. VII 1903 p. 121 non ex Quintiliano sed ex Celso mutuatum haec esse Iulium Severianum coniecit.

loco tantummodo ad Senecae scripti *De clem.* prooemium alludere videtur.

Post litteras renatas quidam recordati sunt vetus artificium. Euricius Cordus (*Epigr.* III 84, 7—8) videtur Livium vel Tacitum imitari, ipsos Thucydidis sectatores. Morus (in *Utopia*, ed. Michels-Ziegler 1895, 52) antiquum lusum in speciem allegorici ludi mediaevalis conformavit. Nostras Stan. Heraclius Lubomirski in opere q. i. *Dialogus Artaxerxis et Evandri* (lingua vernacula), excuso primum a. 1683, ex nostro more, longissima exemplorum catena locum amplificavit, summa cum indignatione.

Saeculo romanticorum Goethe (*Opera*, Stuttg. 1849, XI 8, 7) Thucydidis invectivam in confusionem notionum moralium redintegravit. Multo gravius Niebuhr (*R. G.* V 1845 Schmitz-Zeiss II 176) eam rationem psychologicam, qua iam Aristoteles et Quintilianus usi erant, amplexus, virtutes quae momentum vitae perdidissent neque vere u t i l e s essent, cum sepulchris, vermium veneficorum refugiis, comparavit.

ARCHIMEDIS *DE SPHAER. ET CYL.* I 21

Apud Archimedem l. l. (Heib.[2] I 86, 10) legitur: εὐθεῖαι ἐπιζευγνύουσαι τὰς πλευρὰς τοῦ πολυγώνου..., quod editor Latine vertit: *rectae angulos polygoni coniungentes* atque hoc adnotavit: *Archimedes pro* πλευρὰς *lin. 10 fortasse scripserat* γωνίας.

Equidem puto nihil mutandum esse, quia Archimedes vocabula, quae *rectas* singnificant, duabus notionibus usurpat et *longitudinis* rectae et *finis* rectae notione. Iam in sequenti propositione (I 22; Heib. 88, 21 sq.) legimus: τὸν αὐτὸν λόγον... ὃν ἡ ἀπὸ τῆς διαμέτρου τοῦ κύκλου ἐπὶ τὴν πλευρὰν τοῦ πολυγώνου ἐπιζευγνυμένη πρὸς τὴν τοῦ πολυγώνου πλευράν *eandem rationem, quam recta a diametro circuli ad latus polygoni ducta ad latus polygoni*, ubi verba ἀπὸ τῆς διαμέτρου idem valent atque *a fine diametri*, et verba ἐπὶ τὴν πλευράν *ad finem lateris*.

M. A.

STUDIA PAPYROLOGICA

scripsit
GEORGIUS MANTEUFFEL

I. De Maximi visione.

Inscriptio quaedam Romanae aetatis metrica Talmi (nunc *Kalabscheh*) in vico Nubiae in templi pariete picta legitur, quae neque in *Inscriptionum Corpore* neque in Lepsii *Tabulis* continetur. Quod carmen ἀκροστίχιον e sotadeis liberiore arte compositis[1]) versibusque elegiaco hexametroque sub finem additis constans primum a Mahaffyo cum Buryi notis editum est (*Bulletin de Correspondence Hellénique* XVIII 1894, 154). Novam eius lectionem una cum Weilio in ephemeride dedit Sayce (*Revue des Études grecques* VII 1894, 284). Deinde brevi spatio interiecto hoc de carmine post Ervinum Rohde (*Philologus* LIV 1895, 11) Kaibel egit (*Sitzungsberichte d. Preuss. Akad.* 1895, 781), cui novam totius carminis recensionem egregiis cum comnentariis debemus.

Quae disputationes cum ad argumentum adumbrandum litterarumque errores emendandos haud parum attulerint, solummodo pauca ex papyris, lapidibus litterarumque monumentis quae ad carmen interpretandum faciant, hoc loco mihi addere liceat.

Opusculum Maximi — id enim auctoris nomen — verborum ob consecutionem parum dilucidam difficilius est intellectu: huc accedit metrum insolitum nec non acrostichii[2]) concipiendi difficultas. Locutiones quoque colore orientali saepius inficiuntur et ne dei quidem subsidio vera λέξις ἑλληνική restitui potest.

Ac revera, quid ille sibi proposuerit, non est effectu facile: carmen scilicet poetae in animo nascens describere, rem prope singularem ac divinam caelesti quodam mentis instinctu

[1]) Cetera huius metri exempla Crönert, Rheinisches Museum LXIV 1909, 445 sq. affert; cf. etiam I. U. Powell, Collectanea Alexandrina, Oxonii 1925, 184.

[2]) Acrostichii Μαξίμος Δεκουρίων ἔγραψα v. 1—22 continentis versu paenultimo mentio fit, quo facilius autem lectoris oculos in se convertat litteris ex initialibus composita paragrapho singula verba distinguuntur. Hanc artem popularem in Aegypto fuisse ceteris inscriptionibus confirmatur, cf. Moschionis tabulam votivam (Puchstein, Epigrammata graeca in Aegypto reperta, Diss. 1880, 9, I B), ubi litterae initiales bis scriptae occurrunt. Acrostichion alia quadam ratione, ex primis scilicet syllabis compositum, in epigrammate Philarum ex insula servato legitur cf. Kaib. 979 = CIG III 4924 b.

explicare conatur. Hac in re immo proprius ex ipsoque natus est Maximus, quem in ceteris temporis sui opinionibus subiectum esse demonstrari potest.

Quid ergo novi opus eius praestitit? Cum sceleris igitur purus ad locum desertum pervenisset, ingenio proprio voluntateque divina commotus versus componere coepit (v. 1—6):

μακάριον ὅτ' ἔβην ἠρεμίας τόπον ἐσαθρῆσαι,
ἀέρι τὸ ποθεινὸν ψυχῆς πνεῦμα ἐπανεῖναι,
- ξένα μοι βιοτὴ περὶ φρένα πάντοθεν ἐδονεῖτο
ἴστορα κακίης ἐμαυτὸν οὐκ ἔχων ἔλεγχον-
μύστην τότε κίκλησκε φύσις πόνον γεωργεῖν
ὁ σοφὸς τότ' ἐγὼ ποικίλον ἥρμοζον ἀοιδήν.

Cuius ex ingenio poetico res non ingrata immortalibus nascitur. Ac somno quidem sopitus Nili ad ripam visione transportatur. Musis sororibus comitata ipsa quidem Calliope ibi cantabat (Kaibel, *l. c.* 785).

Tunc animo Graio inflammatus suum opus conficit. At numen subsidio ei veniens ad poëma sanctum pangendum impulit (v. 22—24):

Ἀρχὴ δὲ μ' ἐκλῆζετο τὸ σοφὸν ποίημα λέξαι[1]),
λαμπρὸς τότε Μάνδουλις ἔβη μέγας ἀπ' Ὀλύμπου...

Paucis versibus post hymnus ille quattuor ex hexametris compositus sequitur. Parte autem extrema carmen iussu divino inscriptum esse discimus.

Quod poëmation saeculo primo exeunti vel alteri potius attribuendum esse videtur (Kaibel *l. c.* 782). Haec autem religio-

[1]) Hoc de versu multum docti disseruerunt. Mahaffyi in transcriptione (idem Sayce quoque legit) haec perspiciuntur: ΑΡΧΗΔΕΜ'ΕΚΛΗΖΕΠΟΣ ΤΟΣΟΦΟΝΠΟΙΗΜΑΔΕΞΑΙ, quam lectionem intellectu carere inter omnes constat: ac vera quidem lectio nondum inventa est. In Buryi interpretatione ΠΟΣ simpliciter omittitur litteraque Ν metri causa addita sic scriptum est: ἔκλῃζεν τὸ σοφόν... ut iam alia ab eo mutata praetermittam. Weil deinde ΕΠΟΣ in ἐπί mutavit quo facto versus sane evadit integer: verum quomodo errorem explices? Rohde versum corruptum reliquit: ἀρχὴ δὲ μ'ἔκλῃζέν πως, vel τις, vel τότε, vocabulum autem ἀρχή idem ac δύναμις significare censet. Kaibel denique apodosin v. 23 indicat, qua ex re protas hoc versu restituenda ei videtur; loco ἔπος — ἐπί scripsit. Ἀρχῇ casu dativo scribendum esse putat, sed praepositio omissa explicari nequit, quam ob rem accusativum casum in adnotatione proposuit: ἀρχὴν δὲ μ'ἔκλῃξ' ὅτε... versus autem corruptus relinquitur. — Mihi vero hic locus medelae capax esse videtur, dummodo peculiarem verbi usum subesse conicias, formam scilicet medialem pro activa usurpatam, id quod illis temporibus saepius usu venit, cf. E. Mayser, Grammatik der grie-

nis crescentis tempora fuerunt, ubi prompto animo miro dei adventui fides tribuebatur. Deus potestatem suam vel in somniis, vel in visione mortalibus ostendens, voluntatem divinam praenuntiabat. Tum etiam variis miraculis numen ostenditur, quibus peractis animi stupore religioneque afficiebantur. Ac gravi quidem morbo aegroti, sanationis mirificae spe incitati ad oracula festinabant et salute recuperata pio ex animo dona templis offerebant. Auctus est quoque eorum numerus, qui omnino non ex sola visendi cupiditate[1]) ad loca sacra migrabant, sed simulacro dei adorato pro sua suorumque salute vota suscipiebant. Cuius religionis[2]) et hymni et multa proscynemata ad nostram usque aetatem in lapidibus servata testimonio sunt. Huius religiositatis hoc quoque carmen esse documentum apparet.

Tria sunt huic carmini cum quibusdam illius temporis libris communia. Ac primum quidem opus iussu divino evidenter concipitur, ingenium deinde et virtus in scribendo deo debetur, laudatio denique divina ex sententia inscribitur, ne alii virtutes dei ignorent.

Quae tria dispersa saepius in lapidibus litterarumque monumentis scripta inveniuntur, in primis autem Aelii Aristidis in orationibus et in fragmento quodam papyraceo nunc a Grenfellio et Huntio in *Papyrorum Oxyrhynchicarum* t. XI 1915 edito et libri Imuthis-Asclepii laudationis prooemium continenti.

---

chischen Papyri, II Satzlehre, Berlin 1926, 109 et 112; Moulton, A Grammar of New Testament Greek[3], I 1919, 158. Error quidem explicatu non est difficilis: falsam enim emendationem dittographiae simulatae hic habemus, errores autem ipsa ex dittographia orti bis hoc in carmine occurrunt, scilicet v. 15 et 20. Ἀρχή vox cum Rhodeo ut *numen*, *vis divina* δύναμις interpretari velim; cf. Aristides II 382, 24 K.: τὸ δὲ θεῖον ἐνεργέστερον ἐφαίνητο. Pap. Oxy. XI 1381, 94; ἐφαίνετο μὲν τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος.

[1]) cf. Wilcken, Chrestomathie der Papyruskunde, Nr. 117 = Pap. Lond. III 854 p. 206.

[2]) Ad hoc et superiora pauca exempla affero: IG XI 1299, 29 (Deli): ἐπαινοῦμεν τοὺς θεοὺς ἀξίαν χάριν ἀποδιδόντες; Isyllus Epidaurius (Anthol. Lyr. VI 286 Diehl) 78: ταῦτά τοι, ὦ μέγ' ἄριστε θεῶν ἀνέθηκεν Ἴσυλλος τιμῶν σὴν ἀρετήν, ὦναξ, ὥσπερ τὸ δίκαιον; Wilcken, Chrestomathie Nr. 116, 2 (Talmi): Σέβου τὸ θεῖον. θύε πᾶσιν τοῖς θεοῖς, ἐφ' ἕκαστον ἱερὸν ἐπιπορεύου προσκυνῶν.

A primo igitur incipiamus, scil. a iussu divino. Nonnullae ex Aelii Aristidis orationibus Asclepii auctoritate conceptae sunt, quibus grata beneficiorum memoria virtus dei praedicatur [1]). II 125, 2 K. ὁ γὰρ Ἀσκληπιὸς κελεύει λέγειν, cf. II 468, 2 K. et nostrum carmen v. 22: Ἀρχὴ δὲ μ' ἐκλήζετο τὸ σοφὸν ποίημα λέξαι. — Interdum etiam carmen poscitur: II 438, 31 K. Ἐνῆγεν δέ με καὶ πρὸς τὴν τῶν μελῶν ποίησιν. ἀρχὴ μὲν οὖν τις ἐγένετο ἐν Ῥώμῃ ἐξ Ἀπόλλωνος. ἦλθε γάρ μοι ἐνύπνιον φράζον τόν τε παιᾶνα ὡς δέον ποιῆσαι τῷ θεῷ καὶ ἅμα τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ, καὶ εἶχεν οὕτω πως· φορμίγγων ἄνακτα παιᾶνα κλήϊσω. Ac similiter *Onirocritica* quidem Artemidori Apollinis in praesentia conscripta sunt (II 70 p. 168 Herch.): Θεὸν ἐπόπτην καὶ φύλακα πάντων νομίζων τὸν Ἀπόλλωνα ᾧ πειθόμενος ἐγὼ πατρῴῳ ὄντι θεῷ εἰς τήνδε τὴν πραγματείαν παρῆλθον, πολλάκις με προτρεψαμένῳ, μάλιστα δὲ νῦν ἐναργῶς ἐπιστάντι μοι, ἡνίκα σοι ἐγνωρίσθην, καὶ μονονουχὶ κελεύσαντι ταῦτα συγγράψαι. — Et Imuthis-Asclepii laudationis scriptor, cuius fragmentum Oxyrhynchi servatum est *(Pap. Oxy.* XI 1381*)*, scripturae sacrae lingua ex Aegyptiaca versionem ingressus difficultate tamen absterritus, opus imperfectum reliquit. Quam ob intermissionem morbo gravi afflicto in somnis deus adstitit atque ad munus perficiendum impulit, saluteque recuperata liber conscribitur (v. 160): Ἐπεὶ δ' ἅπαξ ἐπέγνωκει[ς] με [ἀ]μελεῖν, δέσποτα, τῆς θεί[α]ς βίβλου, τὴν σὴν ἐπικαλεσάμενος πρόνοιαν καὶ πληρωθεὶς τῆς σῆς θε[ι]ότητος ἐπὶ τὸν τῆς ἱστορία[ς] ὥρμησα θεήλατον ἄθλον.

Haec tamen hactenus. Olympo porro demissus, quo melius virtus dei praedicetur, Mandulis Maximi sermonem subtiliorem fecit (v. 24):

> Θέλων βαρβαρικὴν λέξιν ἀπ' Αἰθιόπων
> καὶ γλυκερὰν ἔσπευσεν ἐφ' Ἑλλάδα μοῦσαν ἀεῖσαι.

Apud temporis illius scriptores similia invenies: ita Aelius Aristides eloquentiam per deum assecutum se esse testatur (II 337, 12 K.): Ἐμοὶ γάρ, ὦ δέσποτα Ἀσκληπιέ, πολλὰ καὶ παντοῖα, ὥσπερ ὑπεῖπον, παρὰ σοῦ καὶ τῆς σῆς φιλανθρωπίας γεγένηται, μέγιστον δὲ καὶ πλείστης χάριτος ἄξιον, καὶ σχεδὸν ὡς εἰπεῖν οἰκειότατον οἱ λόγοι... προὔτρεψάς τε γὰρ αὐτὸς ἐπ' αὐτούς... Simili modo professus est *Laudationis* auctor anonymus (186): τῇ γ[ὰ]ρ σῇ θειότητι [το]ιαύτῃ ἁρμόζει γραφή (cf. v. 163).

[1]) cf. O. Weinreich, Antike Heilungswunder. Untersuchungen zum Wunderglauben der Griechen ud Römer [RVV VIII 1], Giessen 1909, 4 sq.

Saepissime autem usu venit, ut opus, quo dei virtutes celebrantur, eodem auctore inscribatur, ne eius beneficia ceteris ignota sint. Quae cum multotiens occurrant, pauca modo comparationis instituendae gratia afferre satis habeo. Omnibus nota Sarapidis Deli ex insula aretalogia deo auctore inscripta esse versu statim primo praedicatur (IG XI 4, 1299): ὁ ἱερεὺς Ἀπολλώνιος ἀνέγραψεν κατὰ πρόσταγμα τοῦ θεοῦ. Cf. etiam Dittenbergeri *Syll.*[3] 1172, 9: [ἰδοῦσαν] δέ με πλείονας ἀρετὰ[ς τοῦ θεοῦ καθ' ὕπ]νον [ἀν]αγράφειν ὁ θεὸ[ς ἐκέλευσε τὰς ὄψ]εις (plura exempla congessit Weinreich p. 7 n. 1). Ac parte quidem carminis extrema similis Maximi professio continetur (v. 33):

καὶ τάδε σοι στείχοντα χαράσσειν μ' αὐτὸς ἔλεξας.
καὶ σοφὰ γράμματα πᾶσιν ἀθωπεύτως ἐσοράσθαι.

Idem fere apud Anonymum legitur (v. 198): Ἑλλην[ί]ς δὲ π[ᾶ]σα γλῶσσα τὴν σὴν λαλήσε[ι] ἱστορίαν.

Sed disputandi finem faciamus. Auctores, quorum sententiae supra attuli, divino ex beneficio salutem suam recuperaverant. Ac numen quidem cum dona ei promissa essent, ad miraculum saepius promptum se praestitit. Donis templa illis temporibus plena fuerunt, ut celeberrimum Herondae locum afferam (IV 19 sq.), ubi dona votiva Asclepio sacrificata mulieres contemplantes summa afficiuntur admiratione.

Tabulae votivae haud raro etiam epigrammatis ornabantur, quorum magna pars vel in lapidibus vel in *Anthologia Palatina* ad nostram aetatem pervenit. Nonnunquam vero arte genuina conficiebantur, velut Moschionis illa, ubi sententiae Ὀσίριδι Μοσχίων ὑγιασθεὶς τὸν πόδα ἰατρείας litterae ita in area dispositae sunt, ut omnes in partes eodem modo legi possent.

Talibus autem rebus homunculi sane contenti erant, cum scriptores alio quodam modo gratias agerent, librum scil. divinitati dicantes (cf. *Pap. Oxy.* 1381, 191 [πᾶ]σα γὰρ [ἀ]ναθήματος ἥ[θ]ουσίας ὀ[ω]ρεὰ τὸν παραυτ[ί]κα μ[ό]ν[ο]ν ἀκμάζει καιρ]όν, ἐφθάρται δὲ τὸν μέλλοντα, γραφὴ δὲ ἀθάνατος. χάρ[ι]ς κατὰ καιρὸν ἀναβάσκ[ο]υσα τ[ὴ]ν μνήμην).

Ita Aelius Aristides auctoritate divina commotus orationes suas sacras conscripsit, ab eodem quoque profectus est Anonymus noster, Aristarchus autem tragoedus opus suum Asclepio dedicasse fertur (cf. Weinreich p. 6 sq. et Welcker, *Griech. Trag.* III 932). Demetrius pariter Phalereus in Sarapidis hono-

rem carmen composuit (Diog. La. V 76), ut Isyllus Apollini hymnum Epidauri (Diehl, *Anthol. Lyr.* VI 283). Plura alia eiusdem generis exempla invenies.

Quae cum ita sint, etiam Maximi opus, utut parvum nobis ac mediocre videatur, eadem ratione explicandum est. Quod fuerit dei beneficium, ignoramus — sanatio fortasse — nam ceteris in hymnis eiusdem dei in honorem compositis[1]) Mandules graece Apollo appellatur. Licet, inquam, opus eius exiguum sit et ceteris hymnis vix ulla re praestet, tamen propter auctoris laborem dignum est, quod posteris legatur (v. 21):

ψόγον ἀλλοτρίοις ἤθεσιν ἀπολιπὼν ἄθηλον.

Quod vero gravius mihi videtur, quae apud solos scriptores inventa legebantur in posterum etiam inscripta legentur.

II. De Sarapidis aretalogiae fragmento Berolinensi.

Fragmentum collectionis Berolinensis papyraceum, quo Sarapidis quaedam aretalogia versu phalaeceo scripta continetur, Adam Abt edidit (*Archiv für Religionswissenschaft* XVIII 1915, 257). Quam aretalogiam nonnullis Schubartii lectionibus additis de Wilamowitz-Moellendorff (*Griech. Verskunst*, Berlin 1921, 137 p. II: *De versu phalaeceo*) retractavit. Hoc quoque fragmentum Weinreich in suo de Sarapide libro[2]) respexit. Neque cuiquam adhuc contigit, ut papyrum recte perlegeret. Quam ob rem egregia imagine photographica benigne mihi a Schubartio procurata usus denuo ipsam papyrum inspexi et primo conatu repulsus scripturam cum saepius examinarem nonnullas in legendo difficultates superavi ac recensionem emendatiorem proponere animum induxi: Schubart qua est in me benevolentia lectiones meas in ipso exemplari examinavit nimiumque in coniecturas propensum moderatus est: pro quibus debitas ipsi persolvo grates. Cum autem interpretationes

[1]) 1° Puchstein Nr. 28 = Kaib. 1023, 2° Preisigke, Sammelbuch griech. Urkunden aus Aegypten I 4127.

[2]) O. Weinreich, Neue Urkunden zur Sarapisreligion [Samml. Gemeinverständlicher Vorträge und Schriften aus dem Gebiet der Theologie und Religionsgeschichte Nr. 86], Tübingen 1919, 12; cf. etiam W. Schubart, Einführung in die Papyruskunde, Berlin 1918, 158; Boll, Sokrates 1917, 3; Koerte, Archiv für Pap. VII 140 et Bell, Journal of Egypt. Arch. VI 2, 121.

a viris doctis propositae, quas inter Weinreichii ut acutam et elegantem honoris causa nomino, non omni ex parte approbari possint, nova recensione nisus fabulae contextum sum dilucidaturus.

Papyrus una ex parte exercitata est conscripta manu, non sine ratione a doctis saeculo III p. Chr. n. attributa, ex altera caput humanum rudi arte pictum exhibet. Hanc imaginem ad fabulam pertinere et primam voluminis σελίδα effecisse Abtius arbitratus est. Qui fragmentum subtilius tractavit Wilamowitz imaginem nihil ad rem pertinere ratus volumine scisso a manu otiosa exaratam esse rectius affirmabat, cui opinioni assentiendum esse puto. Sed ut ipsum argumentum examinandum aggrediamur, paginam integram lectori propono:

[.....]των ὁ Σάραπίς ἐστι Σωτήρ'.
[ὧς μὲ]ν τῷ Λιβυκῷ φράσας ἀπέστη[ν,
[τὴν δύνα]μιν δ'ἔχομεν τ[οῦ] προρεθέ[ντος,
καὶ τοῦ [τὸ] δακτυλείδιν ἐπικρατοῦν[τος·
τοῦ χρησμοῦ δὲ τὸ τέρμα τοῦ πέννητ[ος.
'ἀπὸ τῆς γὰρ αὔριον Λίβυς τις ἀνήρ
πάσχει νόσον ξένην δι' ἣς σὲ σώζω'.
οὗτος δ'ἦν ὁ Λίβυς, ὃν ὁ θεὸς εἶπεν,
κοινὴν συναστρίαν ἔχων ἐκείν[ῳ.
τῇ νυκτὶ παραφανεὶς ὁ θεὸς ἔλεξε·
'τῆς μοίρας ἀπέχεις, Θράσων, τὸ τέρμ[α],
ο]ὐχ' ὡς ἤθελε Μοῖρα, παρὰ δὲ Μοῖρα[ν,
[τὰς] Μοίρας γὰρ ἐγὼ μεταμφιάζω.
[ἀνέγ]ειρε δ'αὔριον μετὰ δὲ τετάρτην,
[μέθυε] καὶ πρόπειε πολὺ παραμείν[ας,
[μηδὲν] γευσάμενος, μόνον ἄκρατον
[τρυγί]ας ἐκ δοχοῦ, μετὰ δὲ τὸ πείνε[ιν
[ἐκ τῆς συ]ντυχίας βαλὼν κάθευ<δ>ε,
[ἐπεὶ στ]υγνὸν δ'ἐγὼ σ'ἀποθεραπεύσω,
[ὁ Λίβυ]ς δὲ τοῦ πόνου πεῖραν [ὅ]λως σχῇ'.
[π]ει[θὼ]ν ἀνίσταται, λαβὼν ἐμπείνειν,
ὁ δὲ νῆστις ἀναμένει θεῷ κελευσθείς,

ὥραν λαχεῖς, ἐκεῖνος ἦν ἐτάχθη.
οὗτος δὲ μὴ τραφεὶς μένει κραταιῶς,
[πεί]νει δ' οὗτος ἀκέραστα καὶ μεθύει
[ὥραν ἐλθ]οῦσαν δ' ὑπομένει σοῦσθ[αι,
[πίπ]τει δ' οὗτος ἐκεῖ καρηβ[αρήσας...

1 των: fortasse [τῶν πι]στῶν // 2 [ὥς μέ]ν / ἀπέστη[ν supplevi — 3 [.....] ΜΙΝΔΕΧΟΜΕΝΤ[..]ΠΡΟΡΕΘΕ [....] Pap., legi: ΜΙΝΔΕΧΟΜΕΝΠΙ [..] ΤΡΟΙΕΩ (vel ΠΡΟΙΕΘ) Schub.: ...../.... δεχομεν.... προρε]Abt: /../...../.... δεχομεν π.προσε.]Wil. — 4 τ[ὸ] suppl. Wil. / δακτυλείδιν Pap. pro δακτυλίδιον; metri causa recepi. — ΕΠΙΚΡΑΤΟΥΝ[Pap., legi: ενκρατουν[Abt: κρατοῦν[τος] Wil. — 5 πέντη[ος] suppl. Abt. — 7 σώζω: σω super lineam scriptum Pap. — 11 Μοίρας: μοιρης Pap. — 11—14 suppl. Abt. — 14]ΕΙΡΕ Pap.; supplevi cf. Abt: [....]. ρε Wil. — 15 μέθυε suppl. Wil./ προ (lit. del.) πειε Pap. — 16 μηδέν suppl. Wil. — 17 [τρυγί]ας ἐκ δογοῦ legi et correxi: [.....] ΛΣΕΞΣ (lit. Σ, [non A] deleta). ΔΟΧΟΥ Pap.: ....]ς ἐξ ἀδόλου Abt: [χότρ]ας ἑξαδόγου Wil.—πείνε[ιν] suppl. Abt. — 18 [ἐκ τῆς συ]ντυχίας suppl. Wil. — κάθευ<δ>ε corr. Abt: ΚΑΘΕΥΕ Pap. — 19 [ἐπεὶ στ]υγνόν legi et suppl.: [.....]ΓΓΝΟΝ Pap., .../. ΕΝΟΝ Abt, [κοιμώμ]ενον Wil. — 20 [ὁ Λίβυ]ς supplevi: .....Abt, [.....] Wil. — τοῦ πόνου legi: τοῦτον, οὗ Abt, τοῦτον ου πειρεν Wil. — πεῖραν corr. Abt: ΠΕΙΡΕΝ Pap. — [ὅ]λως suppl. Abt [.]ΛΩΣ Pap. — σχῇ legi: σχῇ[ς Abt — 21 [π]ει[θών] legi et suppl. [.]ΕΙ[..]Ν Pap.: ./../ ../ν Abt, [ὁ Θράσω]ν Wil. — ἐμπείνειν legi: τὸ πείνειν Abt, Wil. — 22 νῆστις Schub. Wil. — 23 λαχεῖς legi: λ.... Abt, λαβ[ὼ]ν Wil. — 25 [πεί]νει suppl. Wil. —ἀκέραστα legi: Pap. ΑΚΕΡΑΣΤΑ, ἄκρατα Abt, Wil. — 26 [ὥραν ἐλθ/οῦσαν supplevi — σοῦσθ[αι legi et supplevi: ΣΟΥΣΘ[..] Pap., οὑτ[ος (?) Schub. (hiatus!), ...Wil., ·γε[.... Abt — 27 καρηβ[αρήσας Wil.

Addo versionem quam non inutilem fore duco:

Sarapis [...] est Salvator, [*prout*] Libyco profatus abscessi, nobis autem rerum futurum (potestas) eiusque, qui anulum imperio tenet, [*virtus*] est. // ac sors quidem pauperis hoc ab oraculo pendet: „*Vir quidam Libycus*

morbo miro die ex postera affligitur, ex quo te libero". hic autem fuit vir Lybicus quem deus commemoraverat, eadem (scilicet) constellatione cum illo natus. // ac noctu (quidem) deus se ostendens: „Thraso, inquit, fati potestatis exitum habes, non secundum Fortunam, sed contra sortem, nam sortes ego vestimenti instar permuto, horam post quartam cras expergiscere, // [*vino te compleas*] ac per longum bibe tempus; cibo [*abstinens*] meracum tantummodo bibe ex vase [*mustum*] continente, somnum cape ubicumque decumbens ac ego quidem miserum [*deinde*] te sanum faciam, // [*Libycus*] autem morbum penitus usu cognitam habeat". qui dicto audiens vino se onerat, hic vero dei ex iussu ieiunat exspectans horam quam (deus) consignaverat, hic non retro versus fortiter manens exspectat, hic merum bibit et inebriatur // [*horamque venientem*] (salvationis) sustinet, hicque cadit capitis dolore afflictus...

Commentarius:

3. τ[οῦ] προρεθέ[ντος l. προῤῥηθέντος scriptum esse censeo. Ac verbi quidem ἐρῶ aoristus ἐῤῥέθην nonnunquam pro ἐῤῥήθην usurpatur, cf. Aristot. *Categ.* IX 12 et 14 et Herod. IV 77 (Liddell-Scott s. ἐρῶ). — τὸ προῤῥηθέν = *fatum, res futurae;* divinandi scilicet virtute praeditus hoc versu quidam inducitur. Lectionem minime certam esse concedo, at nulla alia coniectura melius ad litterarum vestigia quadrat.

4. Mendicum praeter ac Libycum versibus ex 2—4, s. supplementa mea recte modo adhibita sunt, personam quoque tertiam in fabula nostra partes agere certum est, atque ab ea quidem haec verba proferuntur; verum cui attribuenda sunt? Interpretationem a versu sane 4, qui fere integer nobis asservatus est ingrediamur. Hoc autem versu vir quidam cuius imperio anulus subditus est indicatur. Qualis anulus hoc loco occurrit? Magicus ille esse videtur, nam prisca ex vetustate superstitio anulis vim maximam tribuebat (Heckenbach, *De nuditate sacra* [RVV IX 3], Giessen 1911, 92 sq.). In papyro magica Leydensi (Pap. V, Col. 8, 24 sq.) haec leguntur: δακτυλίδιον πρὸς ἐπίτευξιν, καὶ χάριν, καὶ νίκην... 30 τούτου μεῖζον οὐδὲν ἔσχεν ὁ κόσμος· ἔχων γὰρ αὐτὸ μεθ' ἑαυτοῦ ὃ ἂν παρὰ τινὸς αἰτήσῃς, πάντως λήμψει. Cf. Pap. Parisinam (Bibl. Nat. 574 suppl.) 1712: ὁρκίζω γῆν καὶ οὐρανὸν πάντα μοι τελέσαι διὰ τῆς χρείας ταύτης τοῦ δακτυλίου τούτου. In vita Apollonii Indorum sophistas anuli quoque virtutem novisse Philostratus (III 15, 107) narrat: τὴν δὲ ἰσχὺν τοῦ δακτυλίου καὶ τῆς ῥάβδου, ἃ φορβεῖν αὐτοὺς ἄμφω. Cuius rei exempla plura afferre supervacaneum est, hunc tamen locum ex Heliodoro VIII 11 excerptum addere putavi:

Ἔστι καὶ δακτύλιος ...γράμμασι δ᾽ἱεροῖς τισιν ἀνάγραπτος καὶ τελετῆς ὡς ἔοικε θειοτέρας ἀνάμεστος...

Anulis sanandi quoque virtus inerat (v. Ganszyniec RE s. *Ring* et *Pierścień w wierzeniach ludowych starożytnych i średniowiecznych*, Lwów 1924, 13 sq.), testante Hesychio: δακτύλιος φαρμακίτης· ὃν οἱ φαρμακοπῶλαι εἰώθασι πιπράσκειν ἀντὶ φαρμάκου.

Quo explicato iam ad versum nostrum liceat reverti. Vir enim tali anuli potestate praeditus potens artisque magicae non imperitus erat. Cum autem temporibus ex antiquissimis divinatio cum ista sanandi virtute coniungeretur (Weinreich, *Heilungsw.* p. 110 sq.) in versibus praecedentibus (cf. v. 3) haec virtus fortasse aliquas partes agebat (cf. etiam v. 5 sq. ubi oraculum affertur). Quam interpretationem ad totum carmen intellegendum haud parvi esse momenti postea patebit.

17. τρυγίας supplevi; hac namque voce addita sententia rectius restitui potest. Vocabulum τρυγία pro τρύξ *mustum* usurpatum est, ut in *mimo Oxyrhynchico* v. 55 (Crusius, *Herondae mimiambi*,[5] 1914, 104): ἐγὼ αὐτοῖς καὶ τὴν τρυγίαν διακο[ν]ῶ. Cf. etiam scholia ad Lycophr. 677. — Δοχοῦ, δοχός vocabulum saepius vim adiectivi habet, nonnunquam tamen pro substantivo usurpatur, ut Hesychius attestatur: δοχούς· δοχεῖα, λουτῆρας; editores de alio quodam verbo cogitabant; Abt ἐξ ἀδόλου, Wilamowitz autem χύτρας ἐξαδύχου scripsit; ac mihi quidem imagine ex photographica satis apparet non α litteram, sed σ potius, quae postea deleta sit, in papyro scriptam esse. Hac littera deleta ἐξ in ἐκ corrigere scriba fortasse oblitus est.

18. βαλών vi intransitiva usurpatum est, cf. Epicteti *Enchir.* II 20, 10 βαλὼν κάθευδε et *Pap. Oxy.* XI 1368, 51 βαλὼν... ἐπεχείρει καθεύδειν.

20. [ὁ Λίβυ]ς; ita supplevi, fortasse autem [οὗτο]ς restituendum est. Gravem hic corruptelam subesse Wilamowitz suspicatus est, at una littera rectius perlecta sententia evadit apta.

26. σοῦσθαι: hic locus in papyro lectu est difficillimus. Quo vocabulo restituto sententiam recuperavi congruam, nam ὑπομένειν verbum cum infinitivo saepius construitur. — [ὥραν ἐλθ]οῦσαν: supplevi, quamvis lacuna ad septem litteras restituendas non sufficiat; at hac in papyro litterae omnino inaequaliter scriptae occurrunt; fieri quoque potuit, ut nonnullae litterae, sicut in v. 7 aut super lineam exaratae, aut lineola

ipsa magis in partem papyri sinistram promota esset. Hoc loco versu e phalaeceo satis elucet spatium quinque morarum restituendum esse, quam ob rem vereor, ne lectio brevior probari possit.

Papyris ex Aegyptiacis inscriptioneque Delia hac primum aetate in lucem prolatis nonnullae Sarapidis aretalogiae redditae nobis sunt.

Ex quibus una Aeliani memoriam prope affert, ceteris vero ita virtus dei celebratur, ut per se haud difficiles sint intellectu. His de aretalogiis Weinreich in libro supra laudato accuratius egit; addenda est narratio ex Zoili epistula PSI IV 435, 258 a (cf. Crönert in *Raccolta Lumbroso* 1925, 475). Fragmentum autem Berolinense his ab fabulis aliqua ex parte abhorret. Ac personas quidem tres hoc in carmine aliquas partes agere pro certo habeo: eorum ex numero unus inducitur, quibus fortasse oraculi interpretandi vel magica quidem virtus data est (v. 3—4), mendicus deinde (v. 5), cui Thrasoni nomen est (v. II), mira quadam aegrotatione afflictus, vir Libycus denique quidam (v. 2. 6. [20]), in quem Sarapidis potestate morbus pauperis conferendus est. Cuius miraculi quamvis unus solum versus fragmento hoc papyraceo contineatur, dubitare tamen non licet, quin dei fides Thrasoni data servata sit.

Weinreich (p. 12 et n. 15) locis quibusdam similibus allatis aretalogiam ex ratione restituere temptabat, ut ambo, mendicus scilicet ac vir Libycus, hic a paupertate, ille vero a morbo liberarentur. Quod partibus ex permutandis ortum est (similiter quoque apud Abtium) et nunc fragmento in singulis restituto hanc interpretationis viam falsam fuisse apparet.

Abt (p. 268) autem hoc in carmine litteras ad Sarapidis religionem divulgandam destinatas perspexit, cuius opinio et propter argumentum et propter aretalogiae originem aetati posteriori rectius attributam mihi minime probatur. Multo verius mihi quidem videtur hoc Wilamowitzii iudicium (p. 150): *Cui* (carmini scilicet) *Abtius aretalogiae nomen dedit, fortasse haud iniuria, quamquam Sarapidis virtutem sive fraudem serio et pio animo a poeta laudari minime credo.* Quam litem ut dirimamus, altius inquirendum est. Ac fortasse (v. 3—4), ubi magus quidam vel eius similis potestatem suam praedicat, ad carmen interpretandum non inutiles erunt. Fieri denique potuit, ut aretalogia magorum in ordine componeretur.

Initio aretalogi[1]) profecto pietate vera perculsi virtutes dei praedicabant, ut Strabo (XVII 1, 17) testatur: Canobi in Sarapidis templo... συγγράφουσι δέ τινες καὶ τὰς θεραπείας, ἄλλοι δὲ ἀρετὰς τῶν ἐνταῦθα λογίων. Postea autem hoc nomine medici vaniloqui vel fabulosorum voluminum scriptores appellabantur, ad quae et nostra aretalogia apte convenit,

Dissentio contra astrologiam (v. 11 sq.) inesse, id quod a doctis affirmabatur; quae res rursum non ex omni parte approbari potest, nam morbus in Libycum hominem, eadem sub constellatione natum, a Sarapide transportatur: siderum auctoritas intacta manet.

Quibus omnibus perspectis quaestio oritur, utrum magus ille talis miraculi particeps fuerit necne. In singulis nunc etiam carmen quamvis obscurum maneat, vereor tamen, ne ex fragmento plura expediri possint.

III. Ad *Pap. Oxy.* XI 1381.

Ministerii Instructionis Publicae summa liberalitate cum mihi copia peregrinationis Britannicae facta esset, Oxonium profectus sum, ut nonnullas papyros in Bibliotheca Bodleiana asservatas accuratius examinarem. Inter ceteras de quibus observationes meas alibi publici iuris facere in animo habeo, papyrum 1381 insignitam (Bibl. Bodl. Ms. gr. cl. b. $\frac{16}{1-3}$[P]) primumque ab Huntio (*The Oxyrhynchus Papyri* 1915, XI 221) editam[2]) atque illam Anonymi Imuthis-Asclepii laudationem continentem inspexi, qua iterum atque iterum examinata has novas propono lectiones:

1. Col. I 5 editores: πλῆ(θ)ος, equidem γένος legi; omnes litterae una ε excepta dilucide cernuntur ac verbum quoque ad contextum optime quadrat: 4. βουλόμεν[ο]ς// δὲ ἐξ ἀναγραφῆς τὸ γένος αὐ-/τῶν ἐπικρεῖναι...

2. Col. II 35 editores: [ἔμ]αθον ὂν [*l.* ἐν] αἰῶνι κηρῦξαι, ego: [ἀ]φθονον αἰῶνι κηρῦξαι, quod et bonum intellectum praebet et ad litterarum vestigia optime quadrat; ad litteras duas supplendas lacuna certo non sufficit: 32 ἐγὼ δὲ πολλάκις τῆς/

[1]) Cf. S. Reinach, Les arétalogues dans l'Antiquité, B. C. H. IX 1885 257 sq. = Cultes, Mythes, Religions II 293 et R. Reitzenstein, Hellenistische Wundererzählungen, Leipzig 1906, 8 sq.

[2]) Cf. etiam K.F.W. Schmidt, Göttingische Gelehrte Anzeigen. CLXXX 1918, 118 sq. et G. P. Wetter, Eranos XVIII 1918, 115 sq.

[α]ὐτῆς βίβλου τὴν ἑρμηνείαν | [ἀρ]ξάμενος Ἑλληνίδι γλ|ώ/σσῃ|| [ἄ]φθονον αἰῶνι κηρῦξαι, καὶ | ἐν τῇ μέσῃ ῥεύων τῇ γραφῇ | ἐπεσχέθην τὴν προθυμίαν | τῷ τῆς ἱστορίας [/τῷ/] μεγέθει.

3. Col. III 45 editores: καὶ ἐκώλυσέ [με τ]ὰ κατιό[ντα...]| δια ἀγανακτήσαντος [καὶ ἀθα]|-νάτου ἀρετῆς αὐτοῦ; vestigia autem cernuntur v. 45 ΚΑΙΕΚΓΟΗΤΕ[...]ΑΧΑΤΙΣ[.....], quae ita supplevi: καὶ ἐκγοητε[ύει τ]ὰ χατισ[θέντα], versu 46 etiam pro eo quod est καὶ — τῆς suppleto sententiam rectam me restituisse censeo. 42 οὐ | γὰρ ἀποτυχό[ν]τι μοι μόνον |αἰδὼς ἦν πρὸς ἀνδρῶν, ἀλλὰ|| καὶ ἐκγοητε[ύει τ]ὰ χατισ[θέντα] διὰ ἀγανακτήσαντος [τῆς ἀθα]|-νάτου ἀρετῆς αὐτοῦ τ[ὸ τῆς γρ]α-|φῆς σ[υνπληρουμέν[ης] τ[απει-| νωμα· ὀφελήσαντι δὲ ὁ βί[ο]ς || μὲν εὐδαίμων, ἡ δε φήμη | [ἀ]θάνα[τ]ος.

4. Col. III 59 editores: τὸν τοῦ <γ>ήρ[ο]υς, equidem TON E[..]ΣE[..]ΓΣ legi, quae ita supplenda sunt: τὸν ἑ[νὸ]ς ἔ[το]υς, quod et ad contextum melius quadrat et emendationem supervacaneam efficit:

57 ὅθεν φυγὼν [τὸ ῥ]ειψοκίν-|δυνον [εἰ]ς καιρὸν ἐτήρουν| τὸν ἑ[νὸ]ς ἔ[το]υς, ἀνε-[β]α||λλό[μ]ην | τὴν ὑπόσχεσιν.

5. Col. IV 67/68 editores: ἐπι-|σκ[ήψασα ἄ]θεος; quod supplementum ut nullo vitio laborare concedam, tamen quominus probetur litterarum vestigia impedimento esse puto; haec autem vestigia superesse videntur:

ΣΤΡ[.....]ΘΕΟΣ, hanc lacunam supplere ita animum induxi: 68 ἐπι-/στρ[έψασα ἄ]θεος τεταρταία ἡ /φρείκη: admitti etiam ἐπιστρ[εφὴς ἄ]θεος potest, sed lacuna sex litteris aptius quam litteris quinque expletur.

6. Col. IV 70/71 editores: πα-|ρῆμεν ἐπὶ τὸν θεὸν τῇ <μ>ητρὶ [I] ωμενοι Quam lectionem incorruptam esse nemo sane contendet et in papyro haec leguntur: ΘΕΟΝΙΙ [...] ΣΝΙ [.]-| ΣΟ-ΜΕΝΟΙ, quae ita restitui possunt: π[ρο]σνι[σ]|-σόμενοι, et sententiam similem hoc loco expectare possumus.

70. ἱκέτ[α]ι πα-|ρῆμεν ἐπὶ τὸν θεὸν π[ρο]σνι[σ]|-σόμενοι ἄκεσιν ἐπινεῦσαι | τῆς νόσου.

7. Col. VII 136 editores: πρ[οε]λομένῃ μενοῦν. Trium litterarum (π ρ λ) nullo modo vestigia cerni possunt; spatium quoque ad litteras quinque scribendas non sufficit, quibus vero perspectis lacunam hoc modo supplere velim: [αἱ]ρομένῃ μενοῦν, quod vim etiam eandem prope retinet.

8. Col. VIII 164 In apparatu critico duarum litterarum in manuscripto spatium vacare ab editoribus affirmatur, equidem atramenti vestigium parvum ante lacunam animadverti,

quare haec scripta fuisse arbitror: 163 ἐπικαλεσάμε-|νος πρόνοιαν κα[/τ/] [.(.)] πλη[[ρ]]-|ρωθείς, ubi „τ" littera in „ι" mutata est; fuerit prius καταπληρωθείς an ἐκπληρωθείς diiudicare mea sententia iam non potest.

9. Col. VIII 168 editores: κατα[πλ]ώσειν, quo de verbo multa in commentario disputant, in papyro autem ι litteram post κατ satis dilucide perspicere et deinde ε litterae vestigia cernere mihi sum visus. Haec vero ita restituenda sunt: κα-τιε[ρ]ώσειν, ubi τ littera pro θ usurpata est. Qua restitutione accepta et sensum quidem meliorem recuperamus:

168. οἶμαι καθιε[ρ]ώσειν [τ]ὴν | σὴν προφη[τε]ύων ἐπίνοι-|αν.

10. Col. X 206 editores: ὦ [....] ο [..] . [.] ego legeram: Ω [...] Ο [..] Ο [.], quae ita supplevi: ὦ [φιλ]ό[θε]ο[ι]: 206 σύν[ι]τε, ὦ [φιλ]ό[θε]ο[ι], ὅσοι θη -|τεύ[σ]αντε[ς] τὸν [θ]εὸν νό-|σων ἀπηλλάγητε.

11. Col. X 211 editores: πονήσετε, quid sibi hoc loco velit plane in dubio sum. In papyro post π litteram α scripta occurrit. Ceterum ita legi: ΠΑ[.]ΗΣΕ[..]Ε, quae autem hoc modo supplenda esse puto: πα[ρ]ήσε[σθ]ε. 210: ὅσοι| πα[ρ]ήσε-[σθ]ε ζη[λωτα]ὶ ἀρε-|τῆς.

12. Col. X 213 ἐπηυξή[θ]ητε errore videlicet ab editoribus ita lectum imprimitur, nam luce clarius in papyro ἐπλουτίσθητε scriptum esse apparet.

13. Et col. denique X 221/2 editores: τε μεγέθη εὐε[ρ]γε-τημά -|των <τε> δωρήματα. ἔχει... Quam lectionem minime certam esse editores ipsi indicant, et res vero ita est, nam ego alia perspexi: ΤΩΝ[...]ΕΛΘΩ[.]ΕΧΕΙ... haec autem supplevi: των. [παρ]ελθὼ[ν] ἔχει: de restitutione: [προς]ελθώ[ν] antea cogitabam, lacuna tamem ad quattuor litteras supplendas vix sufficit. Interpunctionem mutandam esse videbis: 218 μέλλω γὰρ αὐτοῦ τερατώδεις ἀπαγγέλλειν |ἐπ[ι]φανείας δυνάμεώς τε μεγέθη εὐεργετημά-|των. [παρ]ελθὼν ἔχει δὲ οὕ-|τως.

Tales fere sunt emendationes, quas ad primam papyri recensionem virorum doctissimorum, Grenfellium dico et Huntium, supplere velim. Ac charta quidem ipsa pluribus locis ita est mutilata litterarumque vestigia saepius tam obscura, ut nullo fere pacto fieri possit, quin editio princeps exiguis erroribus laboret. Ab Huntio, qui benigne tempus suum mihi concesserat, emendationes meae acceptae sunt, quas etiam virorum doctorum iudicio acceptum iri spero.

Inde autem apparet chartam accuratius scriptam esse, quam editores arbitrati sunt.

SUR LA SIGNIFICATION DU TERME ΜΥΔΡΟΣ

par
EUGÈNE G. KAGAROW

Il existait, dans l'ancienne Grèce, autant qu'on sache, l'usage de plonger dans la mer lors du serment des morceaux de pierre ou de fer (μύδροι). Les Phocéens, d'après la relation d'Hérodote (I 165), ne voulant pas se soumettre aux Perses, décidèrent à quitter pour toujours leur patrie et à émigrer dans l'île de Corse. Avec cela, ajoute l'historien, ils jetèrent dans la mer un gros morceau de fer rouge (μύδρον σιδήρεον) et firent serment de ne pas retourner en Phocée avant que ce morceau ne fût revenu à la surface de l'eau (μὴ πάλιν ἐς Φωκαίην ἥξειν πρὶν ἢ τὸν μύδρον τοῦτον ἀναβῆναι, ou ἀναφανῆναι).

Aristote (Ἀθην. πολ. 23, cf. *ibd.* 53: les Perses en 477) communique que, lors de la passation du contrat, affirmé par serment, d'Aristide avec les Ioniens, ceux-ci plongèrent dans la mer des morceaux de métal (ou de pierre): μύδρους ἐν τῷ πελάγει καθεῖσαν. Plutarque en raconte la même chose (*Aristid.* 25; cf. Stein ad Herod. I[6] p. 188[1]; Fox, *Submerged tab. defix.* [*Amer. Journ. of Philology* XXXIII 1912, p. 308]; Lasaulx, *Stud.* p. 189). — Nous rencontrons, du reste, le même mot aussi dans d'autres endroits de la littérature grecque, par ex. chez Soph. *Ant.* 264 sqq.:

> ἡμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν
> καὶ πῦρ διέρπειν καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
> τὸ μήτε δρᾶσαι μήτε τῷ ξυνειδέναι
> τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι μηδ' εἰργασμένῳ

c. à d. nous étions déjà prêts à soulever des pierres (du fer) avec nos mains, à passer à travers la flamme et à faire serment au nom des dieux que nous n'avons pas commis cet acte ainsi que nous n'étions pas complices à le préméditer ou à le mettre à l'exécution.

On interprète le terme μύδρος différemment: on y voit tantôt un morceau de fer ou de fer rouge, tantôt une pierre pesante, un bloc etc. Th. Zieliński donne dans sa traduction de l'*Antigone* (*Soph. Drames*, Moscou 1915, II p. 367) μύδρος par le mot 'meule', et énonce dans sa critique (*Wochenschr. f. kl. Philol.* 1903, 895) sur le livre de Hirzel, *Der Eid* l'avis que ce n'était pas de fer rouge que les Phocéens jetaient dans

la mer, mais tout simplement des morceaux de métal et qu'il y va d'une épreuve au moyen d'un poids, d'un faix pesant ('Lastenprobe'). Il est pourtant évident, que l'on confond ici deux conceptions tout à fait différentes: 1. le serment, 2. le jugement de dieu (ordalies). Dans les cas, mentionnés par Hérodote, Aristote et Plutarque, il y va du serment, suivi d'actes magiques bien marqués (immersion de μύδροι dans la mer); et c'est dans le récit d'un garde *(Antigone)* que sont énumerés les différents procédés de l'épreuve ou du jugement de dieu (comp. R. Hirzel p. 182 ss., particulièrement p. 199; H. J. Rose, *Primitive Culture in Greece*, Londres 1925, p. 207).

S. Reinach *(Cultes, mythes et religions*, Paris 1906, II p. 215) voit dans l'acte des Phocéens de plonger un morceau de fer dans la mer un vieux rite hilastique, exercé avant un voyage sur mer (donc, un vieux rite de départ), à titre de sacrifice de la part des navigateurs à l'élément de l'eau. S. Reinach compare le serment des Phocéens avec le motif qui avait amené Xerxès à plonger des chaînes dans la mer (Hérod. VII 35). Mais une pareille interprétation doit être reconnue comme peu fondée, car les cas que le savant français rapproche, se rapportent à de différentes catégories de conceptions: l'ordre du roi des Perses de plonger des chaînes dans l'Hellespont est un procédé magique qui indique une mainmise, une contrainte, une violence à l'égard de la mer comme élément dangereux (comp. contre l'explication de Reinach la protestation de O. Gruppe, *Mytholog. Literatur aus den Jahren 1898—1905*, Leipzig 1908, p. 339 s.), tandis que l'immersion des μύδροι dans la mer, interprétée par Reinach, au bout des comptes, comme mariage avec la mer, est réellement un des symboles ordinaires qui se rapportent au serment (comp. P. Perdrizet dans la *Revue des études anciennes* XIV 1912, p. 357).

L'interprétation de P. Stengel (*Griech. Kultusaltertümer*, Munich 1920, p. 87) est, à mon avis, tout à fait inacceptable: il attribue à l'immersion dans la mer des objets pesants, allant à fond, le même sens symbolique, qu'à l'immolation d'un animal lors du serment: celui qui fait un serment, se vouerait à la même destinée qui attend les morceaux de fer en cas de parjure. Cette interprétation suppose un symbolisme trop artificiel qui échappe à notre intelligence.

D'après l'opinion de J. G. Frazer, *The Magic Art (The Golden Bough* [3]I 1, p. 160), le rôle des pierres lors des serments se base sur la conviction que la dureté et la fermeté de la pierre corrobore le voeu par sympathie. C'est parfaitement juste, mais dans les cas, décrits par Hérodote, Aristote et Plutarque, c'est précisément l'acte de l'immersion dans l'eau qui a une importance essentielle.

Les voeux, affirmés par serment, sont accompagnés en effet par des conditions irréalisables qui servent de garantie symbolique de la fermeté du voeu. Une pareille formule d'une exigence irréalisable se rencontre souvent dans les charmes et dans les malédictions des différents peuples (Heim, *Incant. magica* Nr. 99—103, p. 491 ss.; E. Kagarow, *Les tablettes d'exécration grecques*, Kharkow 1918, p. 32 s. (en russe); A. Vetoukhow, *Les conjurations* (en russe) p. 256; Mansikka, *Ueber russische Zauberformeln*, Helsingfors 1909; V. Kharouzina, *Ethnographie* (en russe), Moscou 1909, I p. 534). Le récit dans le recueil d'annales le plus ancien de Kiew de l'an 1039 (rédaction de l'an 1073), présente une analogie frappante avec le rite des Phocéens lors du serment, décrit par les auteurs grecs: „En 6493 Vladimir marcha en bateaux contre les Bulgares; il amena les Torques montés à chevaux par les voies riveraines; il vainquit les Bulgares. Vladimir conclut la paix avec les Bulgares... et les Bulgares décidèrent: Nous n'aurons de paix entre nous que lorsque la pierre commencera à nager, et le houblon à tomber à fond. Vladimir revint à Kiew" (A. Chakhmatov, *Recherches sur les plus anciens recueils d'annales russes* p. 557). Une sentence dans le *Slovo* de Daniel Zatotchnik témoigne que ce motif était très courant dans la littérature vieux-russe et byzantine: „Ni la pierre ne nage pas sur l'eau, ni l'homme privé d'esprit ne peut être sage". C'est pourquoi la formule de condition irréalisable citée par Hérodote: πρὶν ἢ τὸν μόδρον τοῦτον ἀναβῆναι doit être reconnue, en dépit de l'opinion de S. Reinach, pour complètement authentique.

Ces μόδροι étaient-ils incandescents, comme le croit R. Hirzel (*Der Eid* p. 199 ss. 215 ss.), Reinach et autres? R. Ganschinietz (*RE* s. v. *Ring* p. 839) voit dans le rite de l'immersion du fer rouge dans la mer un symbole, fondé sur la pra-

tique de tremper le fer incandescent dans l'eau, signifiant ceci: comme le fer se durcit (par la trempe), ainsi le serment qu'on fait, doit être solide. Cette supposition ne contredit pas notre interprétation. Ainsi la formule d'une condition irréalisable *(quomodo non)*, affermissant la vigueur du serment, s'entrelacerait avec le procédé de la magie sympathique ou homéopathique, basé sur l'observation du fait que le fer incandescent acquiert de la solidité par suite de la trempe.

HERONIS *DEFINIT.* 104

Apud Heronem *Def.* 104 (Heib. IV 66, 1 sq.) legimus: Ἀρχιμήδης δὲ τριακαίδεκα ὅλα φησὶν εὑρίσκεσθαι σχήματα δυνάμενα ἐγγραφῆναι τῇ σφαίρᾳ προστιθεὶς ὀκτὼ μετὰ τὰ εἰρημένα πέντε. In apparatu critico adnotatum est ab eruditissimo editore: „ὅλα] *fort.* ὅλως προστιθεὶς κτλ. *error est Heronis; v. Pappus* V 34". Archimedes secundum Pappi l. l., quem in Heibergianis Archimedis Oper. II² 536 sq. invenies, dilucide de quinque polyedris Platonicis, quae sphaera comprehendi possent, et praeterea de tredecim aliis disputat, quae singillatim enumerat et describit. Qua ex re sequitur nullius momenti esse, si ὅλα in ὅλως immutaveris. Error enim hac correctione non tollitur. Hero hoc loco ἄλλα scripsisse videtur, quod vim vocis *praeterea* exhibet. Vox ἄλλος vi *praeterea* iam inde ab Homero trita atque vulgata erat, cf. e. gr. Xenoph. *An.* I 5, 5 οὐ χόρτος οὐδὲ ἄλλο δένδρον; Plat. *Gorg.* 473 c πολῖται καὶ ἄλλοι ξένοι. Altera quoque adnotatio: *error est Heronis* falsa esse videtur: non Hero, sed scriba erravit, qui ιγ in η corrupit.

M. A.

ANNOTATIONES AD QUOSDAM PLATONIS EPISTULARUM LOCOS

scripsit
FRANCISCUS NOVOTNÝ

I

Ep. VI 322 D: Ἑρμείᾳ μὲν γὰρ οὔτε ἵππων πλῆθος οὔτε ἄλλης πολεμικῆς συμμαχίας οὐδ' αὖ χρυσοῦ προσγενομένου γένοιτ' ἂν μείζων εἰς τὰ πάντα δύναμις, ἢ φίλων βεβαίων τε καὶ ἤθος ἐχόντων ὑγιές· Ἐράστῳ δὲ καὶ Κορίσκῳ, πρὸς τῇ τῶν εἰδῶν σοφίᾳ τῇ καλῇ ταύτῃ, φήμ' ἐγώ, † καίπερ γέρων ὤν †, προσδεῖν σοφίας τῆς περὶ τοὺς πονηροὺς καὶ ἀδίκους φυλακτικῆς καί τινος ἀμυντικῆς δυνάμεως.

Locus cuius lectionem a Burnetio recedens crucibus tamquam incertam designo, variis modis explanatur. Wiegand in appendice libelli gymnasii Vormatiensis a. 1857, p. 6 recte commemorat verba de quibus agimus ratione carere, cum exspectemus: *suadeo tibi quippe qui sim senex rerum peritus*, non *quamquam sum senex;* quam asperitatem se studuisse lenire interpretatione: „dieser Rat kommt wenigstens aus meinem Munde, wenn auch aus dem eines hochbetagten Hauptes". At in Germanica interpretatione quam a. 1859 publici iuris fecit, idem locus aliter legitur conceptus: „obgleich ich darin (sc. in τῇ τῶν εἰδῶν σοφίᾳ) ergraut bin"; cuius interpretationis asperitatem quandam aliquo modo excusandam esse Wiegandium, ut in annotatione ad hunc locum pertinente apparet, non praeteriit.

Ex iis qui Platonis *Epistulas* nuper interpretati sunt, Apelt et Howald in ea re consentiunt quod verbis καίπερ γέρων ὤν hanc sententiam subesse putant: Plato Erasto et Corisco practicam quae dicitur vitae sapientiam commendat, quamquam qua sit aetate potius suum esse videatur vitam contemplativam laudare (Apelt) vel eam vitae condicionem maximi aestimare qua animus sibi et per se ipse vivat *(gänzliche Vergeistigung*, Howald). Similiter haec verba intellegit Souilhé: „ma vieillesse devrait m'engager à regarder surtout du côté de la vie future et du côté de la pure science des Idées".

Quibus explanationibus aliam addit L. A. Post cum putat Platonem se excusare velle quod quamquam aetate provectus non cesset scribere.

Aliud in loco de quo agimus invenit Shorey *(Class. Philol.* X 1915, p. 87 sq.); qui verba καίπερ γέρων ὤν ad vocem καλῇ pertinere arbitratur iocumque parum lepidum hic contineri: „ego etiam nunc quamvis senex non sum ignarus quid sit pulchrum".

Nulla ex his quas attulimus explanationibus satis apta mihi quidem videtur esse. Summam sententiae in eo esse apparet quod et Hermias et Erastus cum Corisco aliqua re indigent: Hermias amicis, Erastus et Coriscus ea sapientia qualis usu vitae acquiratur, quae ad eorum philosophiam doctrina excultam accedat (πρὸς τῇ σοφίᾳ... προσδεῖν); illam iis deesse, quippe qui multum vitae (συχνὸν τοῦ βίου 392 E) cum Platone vixerint neque homines malos atque iniustos usu cognitos habeant. Si quid tale Plato in animo habuit, num potuit scribere: *haec de iis dico quamquam sum senex?* Concessiva quae dicitur ratio inter Platonis aetatem et eius de Erasti Coriscique vitae imperitia iudicium nullo modo mihi quidem videtur exsistere posse. Quae vitae imperitia apud illum ipsum aliquid miri atque insoliti habet, qui aetate provectus hominum rerumque usu edoctus esse deberet, cf. Plat. *Pol.* III 409 B. Profecto haec fit huius loci sententia, si lectionem quae ut supra vidimus satis probabiliter explanari nequit, paululum immutaveris et legas καίπερ γερόντων ὄντων pro καίπερ γέρων ὤν: Erasto et Corisco hominum peritia deest, quamvis sint aetate provecti. Simili modo -οντων pro -ων restituendum esse censeo etiam *Ep.* VII 344 B (συντεινόντων pro συντείνων).

Genetivus qui dicitur absolutus post Ἐράστῳ et Κορίσκῳ loco dativi participii coniuncti positus nullam habet difficultatem. Gravius est quod hoc modo dubium locum sanantes temere ponere videmur Erastum et Coriscum eo tempore quo Plato hanc epistulam scribebat ita aetate provectos fuisse ut senes appellari possent. At deliberes quaeso denuo locum quem supra attulimus ἄπειροι γάρ εἰσι διὰ τὸ μεθ' ἡμῶν μετρίων ὄντων καὶ οὐ κακῶν συχνὸν διατετριφέναι τοῦ βίου (322 E): qui multum vitae cum Platone vixisse dicuntur, eos integra ne dicam prima aetate esse parum est veri simile. Idem iudicare licet ex iis quae 323 A leguntur: σοὶ μέν, Ἑρμεία, πεπειραμένος Ἐράστου καὶ Κορίσκου πλέονα ἢ σύ, φημὶ καὶ μηνύω καὶ μαρτυρῶ

μὴ ῥᾳδίως εὑρήσειν σε ἀξιοπιστότερα ἤθη τούτων τῶν γειτόνων: cum Plato ex animi sui sententia pro certissimo affirmet se Erastum et Coriscum usu optime cognitos habere, longam ei cum illis fuisse cousuetudinem apparet. Quae nisi ita essent, sine dubio cautior fuisset in iudicio de hominibus proferendo, ut est *Ep.* XIII 360 C sq. cum Heliconem Dionysio commendat: οὔτε ἄχαρίς ἐστιν ἐντυχεῖν οὔτε κακοήθει ἔοικεν, ἀλλὰ μᾶλλον ἐλαφρὸς καὶ εὐήθης δόξειεν ἂν εἶναι. δεδιὼς δὲ λέγω ταῦτα, ὅτι ὑπὲρ ἀνθρώπου δόξαν ἀποφαίνομαι, οὐ φαύλου ζῴου ἀλλ' εὐμεταβόλου, πλὴν πάνυ ὀλίγων τινῶν καὶ εἰς ὀλίγα. Fuisse re vera quosdam qui non minus triginta annos Platonem audirent et quos Plato senes videret legimus *Ep.* II 314 A sq.: εἰσὶν γὰρ ἄνθρωποι ταῦτα ἀκηκοότες καὶ πλείους... γέροντες ἤδη καὶ οὐκ ἐλάττω τριάκοντα ἐτῶν ἀκηκοότες.

Corisci nomen ab Aristotele saepissime ad significandum quemlibet hominem adhibetur; quoniam eodem sensu Aristoteles plerumque Socratis nomine utitur, satis mihi videtur demonstrari etiam Coriscum hominem fuisse in Academia notissimum.

Coriscum ad summam senectutem pervenisse iudicandum est ex Stobaeo, *Flor.* 7, 53: Κορίσκος εὖ μάλα γέρων ὤν, ὡς ἀπό τινος χαλεπῆς ἁρρωστίας ἀνέρρωσεν 'ἄπαγε', ἔφη, 'ὡς ἀηδῶς ἀνέστροφα, ἤδη πολὺ τῆς ὁδοῦ προκεκοφὼς ἣν δεῖ πάντως πορευθῆναι'.

Quae cum ita sint veri simile putamus Erastum et Coriscum fere aequales fuisse Platonis. Cui opinioni non obstat quod Neleus, Corisci filius, Theophrasti discipulus atque amicus fuisse traditur, cum ea re non efficiatur Neleum fuisse aetate minorem Theophrasto qui vixit circa a. 370—286. Immo Neleum provecta fuisse aetate cum a Theophrasto testamento heres factus sit, demonstrat H. Arnim (*Hermes* LXIII 1928, p. 103—107), cuius temporum computationem in Platonis locum a nobis hoc modo explicatum optime quadrare invenimus.

II

Ep. VII 336 C sqq.: ὅμως δὲ μιμεῖσθαι μὲν συμβουλεύω Δίωνα ὑμῖν τοῖς φίλοις τήν τε τῆς πατρίδος εὔνοιαν καὶ τὴν τῆς τροφῆς σώφρονα δίαιταν, ἐπὶ λῳόνων δὲ ὀρνίθων τὰς ἐκείνου βουλήσεις πειρᾶσθαι ἀποτελεῖν... τὸν δὲ μὴ δυνάμενον ὑμῶν Δωριστὶ ζῆν κατὰ τὰ πάτρια... μήτε παρακαλεῖν μήτε οἴεσθαι πιστὸν ἄν τι καὶ ὑγιὲς πρᾶξαί ποτε, τοὺς δὲ ἄλλους παρακαλεῖν ἐπὶ πάσης Σικελίας κατοικισμόν τε καὶ ἰσο-

νομίαν ἔκ τε αὐτῆς Σικελίας καὶ ἐκ Πελοποννήσου συμπάσης, φοβεῖσθαι δὲ μηδὲ Ἀθήνας· εἰσὶ γὰρ καὶ ἐκεῖ πάντων ἀνθρώπων διαφέροντες πρὸς ἀρετήν, ξενοφόνων τε ἀνδρῶν μισοῦντες τόλμας. εἰ δ'οὖν ταῦτα μὲν ὕστερα γένοιτ' ἄν, κατεπείγουσιν δὲ ὑμᾶς αἱ τῶν στάσεων πολλαὶ καὶ παντοδαπαὶ φυόμεναι ἑκάστης ἡμέρας διαφοραί, εἰδέναι μέν που χρή quae sequuntur.

Enuntiati εἰ δ' οὖν ταῦτα μὲν ὕστερα γένοιτ' ἄν quae sequuntur variae ac diversae sunt interpretationes. Ast vertit: „quodsi haec postea futura sunt, urgent autem vos seditionum multa variaque dissidia, hoc quemvis virum cognoscere oportet...“; Howald: „wenn das nun zwar nach eueren Plänen in der Zukunft vielleicht auch so sein wird, für den Augenblick bedrängen euch aber jene stetigen... Konflikte..., so muss...“; Andreae: „aber wenn es dazu vielleicht erst später kommt und Euch jetzt die vielen... Streitigkeiten der Parteien bedrängen, so muss...“; Apelt: „sollte aber dieser Rat zu spät kommen, und ihr... aufs Schwerste zu leiden haben, dann muss...“; L. A. Post: „if, however, it is too late to resort to these measures and you are forced to hasten because of the manifold and varied quarrels... I suppose every man... must be aware...“; Souilhé: „mais si tout cela tardait et que vous fussiez aux prises avec de continuelles séditions..., quiconque a reçu... comprendra que...“. Aliam exsistere apparet loci sententiam apud Astium, Howaldium, Guilelmum Andreae, aliam apud Apeltium, Postium, Iosephum Souilhé; quarum neutra sive praeceptis artis grammaticae sive rei de qua agitur satis videtur respondere.

Iam omnium primum apparet Platonem non dicere haec (ταῦτα), i. e. adiutorum sociorumque ad Siciliam constituendam electionem, sero deliberari. Immo vero 337 D Plato Dionis amicos certae cuidam condicioni satisfacere iubet antequam se et alios in Siciliam vocent; etiam *Ep.* VIII 355 AC eos hortatur, ut primum optimas leges accipiant, *cum Sicilia in periculum venerit* (D).

Equidem censeo Platonem hoc *Epistulae* septimae loco dicere velle adiutorum conquisitionem in posterum differendam esse, cum alia in praesentia, quae magis instent, sint praevertenda. Quam ob rem ταῦτα μὲν ὕστερα γένοιτ' ἄν non esse puto enuntiatum quod vocatur condicionale, sed enuntiatum affirmativum, cuius ratio enuntiato κατεπείγουσιν δὲ ὑμᾶς... διαφοραί ad-

dito indicatur. Verba εἰ δ' οὖν ipsa per se enuntiatum sunt condicionale, cuius verbum ex iis quae praecedunt supplendum sit, velut μέλλετε παρακαλεῖν. Simili modo Plat. *Apol.* 34 D verbis εἰ δ' οὖν enuntiatum quod praecedit condicionale per ellipsin repetitur: εἰ δή τις ὑμῶν οὕτως ἔχει — οὐκ ἀξιῶ μὲν γὰρ ἔγωγε, εἰ δ' οὖν — ἐπιεικῆ ἄν μοι δοκῶ...; cf. Soph. *Ant.* 722, Eur. *Hipp.* 508.

Quae cum ita sint, post οὖν distinctionis notam pono et post διαφοραί fortius esse distinguendum censeo, cum a verbo εἰδέναι aliud incipiat enuntiatum: εἰ δ' οὖν, ταῦτα μὲν ὕστερα γένοιτ' ἄν, κατεπείγουσιν δὲ ὑμᾶς αἱ τῶν στάσεων πολλαὶ καὶ παντοδαπαὶ φυόμεναι ἑκάστης ἡμέρας διαφοραί. εἰδέναι μέν που χρή quae sequuntur.

III

Ep. XIII 363 E: καὶ τὴν ἐπιστολὴν ἢ αὐτὴν ἢ ὑπόμνημα αὐτῆς σῷζέ τε, καὶ ὁ αὐτὸς ἴσθι.

Hanc loci lectionem, quam etiam Burnet codicem O secutus recepit, vertit Apelt: „und bleibe bei deiner jetzigen Sinnesart", Andreae: „und bleibe der gleiche", L. A. Post: „and be always the same", Souilhé: „et reste ce que tu es". Cui lectioni neque satis Graecae neque satis planae nec denique satis certae, cum littera ὁ in cod. O puncto sit notata, in A erasa, in ZV omissa, praeferendam puto lectionem καὶ αὐτὸς ἴσθι atque imperativum ἴσθι non esse verbi εἶναι, sed εἰδέναι, supplendum obiecto τὴν ἐπιστολήν, ita ut exsistat, sententia: *ipse nosce hanc epistulam*, i. e. *hanc epistulam tibi soli scriptam puta.*

Ad hanc explicationem confirmandam maximi est momenti quod de allegorico epistularum genere scribit Demetrius Phal. in *Typis epistol.* (*Epistologr. Gr.* p. 4 Herch.) ἀλληγορικὸς δέ ἐστιν, ὅταν πρὸς ὃν γράφομεν αὐτὸν εἰδέναι βουλώμεθα μόνον καὶ ἑτέρου πράγματος εἰκόνα σημαίνωμεν. Habemus dictionem αὐτὸς ἴσθι sine dubio in epistularum consuetudine usitatam.

Pronomine αὐτός Plato etiam aliis locis designat id quod latine *solus* (*reliquis omnibus exclusis*, Ast) dicitur, velut *Parm.* 137 A et *Leg.* VIII 836 B αὐτοὶ ἐσμεν (*soli vel sine arbitris sumus*, Ast).

DE AEOLI VERGILIANI ANTRO

Vergilium errorum popularium luculentissimum esse aut fontem aut saltem testem, maioris est operis quam ut hic liceat ostendere. Amplus possit conscribi liber de ipso Aeoli antro quod occurrit nobis et in paramythiis (praeclarissimum exemplum praestat Cambry, *Voyage dans le Finistère*, Brest 1836, 84) et — quod hic paucis illustrabimus — in superstitionibus popularibus. Plurima eius rei exempla tradit Ioannes Weichard Valvassor, *Die Ehre des Hertzogthums Crain*, Laybach 1689, ut I 169 Das Sturmwindloch Veternik:

In den hohen Gallenbergischen Alpen, oberhalb Zempschenig, ist ein tieffes Loch, insgemein Veternik genannt: Welches auf Teutsch, soviel als Windler, oder Windmacher, bedeutet. Denn wenn man einen Stein hineinwirfft, dringt ein mächtig-starcker Wind hervor. Das hab ich selber probirt, vor vielen Jahren. Man sagt, der Wind gehe bissweilen auch wol von sich selbsten heraus, und zwar mit solcher Gewalt, dass, wenn gleich Leib und Leben darauf stünde, und einer durch ein verfolgendes Schwert dazu gedrungen würde, man doch nicht hinein kommen könnte. Daher, wenn in selbiger Revier, ein Würbel-Wind aufsteht, man denselben Veternik nennt: weil man nemlich dafür hält, er fahret, aus diesem Loch, hervor. — Hierin dörfften sich die Leute auch wol nicht betriegen. Denn dass, oberwehnter Massen, in den hohen Felsen die Winde fürnemlich ihren Kercker oder Behälter haben, und von dannen offtmals, mit grossem Ungestüm, sich ausbrechen, Lufft und Land durchbrausen und bewüten, ist eine gar alte Meynung, oder vielmehr Gewissheit: Und hat solches der Mantuanische Poet gar deutlich in diesen seinen Versen, nachdem er vorher die Berg- und Fels-Hölen *Nimborum patriam*, und *loca foeta ferentibus austris* genannt, angezeigt:

...Vasto rex Aeolus antro
Luctantes ventos etc.

Ibidem I 206 aliud describit antrum Copainae situm: „dort trifft man ein Loch an, so in einen Berg hineingeht: welches man wol billig heissen mögte: Rühr mich nicht! Denn so man einen Stein hineinwirfft, geht gleich ein Nebel heraus; welchem bald ein Regen und Ungewitter folgt". Homines saec. XVI hanc antrorum efficaciam Sathanae qui ibidem habitaverit attribuerunt, neque doctissimus auctor noster dissentit: „wofern aber je was daran: so mus inwendig in der Hölen, und unten am See, der Satan, gleichwie er etwan vor Alters, bei heidnischen Zeiten, gethan, also auch noch vielleicht, sein Spiel treiben": ideoque in montibus quotannis antra illa exorcizaverunt sacrificuli christiani. Iam vides quo abierit Aeolus ille Vergilianus fictioque poetica.

PTOLÉMÉE PHILADELPHE DANS LA LUMIÈRE DE SOURCES NOUVELLES

par

FRANÇOIS SMOLKA

La philologie, si sérieuse, s'est trouvée sous le coup d'une sensation, évidemment d'une sensation dans le sens le plus noble de ce terme, provoquée — non pour la première fois, d'ailleurs — par les papyrus. La découverte inattendue de l'*Archive de Zénon*, en 1915, qui comprend des documents depuis l'an 12 du règne de Philadelphe jusqu'à l'an 9 du règne d'Evergète, c.-à-d. de 274—238 av. J.-C., a causé une pareille révolution dans le domaine de la politique économique de l'Égypte du III[e] s., comme celle qui fut amenée par la découverte de la *Constitution d'Athènes* d'Aristote, en 1891, dans le domaine de la politique intérieure d'Athènes. Grâce à cette découverte en un seul jour un grand nombre d'hypothèses et de synthèses, construites là-dessus, devenait suranné. D'une importance primordiale non seulement pour l'histoire de l'Égypte, mais aussi pour celle du monde hellénistique en général, cette découverte nous explique les relations entre différents phénomènes économiques de tout le monde antique et démontre leur rapport causal. Il n'y a donc rien d'étonnant si les savants du monde entier se sont précipités sur cette inappréciable correspondance de Zénon et si, grâce à cet effort commun, chaque année marque un progrès considérable dans la connaissance de cette trouvaille. Aujourd'hui nous pouvons dire sans exagération que nous sommes mieux informés au sujet de la situation économique de l'Égypte hellénistique que de tout autre état du monde ancien. Et bien que toute la correspondance ne soit pas encore publiée, bien que même dans les questions déjà traitées les savants ne soient pas toujours d'accord, que le reste de cette correspondance pas encore publiée recèle beaucoup d'énigmes — les plus compétents connaisseurs de rapports économiques du monde ancien ont commencé à l'étudier sur le vif en donnant des synthèses basées sur les matériaux publiés jusqu'aujourd'hui. Mais, abstraction faite de ce que les papyrus de Zénon ont apporté à notre connaissance des rapports économiques de l'Egypte, l'une des

plus importantes acquisitions de la nouvelle découverte est sans nul doute celle qui nous permet enfin d'entrevoir la figure monumentale du roi Philadelphe, sa force d'esprit, son génie d'état, son talent extraordinaire dans le domaine de la politique extérieure comme dans celui de l'économie intérieure.

Jusqu'à maintenant toutes nos sources relevaient presque exclusivement l'activité politique de Philadelphe: donc, rien d'étonnant si les études basées sur des sources plus anciennes devaient s'occuper en premier lieu de ce côté de son activité. La silhouette de Philadelphe, tracée ci-après dans mon essai, s'appuie sur la correspondance de Zénon publiée en partie par la *Società Italiana per la ricerca dei papiri greci e latini*, et en partie sur les papyrus publiés dans les *Annales du Service des antiquités égyptiennes*, employés déjà par M. Rostowcew dans son étude remarquable: *A large estate in Egypt in the third century B. C.*

Si Ptolémée Sôter s'était senti encore plutôt général d'Alexandre le Grand que souverain d'un état autonome, Philadelphe se sent déjà très sûr de son terrain: il considère l'état comme son propre apanage et n'hésite pas de lui consacrer tout le capital de son propre énergie et de son activité. C'était un grand bienfait pour le pays qu'il sut toujours heureusement choisir ses conseillers, ses aides et les exécuteurs de sa volonté. Voici p. ex. un ministre comme Apollonios. Abstraction faite de ses qualités personnelles, il faut relever une sorte de culte dont on entourait sa personne comme l'indique la lettre intéressante de Zoïlos à Apollonios (PSI 435): ce culte contribua énormément a la réussite de ses projets. Ou bien Zénon: voici que deux simples tisserands, en lui apprenant qu'ils se sont transportés à Philadelphie, le qualifient de la manière suivante (PSI 341): ἀκούοντες τὸ κλέος τῆς πόλεως καὶ δὲ τὸν προεστηκότα χρηστὸν καὶ δίκαιον εἶναι... Et lorsqu'une injustice est infligée aux gardiens des digues et des canaux, ils ne s'adressent à personne d'autre qu'à Zénon, en soulignant expressément que, bien qu'ils l'aient en grande estime, ils seront forcés de s'évader à cause de la situation intolérable (PSI 421).

Celui qui se donnera la peine d'approfondir l'étude de la correspondance de Zénon, comprendra aisément pourquoi Philadelphe pouvait entreprendre des oeuvres de

large envergure comme par ex. les méliorations: il verra avec surprise de quelle manière ingénieuse le roi avait su augmenter en même temps sa propre fortune et celle de l'état; il sera plein d'admiration pour cet homme qui s'était rendu maître du commerce peu facile avec les Grecs sur le terrain de l'Égypte et qui avait résolu très prudemment la question des clérouques. Toute cette activité est difficile de comprendre. Ce n'est qu'après avoir pénétré le sens de chaque mot, de chaque phrase que nous pouvons nous rendre compte de l'immensité du travail accompli. Les papyrus de Zénon nous montrent Philadelphe comme organisateur des rapports nationaux de son état, de la vie économique, comme mercantiliste, comme administrateur remarquable et, enfin, comme éducateur de la société égyptienne.

1. Ptolémée Philadelphe comme régulateur des rapports nationaux. Ce qui contribue singulièrement à la caractéristique de Philadelphe, c'est son rôle dans le rapport des Grecs habitants son état avec le reste du peuple. Au fond de ce rapport subsiste, à vrai dire, une difficulté sérieuse: voici que l'élite du milieu dont il fait partie, est un élément d'une civilisation supérieure, un élément auquel les Ptolémées doivent leur trône: toute leur bureaucratie et les appuis de leur trône se recrutent de cet élément envers lequel ils devaient ressentir une vive gratitude qu'ils devaient combler de bienfaits et de privilèges les plus larges. Mais d'autre côté, c'était un élément extrêmement intelligent et, par conséquent, doué d'un sens critique très fin, impulsif de nature et très inquiet, surtout en ce qui concerne les Alexandrins. Les Ptolémées sentaient instinctivement que les Grecs et surtout ceux qui étaient rassemblés dans les villes, seraient une menace perpétuelle pour leur puissance.

Quelle est donc l'issue de cette situation délicate? Comment faut-il procéder avec la population grecque en Égypte?

Sôter comme Philadelphe se rendaient très bien compte que l'existence de l'état ne saurait être appuyée sur la population autochtone, et l'unique rôle de cette population privée de tous les droits était de travailler par contrainte au profit des classes privilégiées. Plus tard l'expérience prouva qu'ils avaient bien raison. Les Égyptiens ne pouvaient pas oublier que les Grecs et les souverains de leur dynastie étaient des

étrangers qu'il fallait traiter en ennemis. Les Ptolémées ne voyaient donc pas d'autre appui pour leur trône que les Grecs. Et c'est d'une manière très conséquente et très systématique qu'ils devaient procéder pour que les Grecs pussent se sentir en Égypte comme chez eux, et qu'ils fussent rattachés à l'Égypte par des liens durables. Ce problème était d'un double aspect: d'un côté il y avait la nécessité de rattacher les Grecs de l'Alexandrie avec Alexandrie, de l'autre la nécessité de rattacher les Grecs de la province avec la province.

La correspondance de Zénon nous apprend en partie comment les Ptolémées avaient résolu ce problème. Elle montre, comment Apollonios s'efforçait de créer la suprématie commerciale d'Alexandrie et des marchands alexandrins sur la Méditerranée: il est un des premiers importateurs et exportateurs d'Alexandrie, un de ces marchands dont la concurrence avec les Athéniens, les Rhodiens et les Milésiens avait remporté un plein succès.

Les Ptolémées entravaient peu l'action organisatrice des nauclères alexandrins. Le fait que les inscriptions mentionnent seulement des nauclères alexandrins, prouve que le commerce extérieur était dans le pouvoir non de l'état, mais de personnes privées dans le genre d'Apollonios. C'est ainsi que ces hommes, tout en servant l'état, travaillaient pour leur propre profit et formaient lentement une classe riche et influente. Grâce à leur politique sage avec les Grecs, les Ptolémées remportèrent encore un autre succès: en remettant à la population grecque tout le commerce de gros, toute la grande et la petite propriété et, enfin, tous les honneurs et tout le pouvoir, ils assuraient à cette partie de la société le bien-être matériel et, par conséquent, le contentement.

Quel en fut le résultat? En créant le bien-être matériel, les Ptolémées écartaient en même temps le désir d'une intervention active dans la politique et le moyen de provoquer des ferments sociaux, dangereux pour le roi et pour son système. Qui sait, si ce ne sont pas précisément les Grecs de Philadelphie qui donnent une affirmation éloquente de la justesse de la politique en question. Lorsqu'on regarde de près ces Grecs qui se groupent autour de la personne d'Apollonios, on s'aperçoit aussitôt comme ils sont différents. Ils travaillent pour la plupart pour leur propre avantage, afin de gagner une

une position sûre et profitable, une vie agréable et exempte de soucis.

Quel paradoxe! Les Grecs, politiques nés, oublient en Égypte leurs usages les plus chers. Ils ne manifestent aucun intérêt pour les affaires politiques du monde, dans le temps où leurs villes-mères jouent encore un rôle actif dans la politique. Dans la correspondance de Zénon, pas un seul mot sur la politique ou bien sur quelque chose qui dépasse les affaires de nature purement commerciale.

2. Philadelphe comme organisateur de la vie économique. Ce caractère du roi s'exprime parfaitement dans son principe chéri que le but sanctifie les moyens. L'un de ces buts importants, c'était d'accomplir de larges méliorations pour conquérir de plus grands terrains pour la culture de blé. Il faut avouer que, pour arriver à ce but, Philadelphe n'hésite pas d'appuyer son oeuvre sur des bases pas tout à fait irréprochables au point de vue moral. Je pense ici surtout à l'accumulation des intérêts publics et privés dans un seul pouvoir — dont la conséquence directe est que ces intérêts s'entrepénètrent dans un engrénage très compliqué, et que parfois il est très difficile de trouver les limites qui séparent l'intérêt public de l'intérêt privé. Ce fait est parfaitement mis en lumière par le rapport de Philadelphe avec son ministre Apollonios dont le fond ne fut pas toujours très moral. Nous apprenons p. ex. que les employés d'Apollonios qui travaillent dans son intérêt en Syrie, exploitent la haute position de leur maître. Ils cultivaient avec une prédilection particulière le commerce d'articles défendus comme les baumes syriens et les esclaves dont l'importation en Égypte était défendue. C'est pourquoi leurs ennemis les plus acharnés se recrutaient d'entre les fermiers de douane, sans nul doute également sujets d'Apollonios.

C'étaient, à coup sûr, des affaires privées d'Apollonios, et sans aucun rapport avec sa situation officielle. Mais voici que, soudain, se présente la question, pourquoi le roi souffrait une pareille combinaison d'intérêts publics et privés? M. Rostowcew suppose que Philadelphe n'avait rien contre une pareille combinaison, car, lui-même, il était en même temps roi et marchand — marchand en gros, qui ne pouvait pas dédaigner l'initiative et l'aide matérielle et morale des entrepreneurs et des capitalistes. C'est ainsi que le commerce extérieur

était impossible sans le secours des Grecs, marchands et marins nés. Sans doute, Apollonios fraudait le trésor, mais sans des hommes comme Apollonios l'Égypte n'aurait pas pu développer son commerce mondial.

Après l'*organisation du commerce extérieur*, la conquête de terrains incultes pour la culture de blé était pour l'Égypte une question de premier ordre. Et c'est grâce à une organisation savante de travaux sur le terrain de 10.000 aroures de la propriété d'Apollonios que les entourages de Philadelphie furent changés en une terre bien cultivée. Cependant, c'était autrefois un terrain ou bien aride et désert, ou bien couvert de marécages et plein d'ajoncs, et qui n'était arrosé resp. drainé qu'en une partie très médiocre.

Nous comprendrons maintenant, comment Philadelphe, tout en accomplissant une oeuvre si importante, pouvait faire des progrès: il donnait à ses meilleurs collaborateurs et qui en même temps, étaient de hauts fonctionnaires d'état de vastes terrains. Seule la machine bureaucratique n'aurait pas su accomplir une oeuvre si gigantesque. Ici, il fallait combiner les efforts privés avec les moyens qui étaient à la disposition de l'état. Et cette collaboration ne pouvait aboutir à des résultats que sous cette condition qu'on chargeât de ce travail des hommes comme Apollonios. Des hommes pareils travaillaient *non seulement pour* l'état, *mais aussi pour* leur propre compte dans l'espoir de s'enrichir et ils exposaient leurs capitaux et leur travail sans trop de risque. Et voici la genèse de l'institution, appelée δωρεαί. Mais c'est aussi la raison, pourquoi les Ptolémées regardaient cette raison de faire avec beaucoup d'indulgence. Cependant, il est difficile de nier que cette politique qui rattachait si étroitement les intérêts de l'état avec les intérêts privés devait avoir une influence démoralisatrice sur les employés. Donc, comment s'étonner que le niveau moral des employés, comme le témoignent les papyrus, était fort médiocre, que les abus étaient extrêmement fréquents, que les employés vivaient sous le coup d'une crainte perpétuelle devant un contrôle, que jamais les souverains n'essayaient d'appeler à la conscience ou au sentiment de devoir de leurs sujets? Il est vrai que les intérêts supérieurs de la politique intérieure et extérieure exigeaient qu'on attirât des hommes comme Apollonios. Il n'y a donc rien de surprenant que tout en considérant des avanta-

ges si sérieux, le roi fût plein d'indulgence et que souvent il passait sous silence une politique fondée sur des bases immorales. Peu importe donc de se demander, comme le fait M. Rostowcew, si et pourquoi le roi permettait une union si étroite des intérêts publics et privés dans la main du ministre.

Si les arguments cités plus haut ne suffisent pas, il y a encore un autre: c'est la toute-puissance du roi qui n'est responsable devant personne, qui voit dans l'état son propre apanage, et qui, par conséquent, a ses propres intérêts dans lesquels personne n'a le droit d'interférer.

Cependant, il faut juger le rapport entre Philadelphe et Apollonios d'une manière toute spéciale. Il résulte de la correspondance de Zénon que Philadelphe et Apollonios étaient des amis très intimes et qui avaient beaucoup d'indulgence pour leurs 'transgressions' mutuelles.

Mais revenons au sujet. Puisque l'organisation ancien de l'Égypte avait été détruite par les révolutions, les luttes nationales et l'anarchie, les Ptolémées se trouvèrent en face d'une nécessité immédiate de restaurer la vie économique du pays. Toutefois une simple restauration de l'ancienne politique était devenue impossible, car avec les Ptolémées un nouvel élément s'était introduit em Égypte: les Grecs. Ceux-ci avaient apporté leurs propres coutumes et usages, leurs propres besoins, ils prétendaient au rôle de la classe dominante. Par conséquent, les 15 ans de la collaboration du roi avec Apollonios étaient en même temps une période d'un travail énergique dans un domaine en partie nouveau. Son point central, c'était l'hellénisation de l'administration et de la vie économique en ce qui touchait leur forme extérieure: car leur essence même ne pouvait pas évidemment subir une modification quelconque; et même, on n'avait pas l'intention de la modifier ou de l'helléniser.

Ptolémée avait hérité des Pharaons une administration admirablement organisée avec une base économique très unie. L'idée centrale de l'empire égyptien avant l'époque hellénistique était une coordination très rigoureuse des efforts économiques de toute la nation pour assurer à chaque membre de la société et, par conséquent, à toute la société le maximum possible de bonheur. Cette coordination était créé par le roi qui s'inspirait de la volonté des dieux; c'est pourquoi le roi et ses fonctionnaires étaient les véritables souverains

de l'Égypte et qu'aucune critique ou aucun contrôle n'aurait pu les atteindre. Les Ptolémées firent leur l'idée susdite, puisque c'était le moyen le plus facile de gouverner l'Égypte et puisqu'elle était en plein accord avec le caractère personnel du gouvernement des Ptolémées qui ne voyaient dans l'Égypte qu'une grande propriété privée. Par conséquent, ils restituèrent l'ancien système de l'administration personnelle et bureaucratique de l'Égypte en accentuant le point de vue économique qui concentrait tout le pouvoir dans les mains du nouveau souverain et de ses fonctionnaires. Le roi, identique avec l'état, formait le centre de la vie publique; c'est pour lui et par lui que travaillait tout le mécanisme de la vie économique.

3. Ptolémée Philadelphe comme mercantiliste. L'hypothèse, que les Ptolémées se servaient du principe mercantiliste, timidement esquissée par M. Wilcken dans ses *Grundzüge* et développée ensuite dans *Schmollers Jahrbuch* XLV 2, trouve une affirmation éclatante dans la correspondance de Zénon. Je renvoie le lecteur à mon article *Le mercantilisme des Ptolémées* (Eos XXVI p. 72 ss.) et, ici, je me contente de constater que la correspondance de Zénon apporta à ce problème des précisions importantes.

L'un des principes de la politique marcantiliste, c'est la limitation de l'importation pour hausser la valeur des produits du pays, même alors, s'ils sont d'une qualité pire. Evidemment, si la société de l'Égypte ptoléméenne avait été plus éclairée et plus patriotique, la réalisation de ce principe n'aurait pas présenté de trop grandes difficultés. Mais, puisque dans ces temps-là c'était un rêve irréalisable et que même, au contraire, il fallait prendre en considération la mentalité orientale de l'Égyptien qui savait éluder avec beaucoup d'esprit les lois et les ordres, Philadelphe, comme pédagogue de son peuple, voulut d'un côté réaliser tous ses principes, mais de l'autre, ne point induire son peuple en tentation. Dans ce but il se servit d'une tactique originale dont deux détails nous sont connus grâce à la correspondance de Zénon: I. nous apprenons que, pour obvier à l'importation des vins étrangers et surtout des vins grecs, beaucoup meilleurs que les égyptiens, Philadelphe fait greffer les meilleures espèces de ceps sur le terrain grec (cf. PSI 413); II. puisque la laine

des moutons indigènes n'était pas de qualité supérieure, il importe en Égypte la célèbre race milésienne et arabe et même il prend en Égypte des pâtres arabes pour leur élevage (cf. PSI 367 et 377).

4. Ptolémée Philadelphe comme organisateur ingénieux de l'administration. La correspondance de Zénon nous a appris un détail très important et très curieux de la politique intérieure de Philadelphe: la donation sous la dénomination de δωρεά de 10.000 aroures sur le territoire d'un village ne se bornait pas, comme on s'est aperçu, à une simple donation de terrain, mais elle indiquait en même temps que le village passait sous le pouvoir administratif du possesseur de la δωρεά. Dans le rapport avec les villages voisins et leurs habitants le propriétaire de la δωρεά représente l'état dans le sens d'une administration locale. Lui-même, il réunit dans sa main les devoirs et les droits d'un cômarque et d'un cômogrammateus, même peut-être ceux d'un toparche et de son sécrétaire: comme eux, il possède seulement le pouvoir administratif et non le pouvoir judiciaire. Il est responsable devant l'état pour la population dans le domaine des impôts, de l'ordre public et du travail obligatoire; en un mot, il répond pour l'administration convenable de son village comme de l'administration de sa propriété.

Nous en avons la preuve dans le fait que Zénon est le chef du pouvoir administratif rural (cf. PSI 366): en outre il répond pour différentes catégories de travail obligatoire comme l'enregistrement des hommes appartenants à la classe des ὑποτελεῖς, pour les impôts dus à l'état de la part des habitants du village. Les δωρεαί représentent donc des unités administratives spéciales dans le circuit des arrondissements. Cependant, il est curieux qu'en outre il y avait des fonctionnaires ruraux ordinaires, comme le prouve le document publié par M. Rostowcew (p. 174): mais pour délimiter leurs compétences, il faut attendre le moment de la découverte de nouveaux documents. En tout cas, nous avons ici un exemple curieux du dualisme des pouvoirs administratifs dans le circuit d'un district — donc quelque chose qu'on pourrait comparer, mutatis mutandis, au dualisme semblable de l'ancienne Galicie et de la Bucovine où, sur le terrain du même district, les fonctions administratives étaient remplies par la commune et par le propriétaire.

La donation de vastes terrains avec certains droits sur la population était en parfait accord avec le système des Ptolémées. La δωρεά était donc une combinaison de la donation d'un terrain exceptionnellement vaste avec certains droits sur la population et sur le territoire d'un ou de plusieurs villages. Et ce n'est que maintenant que le sens du terme δωρεά nous est devenu parfaitement clair.

En remettant à des hommes comme Apollonios et Zénon le pouvoir administratif sur la population, les Ptolémées avaient pour but de mettre à leur disposition un grand nombre d'hommes dont ils pourraient se servir dans l'exécution de grandes entreprises et à l'aide desquels ils pourraient attirer de nouveaux colons. Puis le rôle qu'ils étaient appelés de jouer comme contrôleurs et fermiers généraux des droits publics, leur permettait de créer dans les villages de nouvelles sources de revenues, d'introduire successivement de nouvelles branches de commerce et d'industrie, en un mot, de développer jusqu'au plus haut degré la vie économique du village. Par conséquent, les δωρεαί étaient une sorte de restauration administrative dans certaines parties de l'Égypte, en vue de réveiller la vie économique dans ces districts. Comme telle cette institution était nécessairement temporelle, passagère: du moment que le terrain était rendu apte à la culture, il n'y avait plus besoin de si grands commissionnaires comme Apollonios et dès lors les δωρεαί perdirent toute raison d'existence.

5. Philadelphe comme éducateur de son peuple. Un très grand nombre de colons grecs était dispersé dans tout le pays; pour les rattacher à la terre, on imaginait des plans toujours nouveaux qui octroyaient à la population grecque une part importante dans l'exploitation économique du pays, surtout dans l'exploitation de ses richesses naturelles. La correspondance de Zénon nous permet de pénétrer jusqu'à fond les moyens appliqués par les Ptolémées pour que la population grecque servît avec conviction les intérêts publics.

La partie la plus nombreuse de l'élément grec constituaient les soldats de l'armée ptoléméenne — grecs ou demi-grecs. Durant la paix cette armée formait une foule de fainéants qui pouvaient être dangereux pour la puissance des Ptolémées. Mais il aurait été imprudent et même impossible de congédier les soldats après chaque guerre et de les enrôler avant chaque nouvelle entreprise hostile. Comment donc

résoudre ce probème au point de vue pratique, c.-à-d. comment enrayer la fainéantise des soldats en leur fournissant une occupation durable?

Lorsque Philadelphe chercha, à grand effort, une solution de ce difficile problème, il trouva un secours inattendu dans son programme agraire qu'il s'était tracé; celui-ci se présentait de la manière suivante: un arrosage intense, exécuté par les ingénieurs, procurait à la culture des milliers d'aroures de terre fertile. Ce terrain qui permettait une exploitation agricole, devait être cultivé immédiatement. Or ceci était impossible pour les clérouques qui n'avaient ni bétail ni outils agricoles, ni enfin d'expériences et qui, en outre, pouvaient être à chaque moment convoqués au service militaire. Pour cultiver donc un terrain pareil immédiatement, il fallait engager au travail les βασιλικοὶ γεωργοί des arrondissements où la population était trop dense, comme émigrants, volontaires ou contraints, et les rendre responsables de la culture du terrain. Ensuite on distribuait aussi aux clérouques un terrain défriché par les βασιλικοὶ γεωργοί.

Pourtant c'est une question douteuse si tout le terrain qui était dans la possession des clérouques avait été cultivé par les βασιλικοὶ γεωργοί. S'il était ainsi, comment expliquer l'accroissement immense du nombre des vignes, des jardins d'oliviers et des vergers sur les parcelles des propriétaires militaires? Comment expliquer qu'ils devaient payer pour l'arrosage supplémentaire adjugé à leurs terrains? Ces faits ne sauraient s'expliquer qu'en admettant l'hypothèse que le territoire du colon militaire se composait en partie de terre labourable et réellement cultivée et en partie de terrains qui, à vrai dire, n'étaient pas propres à la culture des blés, mais qui, grâce à l'arrosage, pouvaient être transformés en terre excellente pour la culture de la vigne, pour des vergers et des jardins de légumes.

L'histoire de la donation d'Apollonios le prouve très clairement: elle est, mutatis mutandis, l'histoire de chaque partage assigné à un clérouque. Les soldats étaient, pour la plupart, bien aises de recevoir des fonds de terrains; ceux qui étaient plus économes et qui, durant leur service militaire, avaient fait quelques épargnes, employaient maintenant tout leur capital à la construction d'une maison, à l'établissement

d'un jardin ou d'une vigne, à l'achat du bétail — en un mot, à l'administration de leur terroir. Ce n'est qu'alors qu'ils pouvaient être convoqués au service militaire et pendant leur absence leurs femmes et leurs enfants pouvaient rester et cultiver la terre. Les terrains distribués aux clérouques étaient pour sûr une sorte de solde en nature. Mais, en même temps, c'était une sorte d'école, une occasion de choisir entre les soldats ceux qui s'adaptassent à l'agriculture. Leur intérêt l'exigeait d'administrer le terrain d'une manière convenable; les vignes, la maison, le jardin devenaient la propriété héréditaire des clérouques qui ne pouvait pas être ravie. Il faut souligner ce fait que dans l'histoire de la transformation des parcelles en propriétés privées héréditaires les considérations économiques jouaient un rôle prépondérant. Les bons métayers ne pouvaient pas être privés de leurs revenus pour le profit des soldats vagabonds. D'autre côté, la transformation des parcelles en propriété privée ne permettait d'assigner aux nouveaux soldats que des terrains qui pour une raison quelconque étaient en partie ou même entièrement improductifs. Et c'est la cause pourquoi au II[e] siècle av. J.-C. les terrains improductifs étaient presque exclusivement assignés aux colons militaires. Cependant le but de ces donations était resté le même: de donner aux soldats un dédommagement de leur solde, de leur permettre de s'établir, de fonder une famille et un foyer.

Par le système des fermages assignés par l'état et par les concessions publiques, les Ptolémées créèrent une propriété économique pour les colons militaires. Ils développèrent ce système d'une manière très logique. Au temps de Philadelphe presque aucune branche de la vie économique n'était exclue pour les fermiers: ils entraient dans le domaine de l'agriculture comme fermiers des impôts payés par les βασιλικοὶ γεωργοί qui, à leur tour, travaillaient comme fermiers des grands propriétaires. Ce système changeait selon les conditions de différentes branches de commerce, mais il restait toujours, dans ses grandes lignes, identique: il trouvait une formulation dans les ordres généraux concernant les fermages des revenus. Presque chaque branche de l'activité productive de la population était organisée comme concession publique (ὠνή) et dirigée par des entrepreneurs spéciaux qui travaillaient dans un contact très étroit avec les employés. Car le produit,

perçu par l'état, devait être échangé en argent, ce qui, en Égypte, était plus difficile, car la monnaie y était en général rare. Par conséquent, il était plus facile de recevoir des concessionnaires le cens en nature qu'en argent comptant. Donc, pour avoir de l'argent comptant, on choisit un système de fermage général des revenus qui échangeait le produit en monnaie et procurait à l'état de l'argent.

Mais précisément les grands fermiers des revenus n'étaient pas assez riches pour pouvoir s'en occuper personnellement. On inventa alors le système ingénieux d'assigner des concessions spéciales pour la vente des produits publics. On assignait à des concessionnaires spéciaux dans le circuit d'un district le droit de vendre des produits comme huile, vin, sel fromage, pain, viande fraîche et salée, poissons, bierre, lentilles cuites, graines de potirons cuites, etc. Ils achetaient ces produits en partie chez les fermiers des revenus, en partie chez le peuple, pour les revendre ensuite à leurs clients en retenant seulement une partie du gain. Puisque ces hommes avaient le monopole de la vente de produits spéciaux et que, par conséquent, ils n'avaient pas de concurrence, ils etaient les marchands uniques pour la partie prépondérante de produits agricoles de bétail et de légumes à côté des marchands en gros d'Alexandrie.

C'est ainsi que comme éducateur Philadelphe avait enseigné son peuple:

1. de ne pas perdre la moindre parcelle de terrain,
2. de placer avantageusement ses économies,
3. de ne pas gaspiller le temps.

Si l'on pouvait démontrer en outre ce que M. Schnebel suppose dans son livre intitulé *Die Landwirtschaft im hellenistischen Aegypten* (p. 149 ss.) — que Philadelphe avait crée le système de la double récolte par an, donc un système de la plus grande exploitation de la terre — nous aurions une preuve en plus qu'il enseignait son peuple, comment grâce à un effort peu considérable on peut obtenir un double résultat.

En résumant tout ce que la science doit à la récente découverte, nous pouvons dire que comme Homère avait donné une forme réelle et des traits individuels aux vagues silhouettes des dieux grecs, de même la correspondance de Zénon a mis en relief et nous a montré en pleine lumière la personnalité de Philadelphe.

ΚΕΣΤΟΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ

Baltei Venerei historiam olim conscripsi (*Pas czarowny* in ephem. *Lud* Ser. II tom. III 1925, p. 1—10) ad nostra fere tempora deducens. Eis quae illic exposui, pauca nunc libet adicere. Scilicet ignoravi tum, cum dissertationem ederem, ante me v. cl. Bachofenum (*Die Sage von Tanaquil*, Heidelberg 1870, 55) eiusdem baltei proposuisse historiam eamque toto caelo diversam: quam mea multis numeris inferiorem et ut quod sentio libere dicam, omnino gratuitam et vere Bachofenianam paucis describam. Putat enim auctor ceston fuisse primitus in Oriente stellati symbolum firmamenti, quandam rerum universitatis zonam, proptereaque deorum ornavisse imagines, ut caelestem eorum vim indicaret. Ex Oriente symbolum hoc in Italiam Graeciamque illatum pro populorum charactere depravabatur, ita ut Itali medicinalem, Graeci vero eroticam vim symbolo substituerent caelesti. Certe his nugis multo saniora docuit is qui ante Bachofenum ex professo antiquorum illustravit symbola, K. Schwenck (*Die Sinnbilder der alten Völker*, Frankfurt 1851, 182), et egregie vestimenti naturam explicavit.

At missas faciamus philologorum elucubrationes et ad poetas nos convertamus qui Veneris baltei ad nostra perpetuarunt tempora. Eadem quae Claudianus de eo praedicant saepenumero *Dionysiaca* Nonni: scil. inter magica instrumenta tum temporis celebrata balteum fuisse et praecipuum et maxime insigne. Agnoscis hic aetatis ut quam maxime superstitiosae doctrinam magicam carminibus expressam.

Graviora sunt omissa ad recentiora tempora spectantia. Edmundus enim Spenser suam de Veneris balteo fabulam non solum ex antiquis, verum et ex recentioribus finxit inque primis, ut mea est opinio, secutus est Torquatum Tassum (*Gerusal. Liberata* XVI 24. 25) qui Armidam incantatricem Venereo ornavit balteo. Saeculo XVIII Godofredus Bürger praeclaro poematio cui inscripsit amasiae nomen (*An Molly, Gedichte* ed. Hempel, p. 162) Homericum interpretatus est figmentum pro suo modulo ibique balteum — si quid ex eius versibus enucleo — declarat esse ipsum incitamentum venereum, profecto idem quod his diebus Americani summam feminae proclamant dotem, dictam ab eis *sex appeal*, qua mares attrahat sibique subiciat:

...Nicht Jugendreiz, der bald verblühet,
Es ist die ewige Magie
Des Gürtels, den dir Venus lieh,
Der so die Herzen an sich ziehet.

DE NONNULLIS LOCIS *RERUM GESTARUM DIVI AUGUSTI*

scripsit
HIERONYMUS MARKOWSKI

Ducentis septuaginta fere fragmentis exemplaris *Rerum Gestarum Divi Augusti*, in ruderibus Antiochiae Pisidiae sive Coloniae Caesareae a William Mitchell Ramsayo annis 1914, 1924, 1925, 1926 inventis et ab eo Antonioque Premerstein anno 1927 publici iuris factis (= R. et P.) novum testem Latini textus *Rerum Gestarum* maximique pretii subsidium textus Ancyrani examinandi ac restituendi suppeditatum esse summo gaudio salutandum est. Praecipue quod in lacunis monumenti Ancyrani ope fragmentorum Antiochenorum textus sexaginta fere locis certe aut probabiliter, magnam partem rectius quam adhuc, suppleri potest, haud exiguum est emolumentum.

Tamen non pauci loci textus Latini monumentorum Ancyrani Antiochenique et textus Graeci Ancyrani dubii manserunt. Ex quibus nonnullos gravioris momenti retractare haud superfluum erit.

Litterae in monumento Ancyrano servatae formis maiusculis tenuioribus, litterae fragmentorum Antiochenorum formis maiusculis pinguibus, litterae suppletae formis minusculis *inclinatis* significabuntur [1]).

[1]) Conspectus siglorum saepius abhibitorum: Editiones: *Res gestae divi Augusti.* Ex monumentis Ancyrano et Apolloniensi ed. Th. Mommsen, Berolini 1865 — etiam in CIL III (= Mommsen[1]). — *Res gestae divi Augusti.* Ex monumentis Ancyrano et Apolloniensi iterum ed. Th. Mommsen — accedunt tabulae undecim — Berolini 1883 (= Mommsen[2]). — *Augusti rerum a se gestarum indicem* cum Graeca metaphrasi ed. Th. Bergk, Gottingae 1873 (= Bergk). — *Inscriptiones Graecae ad res Romanas pertinentes* ed. P. Cagnat et G. Lafaye III 1, Parisiis 1902 p. 65—95 nr. 159 (= Cagn.). — *Imperatoris Caesaris Augusti Operum fragmenta* collegit recensuit, praefata est, appendicem criticam addidit Henrica Malcovati, Augustae Taurinorum 1919 (= Malc.). — *Res gestae divi Augusti.* Das Monumentum Ancyranum herausg. und erkl. von E. Diehl, 4. vermehrte Aufl., Bonn 1925 [Kleine Texte für Vorlesungen und Übungen, hrsg. v. H. Lietzmann, 29/30] (= Diehl). — *Monumentum Antiochenum.* Die neugefundene Aufzeichnung der Res Gestae Divi Augusti im Pisidischen Antiochia, hrsg. u. erläutert von William Mitchell Ramsay und Anton von Premerstein Mit 15 Tafeln. Klio, Beiheft XIX (Neue Folge. Heft VI), Leipzig 1927 (= R. et P.).

Libri alii et commentationes: E. Bormann, Bemerkungen zum schriftlichen Nachlasse des Kaisers Augustus. Jahresbericht des Rectors der Universität Marburg, 1884 (= Bormann). — V. Gardthausen, Augustus und seine Zeit, Leipzig I 1891, II 1896, III 1904 (= Gardthausen). — R. Wirtz, Ergänzungs- und Verbesserungsvorschläge zum Monumentum Ancyranum. Jahresbericht über das Schuljahr 1911/12, Trier 1912 (= Wirtz). — E. Kornemann, Mausoleum und Tatenbericht des Augustus, Leipzig-Berlin 1921 (= Kornemann).

I

In c. 1 I 5 = *Mon. Ant.* c. 1, 6 ad adverbium, quod in hoc versu ab Augusto positum erat, recte reciperandum ordo decretorum senatus respiciendus est. Caesar enim, postquam Cicero Kal. Ian. anni 711/43 in *or. Phil.* V 17, 46 censuit decernendum *senatui placere, C. Caesarem, C. filium, pontificem, pro praetore, senatorem esse sententiamque loco praetorio dicere,* et postquam senatus per triduum deliberavit, id quod tradunt Cicero (in *or. Phil.* VI 1, 3 *haec sententia... per triduum valuit)* et Dio (XLVI 29, 2 τῇ δ' οὖν ὑστεραίᾳ καὶ τῇ τρίτῃ πολλῶν καὶ ἄλλων ἐφ' ἑκάτερα λεχθέντων ἐκράτησαν οἱ τὰ τοῦ Καίσαρος πράττοντες), a. d. III Non. Ian. (= 3 I), non, ut Mommsen[2] p. 3 affirmat, *postero die* (= 1 I), in ordinem senatorium loco quaestorio adlectus est, id quod refert Dio XLVI 29, 2 τὸ βουλεύειν ἐν τοῖς τεταμιευκόσι. Locum consularem sententiae dicendae ei datum esse post pugnam Mutinensem, probabiliter mense Iunio, testatur Dio XLVI 41, 3... ὥστε καὶ γνώμην ἐν τοῖς ὑπατευκόσιν ἤδη τίθεσθαι. Neque auctor *Livii Epit.* (CXVIII *C. Caesari... pro praetore imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis, adiectumque, ut senator esset)* neque Appianus *(B. c.* III 51, 209 γνώμην αὐτὸν ἐσφέρειν ἐν τοῖς ὑπατικοῖς ἤδη) ordinem decretorum senatus tam accurate narrant quam Dio l. l. Utique Caesar consularem locum sententiae dicendae non simul cum dignitate senatoria, sed aliquo spatio intermisso assecutus est. Ad quod spatium exprimendum adverbium temporis aptum, e. gr. *dein,* Graece εἶτα, ponendum videtur. Etiam de adverbiis modi idoneis cogitari potest, ab Augusto fortasse usurpatis ad repellendum crimen, quod ei adversarii teste Tacito *(Ann.* I 10 *extortum invito senatu consulatum)* obiciebant, e. *gr. ultro,* Graece ἔτι. Quae adverbia in textibus et Latino et Graeco spatiis lacunarum admittuntur. *Dein* adverbio recepto verbis **d***icendae* **dein d***ans* παρήχησις efficitur; cuius ornamenti orationis Augustum sectatorem fuisse interdum verba eius ostendunt, e. gr. servata apud Suetonium, *Aug.* 28: *Ita mihi* **s***alvam ac* **s***ospitem rem publicam* **s***istere in* **s***ua* **s***ede liceat.* Itaque versibus modo monumenti Antiocheni distributis scribendum videtur:

c. 1, 5 **C**]ON[*sula-*]
6 **REM**·LOCVM S[*ententiae dicendae dein dans et i***M**]**PERIVM...
Graece c. 1, 1, 6—7: ἐν τῇ τάξει τῶν ὑπατ[ικῶ]ν | [εἶτα τ]ὸ σ[υμβου]λεύειν [δοῦσα ῥάβδου[ς] τέμοι...

vel: r. l. s[*ententiae dicendae ultro dans et i***M**]**PE**RIVM...,
Graece: ἐν τῇ τάξει τῶν ὑπατ[ικῶ]ν | [ἔτι τ]ὸ σ[υμβού]λεύειν...

Si *simul*, adverbium a Mommseno[2] insertum, Graece ἅμα a Wilamowitzio commendatum, a Mommseno[2] p. 3 probatum, retinetur, Augusto mendacium aut indiligentia sine causis necessariis supponitur. Mommsen[1] scripserat: *c]on[sula] | rem locum [mihi tribuens. Item eodem tempore imp]erium...*, Bormann p. 15* probat: *mihi tribuens* vel *tribuens;* Kornemann p. 34 proponit: *s[ententiae dicendae tribuens, et im]perium...* vel *pro-tribuens: mihi dans.*

II

In c. 1 I 6—7 = *Mon. Ant.* c. 1, 7—8 contextus Latinus lacer ope contextus Graeci Ancyrani, item mutili, nunc etiam fragmentorum Antiochenorum c. *1 h, i, k* reficiendus est. Contextus Graecus Ancyranus suppletus hic est:

c. 1, 1, 8 [Περ]ὶ τὰ δημόσια πράγματα, μή τι βλαβῇ, ἐμοὶ με-
9 [τὰ τῶν ὑπά]των προνοεῖν ἐπέτρεψεν ἀντὶ στρατηγο[ῦ]
10 [ἡ βουλή. Ὁ δ]ὲ δ[ῆ]μος....

Ad lacunam in initio versus 10 explendam scribunt: Mommsen[1]: [ἡ σύνκλητος. Ὁ δὲ δῆ]μος..., Bergk: [Ὁμοίως δὲ ὁ δῆ]μος..., Mommsen[2]: [.....Ὁ δ]ὲ δ[ῆ]μος..., Cagn., Diehl, Malc.: <ὄντι. § Ὁ δ>ὲ δ<ῆ>μος..., quod probant R. et P. p. 42.

Senatus consulta, ad quae Augustus provocat, facta sunt posterius quam a. d. III. Non. Ian. anni 711/43 auctore Cicerone *(or. Phil.* V 12, 34 *consulibus totam rem publicam commendandam censeo iisque permittendum, ut rem publicam defendant provideantque, ne quid res publica detrimenti accipiat,* et V 16, 45 *demus igitur imperium Caesari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest: sit pro praetore...).* Commemorant ea Velleius (II 61, 3 *eum senatus... pro praetore una cum consulibus designatis Hirtio et Pansa bellum cum Antonio gerere iussit)* et Suetonius (*Aug.* 10, 3) et Appianus *(B. c.* III 51 ἐψηφίσαντο... τοῖς ὑπάτοις Ἱρτίῳ καὶ Πάνσᾳ Καίσαρα συστρατηγεῖν, οὗ νῦν ἔχει στρατοῦ) et Dio XLVI 29, 5 ὕστερον δὲ οὐ πολλῷ τόν τε πόλεμον τὸν πρὸς αὐτὸν καὶ τοῖς ὑπάτοις καὶ τῷ Καίσαρι, στρατηγοῦ τινα ἀρχὴν ὄντες, προσέταξαν et XLVI 31, 2 τῷ τε Ἀντωνίῳ τὸν πόλεμον πάλιν ἐπήγγειλαν... τοῖς ὑπάτοις τὴν φυλακὴν τῆς πόλεως ἐπέτρεψαν, ἐκεῖνο δὴ τὸ εἰθισμένον τῷ δόγματι προσγράψαντες, τὸ μηδὲν ἀπ' αὐτῆς ἀποτριβῆναι).

Verbo ἐπιτρέπειν aptissime respondet *mandare*, quod coniungitur et cum dativo et cum praepositione *ad*. Itaque ex ἐμοὶ... προνοεῖν ἐπέτρεψεν reponendum videtur: *ad me... providendum mandavit*. Vocabulum mandandi hoc loco adhibitum esse probari videtur verbis Suetonii, *Aug.* 10, 3: *demandatum bellum tertio mense confecit duobus proeliis*.

Cum *populus*, subiectum enuntiati sequentis, subiecto antecedentis acriter opponatur, hoc subiectum, id est *senatus*, in contextu Graeco propter spatium: ἡ βουλή, desideratur et exspectatur. In monumentis Ancyranis et Latino et Graeco nec non in Antiocheno spatium huic subiecto sufficiens exstat.

Totus igitur locus ratione fragmentorum Antiochenorum habita sic restituendus videtur:

c. 1, 7 . . . . . RÉS·PVBLICA· N[*e quod caperet da***MNV***m, senatus ad* **MÉ·]PRO**
8 PRAETORE· SIMVL· CVM· CONSVLIBVS· PRO[*viden***DVM** *mandavit p***OPVLVS·]**

Mandavit forma etiam ea re commendatur, quod cum *creavit*, forma extrema capitis 1, ὁμοιοτέλευτον item efficit, ut duo prima enuntiata ineuntis huius capitis in ὁμοιοτέλευτον *comparavi — vindicavi* exeunt.

R. et P. priorum coniecturis p. 42 allatis enuntiatum sic exhibent:

c. 1, 7 . . . . . RÉS· PVBLICA·· N[*e quid acciperet da***MNV***m tum a* **MÉ·]PRO**
8 PRAETORE· SIMVL· CVM· CONSVLIBVS· PRO[*viden***DVM** *censuit p***OPVLVS·]**

III

In fine capitis 1 in monumento Ancyrano post CONSTITVEND usque ad vestigia litterae ultimae 15 litterae evanuerunt. Ad hanc lacunam explendam, simul ad παρήχησιν uberiorem assequendam, collato loco Gellii *(N. A.* XIV 7, 5 *triumviros rei publicae constituendae causa creatos)* scribendum videtur:

c. 1 I 8 (= *Mon. Ant.* c. 1, 10—11) TRIVM· **VIRVM**· REI·[PVBLI
9 CAE· CONSTITVEND[*ae caussa creavit.*]

Mommsen[1] scribit: *constituend[ae in quinquennium creavit]*, Bergk: *constituend]ae in quinquennium designavit]*, Mommsen[2] ceterique editores: *constituend[ae creavit]*.

IV

In c. 2 I 1 = *mon. Ant.* c. 2, 2 ad lacunam 6 litterarum explendam et ad ὁμοιοτέλευτον cum a]CIE, extremo vocabulo huius capitis, efficiendum, collatis verbis Taciti *(Ann.* I 9 *pietate erga parentem* et I 10 *pietatem erga parentem)* scribendum videtur:

.....VLTVS· EÓRVM [*fa*]CIN[*us pie, e*]T POSTEÁ·

Graece c. 2, 1, 15 Τοὺς τὸν γονέα τὸν ἐμὸν φονεύ]σ[αν]τ[α]ς ἐξώρισα κρί-
16 [σεσιν ἐνδί]κοις τειμω[ρ]ησάμε[ν]ος αὐτῶν τὸ
17 [ἄγος εὖ κ]αὶ [με]τὰ ταῦτα...

In textu Latino scribunt Mommsen[1] et Bergk: *...eorum [scelus et p]ostea,* Mommsen[2], Cagn., R. et P.: *...eorum [fa]cin[us e]t postea,* Diehl, Malc.: *eorum <fa>cin<us, § e>t postea.* — Textum Graecum supplent Mommsen[1] [Τοὺς ἀποκτείναντας τὸν πατέρα μου] ἐξώρισα κρί-|[σεσιν ἐννόμοις τιμωρησάμενος] αὐτῶν τὸ|[ἀδίκημα καὶ με]τὰ ταῦτα, Bergk item, tantummodo ponens ἀσέβημα pro ἀδίκημα, Mommsen[2], Cagn., Diehl, Malc. [Τοὺς τὸν πατέρα τὸν ἐμὸν φο νεύ]σ[αν]τ[α]ς ἐξώρισα κρί-|[σεσιν ἐνδί]κοις τειμω[ρ]ησάμε-[ν]ος αὐτῶν τὸ [ἀσέβημα κ]αὶ [με]τὰ ταῦτα, sed Mommsen[2] in commentario p. 5 [Τοὺς τὸν πατέρα μου καταφονεύ]σ[αν]τ[α]ς...

V

In c. 3 I 13 = *Mon. Ant.* c. 3, 2 ad lacunam 6 fere litterarum in fine versus recte explendam ansam praebere videntur verba Suetonii, *Aug.* 10, 1: *Omnium bellorum initium et causam hinc sumpsit.* Augustus enim bella a se ad formam rei publicae popularem defendendam i n i t a esse praedicare vult.

In c. 3 I 14 = *Mon. Ant.* c. 3, 2 Augustus, si crimen mendacii in se admittere noluit *omnibus... civibus,* quibus se victorem pepercisse contendebat, attributum aptum addere debuit, quod cum rebus veris notisque concineret. Nam quomodo in cives alias partes secutos animadverterit, ostendunt ea, quae narrant Suetonius, *Aug.* 12 et Dio XLVIII 13, 6 de poena Nursinis imposita, vel ea, quae produnt Suetonius, *Aug.* 15 et Dio XLVIII 14, 4—5 de supplicio de Perusinis sumpto, vel ea, quae commemorant Suetonius, *Aug.* 13 et Dio XLVIII 49, 4 de captivis post pugnam Philippensem necatis, vel etiam ea, quae refert Dio XLIX 12, 4 et L 20, 2 de sociis Sexti Pompei et Lepidi punitis, vel denique ea, quae scribit Dio LI 2, 4 de poenis, quibus Caesar adversarios suos post victo-

riam Actiacam affecit: πολλοὺς μέν χρήμασιν ἐζημίωσε, πολλοὺς δὲ καὶ ἐφόνευσε, καί τινων καὶ ἐφείσατο. Attributum illud, a re vera non abhorrens, litteris residuis et spatiis lacunarum monumenti Ancyrani et Antiocheni aptum fortasse est: *[veniam merentib]us.* Itaque haec enuntiata sic supplenda videntur:

c. 3, 1 [B]ELLA· TERRA ET· MARI C[*ivilia ex***TER**]NAQVE· TÓTO. IN ORBE· TERRARVM.
2 S[*aepe ini*]| VICTORQVE· OMNIB**V**S·[**V***eniam merentib*]VS· CÍ|VIBVS·
3 PEPERCÍ

Graece c. 3, 1, 19 [Πολέμους μὲν καὶ κατὰ γῆν] καὶ κατὰ θάλασσαν ἐμφυ-
20 [λίους καὶ ἀλλοφύλους] ἐν ὅλῳ τῇ οἰκουμένῃ πολ-
21 [λάκις ἐπολέμησα, νεικ]ήσας τε πάντων ἐφεισάμην
22 [τῶν ἐπεικῶν πολειτῶν· Τ]ὰ δ' ἔθνη...

Pro *s[aepe ini]* scribunt: Mommsen[1] *s[ustinui]*, Bergk *s[edavi]*, Mommsen[2] *s[uscepi]*, Cagn., Diehl, Malc., R. et P., Bormannum secuti: *s[aepe gessi]*. Varias coniecturas pro *[veniam merentib]us* propositas afferunt R. et P. p. 45; ipsi, Hirschfeldium secuti, scribunt [**V***eniam petentib*]*us*..

In textus Graeci v. 20 ἀλλοφύλους commendatur contraposito et fulcitur locis Plutarchi, *Cam.* 23 πόλεμον ἀλλόφυλον, et Dionis LIII 8, 2 μήτ' ἀλλοφύλου τινὸς ἔτι προσπολεμοῦντός μοι. Mommsen[1], Kirchhoffium secutus, scribit ἐθνείους, Bergk, Mommsen[2], Cagn., Diehl, Malc. ἐξωτικούς. In versibus 20—21 pro σπολ[λάκις ἐπολέμησα...] proposuerunt: Mommsen[1] [π]ο[λεμῶν ἠνεσχόμην...], Bergk πολ[λοὺς κατέλυσα...], Mommsen[2] πολ[λοὺς ἀνεδεξάμην...], Cagn., Diehl, Malc., Bormannum secuti, πολ[λάκις ἐποίησα...]. In versu 22 supplent: Mommsen[1], Kirchhoffium secutus τῶν ζώντων πολειτῶν, Bergk πολειτῶν δεομένων, Kaibel apud Mommsen[2], p. 6, τῶν περιόντων πολειτῶν vel τῶν περιλειφθέντων omissa πολειτῶν forma, Cagn. [τῶν περιόντων ποολειτῶν τ'], Diehl, Malc., Hirschfeldium secuti, τῶν ἑκετῶν πολειτῶν. Gardthausen II 878 totum locum sic restituendum proponit:

19 [καὶ κατὰ γῆν] καὶ κατὰ θάλασσαν ἐμφυ-
20 [λίους καὶ ἐξωτικούς] ἐν ὅλῳ τῇ οἰκουμένῃ πολ-
21 [εμήσας πολέμους νικ]ήσας τε πάντων, ἐφεισάμην
22 [τῶν περιόντων (vel Ῥωμαίων?) πολειτῶν].

VI

In c. 4 I 22—23 = *Mon. Ant.* c. 4, 3, quomodo **QV**, litterae fragmenti Antiocheni c. 4 *d*, supplendae sint, ambigi potest. Nam praeter tres triumphos, ab Augusto annis 729/25,

734/20, 746/8 spretos, a Mommseno[2] p. 19 enumeratos, et praeter quartum triumphum, ab Augusto anno 762/9 p. Chr. repudiatum, a R. et P. p. 47 additum, ab Augusto certe etiam quintum triumphum, ei simul cum Druso et Tiberio anno 745/9 decretum, recusatum esse sequitur ex verbis Dionis LV 4, 4—5, 2: τότε μὲν οὖν οὐκ ἠθέλησεν ἐς τὴν πόλιν διὰ τὸν τοῦ Δρούσου θάνατον, ὥσπερ εἶπον (sc. LV, 2, 2), ἐσελθεῖν, τῷ δὲ ἑξῆς ἔτει, ἐν ᾧ Ἀσίνιός τε Γάλλος καὶ Γάιος Μάρκιος ὑπάτευσαν, τήν τε ἄφιξιν ἐποιήσατο καὶ τὴν δάφνην ἐς τοῦ Διὸς τοῦ Φερετρίου παρὰ τὸ νομιζόμενον ἐσήνεγκε. καὶ αὐτὸς μὲν οὐδεμίαν ἐπὶ τούτοις ἑορτὴν ἦγαγε, πολὺ πλεῖον ἐν τῷ τοῦ Δρούσου ὀλέθρῳ ἐζημιῶσθαι ἢ ἐν ταῖς νίκαις ὠφελῆσθαι νομίζων. Itaque ad supplendas **QV** litteras eodem iure **QV**[*ater*] atque **QV**[*inquiens*] scribi posse apertum est.

Sed cum *quater* vel *quinquiens*, adverbia numeralia definita, cum *pluris* vel *omnibus*, numeralibus indefinitis, non bene concinant, **QV** litteras initia non numeralium definitorum, sed potius **QV**[*otiens*], adverbii numeralis indefiniti, vel **QV**[*amquam*] coniunctionis concessivae esse verisimilius est. Hoc vel illo vocabulo posito enuntiatum ex ablativo absoluto et enuntiato secundario atque enuntiato primario compositum efficitur, similiter constructum atque enuntiatum in c. 21 IV 28—30.

Cum in monumenti Ancyrani textu Latino I 23 post IN·CAPI¯, in Graeco 2, 13 spatia satis idonea exstent, in textu Latino *Iovi*, in Graeco Διΐ inserendum videtur. Totum igitur enuntiatum versibus ordine monumenti Antiocheni digestis sic reficiendum videtur:

c. 4, 2 [*Decernente plú-*]
3 RĪS· TRIVMP**HOS·M I HI· SE**[**NÁ***i***V·QV***otiens il**|***lis su***]PERSEDI
4 L[*aurum de f***ASC***i***B**]**VS· DE POSVI**[**NC**APIT[*olio Iovi votis quae*|] QVÓ-
5 QVE· BELLÓ· NVN**C V** [**PAVERAM** *rel***A**]**T**IS/

Textus Graecus Ancyranus fortasse sic restituendus est:

c. 4, 2, 10 Τ̄ῆς
11 [συνκλήτου πλείους ἐμοὶ θριάμβου]ς ψηφισα[αμ-]
12 [ένης, ὁσάκις αὐτῶν ἀπέστην, ἀπὸ ῥάβδ]ων τὴν [δά-]
13 [φνην κατέθηκα ἐν Καπιτωλίῳ Διΐ τὰ]ς εὐχάς, ἃς ἐν]
14 τῷ [πολέμῳ ἑκάστῳ ἠὐξάμην, ἀποδ]ούς.

Quominus pro *quotiens* etiam *quamquam*, pro ὁσάκις etiam εἰ καὶ ponatur, spatia lacunarum aut sententiae enuntiatorum non repugnant.

R. et P. aliis coniecturis p. 47 reprobatis textum Latinum sic praebent:

c. 4, 2 [*Decernente plu-*]
3 RĪS·TRIVMP**HOS M I HI· SE**[N**Ȧ***tV*· **QV***ater omnibus su*]PERSEDI
4 L[*aurum de f*]**ASC***iB*]**VS· DEPOSV**Ī **I N C** API[*tolio votis quae*] QVO
5 QVE·BELLO · N V̄ N **CV**[**PAVERAM** *sol*V]T̄IS

Textum Graecum Mommsen aut Bergk non supplent. Bormann p. 21 proponit: Τῆς [δὲ συνκλήτου ἐμοὶ πλείους θριάμβου]ς ψηφισσ[αμέ|νης, αὐτῶν ἀπηλλάγην καὶ ἀντὶ αὐτ]ῶν τὴν [δάφνην κατεθέμην. Cagn. exhibet: Τῆς [δὲ συνκλήτου ἐμοὶ πλείους θριάμβου]ς ψηφισσ[αμένης, |ἀπὸ τῶν ῥάβδ]ων τὴν δάφνην κατεθεμένην].... εὐχάς..| τω... ...ους, Diehl, Malc. Wehoferum Bormannumque secuti, sic scribunt: Τῆς|<δὲ συνκλήτου ἐμοὶ πλείους θριάμβου>ς ψηφισσ<αμέ|νης, αὐτῶν ἀπηλλάγην (?) καὶ ἀπὸ τῶν ῥάβδ>ων τὴν <δάφνην|κατεθέμην ἐν τῶι Καπιτωλίωι, τὰ>ς εὐχάς, <ἃς ἐν ἑκάσ>|τω<ι πολέμωι ἐποιησάμην, ἀποδ>ούς. Wirtz p. 8 propter spatium exiguum δὲ omittendum censet. R. et P. p. 48 sic fere scribendum existimant: τῆς [συνκλήτου πλείους θριάμβους τετράκι]ς ψηφισσ[αμένης πάντας παρητησάμην].

VII

In c. 4 I 28—30 = *Mon. Ant.* c. 4, 11—12 spatia lacunarum in monumento Ancyrano hiantium, litterae residuae earumque vestigia, textus Graecus, fragmenta Antiochena c. 4 *i, k, l,* nec non intervalla singulorum vocabulorum in monumento Antiocheno exstantia postulare videntur, ut enuntiatum versibus modo monumenti Antiocheni distributis sic redintegretur:

c. 4, 10 [*In*]
11 [*consulatu f*|**VER**]AM· TER **DECIENS· C**[**V**]M [*notab*]A[*m*] HAEC [*eramque se*]P
12 [*timum atque* **TRICEN***s i m u*]**M·TRIBV̄**|**NICI**AE· POTESTATIS

R. et P. variis coniecturis priorum p. 49 allatis textum sic restituunt:

c. 4, 10 [consu| f**VER**]AM· TER **DECIENS· C**[**V**]M [scripsi] HAEC [et [eram se]P
12 [timum et]**TRICEN**[s i m u] **M·TRIBV̄**] **NICI**AE· POTESTATIS

Ad coniecturas a R. et P. laudatas addi potest id, quod Kornemann p. 29 proponit: [*Consul*|*fuer*]*am terdeciens, c*[*u*]*m* [*scripsi*] *haec* [*eramque se*]*p*[*timum et trigensimum*|*tribu*]*niciae potestatis.*

VIII

In c. 5 I 34 (35) = *Mon. Ant.* c. 5, 5 ponendus est coniunctivus perfecti, item atque adhibitus est in c. 17 III 35: IVVĪ ...ITA·VT·... DETVLERIM, sed propter spatium lacunae forma litteris elisis breviore [...*liberarim*...] Mommsen[1] scripsit: [...*liberavi*...], Bergk: [...*liberaverim*...], Mommsen[2] omnesque posteriores eum secuti exhibent: [...*liberarem*...].

IX

In c. 7 I 44 enuntiatum, quo nihil nisi ERAA servatum est, reficiendum est ex textu Graeco Ancyrano optime tradito: c. 7, 4, 2—5 πρῶτον | ἀξιώματος τόπον ἔσχον τῆς συνκλήτου ἄχρι | ταύτης τῆς ἡμέρας, ἧς ταῦτα ἔγραφον, ἐπὶ ἔτη τεσ | σαράκοντα — et nunc ex fragmentis Antiochenis c. 6/7 *c* et c. 7 *a*.

Augustus enuntiato principali indicare voluit, per quot annos usque ad eum diem, quo res a se gestas, aut certe hoc enuntiatum scribebat, princeps senatus fuisset, similiter atque in c. 4 I 28—29 perhibuit, quotiens ad tempus scribendi in consulatu quotiensque tribuniciae potestatis fuisset. Enuntiatum utrumque scriptum est ad numeros annorum significandos, per quos Augustus illis magistratibus functus sit, non ad tempus definiendum, quo *Res Gestae* compositae sint, id quod Kornemann p. 29 contendit. Itaque si ERAM pars est plusquamperfecti, hoc in enuntiato principali, non in enuntiato secundario usurpatum esse apertum est. In enuntiato secundario hoc loco item atque in c. 4 I 29 tempus imperfectum adhibitum esse probabilissimum est; nam tum, cum enuntiata utriusque loci scribebantur, *Res Gestae* nondum perfectae erant, sed demum componebantur; utroque loco in contextu Latino imperfectum exstitisse testis est interpres Graecus Ancyranus, qui et in c. 4, 2, 22 et in c. 7, 4 posuit imperfectum ἔγραφον.

Contra in c. 25 V 7—8 CONSVLES·FACTĪ·SVNT· AD· EVM·DIEM | QVÓ·SCRIPTA·SV [*nt haec*] tempus perfectum documento esse potest eo die, quo hoc enuntiatum capitis 25 V 6—8 scriberetur, *Res Gestas* iam exactas fuisse idque enuntiatum indici *Rerum Gestarum* iam perfecto instar additamenti insertum esse. Quomodo interpres Graecus Ancyranus hoc perfectum Latinum Graece reddiderit, pro certo asseverari nequit, cum in textus Graeci c. 25, 13, 24 fere 22 lit-

terae evanuerint; sed spatium huius lacunae forma temporis perfecti sic fere explendum esse verisimillimum est:

c. 25, 13, 23 ..... ἐγ[ένον]το [ὅπ]α[τοι ἐπ' ἐκ]ε[ί]ν[ην τὴν ἡ[μέ[-]
24 [ραν, ᾗ ταῦτα γεγραμμένα ἐστ]ι, ὁ[γδοήκο]ντα τρε[ι]ς...

Mommsen[2] ceterique editores eum secuti scribunt: ...ἡ]μέ-[ραν, ἐν ᾗ ταῦτα γέγραπτα]ι... Sed γέγραπτα]ι forma posita spatium lacunae non expletur. Altera parte, cum forma γεγραμμένα ἐστί]ν scripta spatium 22 litterarum una littera excedatur, γεγραμμένα ἐστ]ί scribi potest, sicut in c. 27, 15, 17 scriptum est προκατειλημένας.

Iam vero in *Rerum Gestarum* enuntiato extremo toto monumento perscripto et absoluto, in c. 35 VI 27: [...*Cum scri*] PSI·HAEC, tempus perfectum poni et potuit et debuit. Interpres Graecus Ancyranus hoc loco, in c. 35, 18, 15 item ἔγραφον imperfectum scribens, ambobus locis superioribus similibus inductus, perfectum Latinum inaccurate transtulit, neque ex hoc loco textus Graeci perfectum Latinum imperfecto Graeco reddentis etiam in c. 4 I 29 et in c. 7 I 44 ex imperfectis Graecis perfectum aut plusquamperfectum Latinum restituendum esse concludendum est. Itaque ex verbis Graecis in c. 7, 4, 4 ἧς ταῦτα ἔγραφον Latine: *quo haec scribebam* retro vertendum est.

In enuntiato principali textus Latini non simpliciter: *Princeps senatus... eram* vel: *...fui* vel: *fueram* exstitisse ex verbis interpretis Graeci Ancyrani sequitur. Ad genuina verba Augusti reciperanda adhibendi videntur loci Gellii, *N. A.* IV 10, 2 *Alias primus rogabatur, qui princeps a censoribus in senatum lectus fuerat* et XIV 7, 9 *...primum rogari solitum, qui princeps in senatum lectus esset.*

Quibus de causis totum enuntiatum versibus et intervallis monumenti Antiocheni observatis sic fere restituendum videtur:

c. 7, 2 [...**PRINCEPS**· *Senatus ad e***VM**·**D***iem, quo haec scribebam, lectu*]S ERAM
[*per*]
3 [*annos***QVADRA***ginta.*]

Hunc locum alii aliter reficiendum proponebant: Mommsen[1]: [*princeps senatus usque ad eum diem, quo die scr*]*i*[*psi haec, per annos quadraginta*]; Bergk: [*princeps senatus ad eum diem, quo scripsi haec, c*]*ir*[*citer quadraginta annis*], Mommsen[2], Cagn.: ...*Princeps senatus fui usque ad eum diem, quo scrips*]*eram*

[*haec,* | *per annos quadraginta...*]; Diehl item, sed ante ERAM etiam S littera lecta locum uncini mutans: *scrip>seram;* quod accipit Malc., item Kornemann p. 44; Kornemann ipse p. 62 proponit: *Primum dignitatis locum in senatu usque ad eum diem, quo scripsi haec,* | *habui per annos...*; Premerstein (*Hermes* LIX 1924, 105): *Primum auctoritatis locum...* R. et P. exhibent:

c. 7, 2 [**PRINCEPS**· *Senatus usque ad e***VM**· *Diem quo scrip*]SERAM [*haec per*] 3 [*annos* **QVADRA***ginta fui...*]

Augustus quadraginta annos principatus senatus simulque civitatis aestate anni 766/13, non, ut Kornemann p. 44 existimat, anni 767/14, explevit, id quod sequitur ex testimoniis Dionis LIII 1, 3 τὰς ἀπογραφὰς ἐξετέλεσε, καὶ ἐν αὐταῖς πρόκριτος τῆς γερουσίας ἐπεκλήθη et LVI 28, 1 Λουκίου δὲ δὴ Μουνατίου καὶ Γαΐου Σιλίου ἐς τοὺς ὑπατεύοντας ἐσγραφέντων, τήν τε προστασίαν τῶν κοινῶν τὴν δεκέτιν τὴν πέμπτην ἄκων δὴ ὁ Αὔγουστος ἔλαβε (= a. 766/13). Quoniam testibus Fastis Venusinis (CIL I² p. 66: *Imp. Caesar VI. M. Agrippa II. Idem censoria potest. lustrum fecer. ex K. Ian. ad K. Iul.)* lustrum confectum est K. Iul. a. 726/28, Augustus primum annum principatus senatus illo die (1 VII) iniisse videtur. Enuntiatum igitur capitis 7 I 44-45 = *mon. Ant.* c. 7, 2—3 altera parte anni 766/13 vel initio anni 767/14 ante exactum annum quadragesimum primum principatus scriptum sit necesse est, eo temporis spatio, quo Augustus inde a Kal. Iul. anni 766/13 ad pridie Kal. Iul. anni 767/14 tribuniciae potestatis tricesimum sextum erat. Itaque hoc enuntiatum scriptum est prius quam verba capitis 4 I 29—30 [*eramque se*]P[*timum atque trigensimum tribu*]NICIAE· POTESTATIS. Quae verba c. 4 I 29—30 indici *Rerum Gestarum* iam exacto addita esse sequitur ex numero annorum tribuniciae potestatis a numero annorum principatus discrepanti. Ad eundem finem Kornemann p. 29 aliis argumentis nixus pervenit.

Augustum quadraginta annos integros inde a Kal. Ian. anni 727/27 a. Chr. ad extremum diem anni 766/13 p. Chr. in animo habuisse, neglectis primo et ultimo annis principatus, id quod Mommsen² p. 32 arbitratur, vix probabile est.

X

In c. 10 II 21—23 = *Mon. Ant.* c. 10, 1—3 ad textum Latinum restituendum, quamquam fragmenta Antiochena c. 9 *g*, c. 10 *a, b, c, d, e* plurimum valent, tamen imprimis ratio ha-

benda est senatus consultorum atque legum, quas Augusto obversatas esse textus Graecus Ancyranus testimonio est:

c. 10, 5, 17—19 καὶ ἵνα ἱερὸς ὦν| διὰ [βίο]υ [τ]ε τὴν δημαρχικὴν ἔχων ἐξουσίαν νό[μοις ἐκ]υρώθη. — Supplementum νό[μοις ἐκ]υρώθη, cum priores editores scripserint νό[μωι ἐκ]υρώθη, R. et P. p. 71 probant.

Et ea de causa, quod Augustus se omnia munia iuraque legitime assecutum esse ostendere voluit, et ex νό[μοις...], vocabulo textus Graeci, vocabulum *legum* etiam in textu Latino exstitisse colligendum est. In fragmento Antiocheno c. 10 *e* hastam ante **ST** finem *M* litterae esse posse R. et P. p. 70 concedunt. Itaque ex enuntiato principali Graeco νό[μοις ἐκ]υρώθη enuntiatum Latinum [*vi legu*]**M ST**[*atum est*] reciperandum esse fere apertum est. Etsi numerus litterarum horum vocabulorum cum [*pontif*], litteris ante EX in v. 23 supplendis, numerum 24 litterarum, a Mommseno[2] indicatarum tribus litteris excedat, tamen haec differentia a spatio lacunae non repugnat et propter notam inaequabilitatem litterarum et interstitiorum monumenti Ancyrani, de qua Mommsen[2] ipse identidem, e. gr. p. 36 vel p. 49, monet, et propter duas I litteras, quibus minus spatium occupatur quam aliis litteris.

valeur de l'état: quelques-uns out préféré le suicide à la servitude du général vainqueur. C'était l'époque des marches multiples des généraux avec leurs armées contre Rome et de l'usurpation du pouvoir, quand les hommes, n'ayant pas de repos, d'un paroxysme passaient au tourbillon d'un autre. La tension inouïe de la vie publique changeante et pleine de catastrophes, les carrières inattendues élevant les téméraires, leurs chutes inopinées, les luttes des Romains avec les Romains en Italie et en Espagne, en Grèce et en Afrique: les fréquentes confiscations et parcellements des grandes propriétés; les meurtres cruels des proscrits, l'orgueil des parvenus (Mamurra) et l'aversion pour eux (Catulle), le renoncement, au nom de la carrière, aux postulats éthiques et à la discipline civique, la profanation du mariage considéré avant tout comme moyen de parvenir, les aventures amoureuses fréquentes — et d'autre part, l'influence minime des femmes sur le cours des affaires — l'indépendance des arrivistes de leurs maîtresses: voilà les faits reflétant la vie de l'époque.

Les Romains ne pouvaient pas embrasser l'ensemble des phénomènes historiques, la transformation de l'organisme de de l'état, parce qu'elle durait plus longtemps que la vie individuelle. Les hommes voyaient seulement les paroxysmes particuliers et ne comprenaient que leurs valeurs négatives, les positives ayant l'échelle trop étendue pour qu'on les pût apercevoir sous une perspective historique. On les pouvait sentir en croyant dans le peuple et dans l'avenir, mais on ne les pouvait pas voir d'une vue normale. On voyait donc que la vieille forme tombait en ruine, on pressentait seulement et l'on cherchait une nouvelle en croyant qu'elle unira le passé au futur, qu'elle conservera les apparences de l'ancien système en les adaptant au contenu nouveau et plus grand; on commençait même à apercevoir vaguement cette forme nouvelle, prenons p. ex. le traité *De republica* de Cicéron. Mais ce procès de perception de l'avenir était lent et n'augmenta que dans la seconde moitié de la guerre civile, dès l'époque de César: les consciences n'embrassaient longtemps que de paroxysmes — de là, des pères en fils, cette longue période de souffrance civique, de là aussi une double manière de penser et de sentir chez les Romains de l'époque: le désespoir con-

scient et profond, et la foi dans l'avenir, encore plus profonde, mais longtemps inconsciente.

Nous pouvons dire que la vie de l'époque se réalisait de deux façons: la première était la lutte pour la constitution et l'économie politique et militaire: les silhouettes des généraux des partis dans leur brutalité crue, les passions politiques et l'incessante guerre civile — tout cela s'arrange en des combats titanesques. Le savant qui étudie cette époque, peut dire quelquefois qu'il hante la nature profonde et rapace où la mort est plutôt le commencement que la fin, parce que dans le combat perpetuel la mort sert à fortifier la vie naissant ou croissant. Sur les cadavres de Marius et de Cinna s'élève la puissance de Lucius Sylla; au-dessus du déshonneur de Catilina rayonne la gloire de Cicéron, la chute de Pompée fortifie César, etc. La nature est rapace, parce qu'elle ne connaît pas encore la notion d'outrage: Catulle ne s'indigne point contre les parvenus ni contre César à cause d'éthiques égards, mais seulement en esthète. L'indignation éthique devait suivre après. Il faut voir dans l'indignation aussi un autre symptôme historique: du moment que la notion d'outrage s'était formée dans la société, elle avait parlé dans les traités de Cicéron, dans la poésie d'Horace et de Virgile et, quoique lentement et avec difficulté, elle a vaincu pourtant l'outrage de la guerre civile. C'est la nécessité historique de l'idéologie qui apparaît; parallèlement au cours de la vie pratique se développait la vie et l'activité idéologique.

Le premier siècle avant notre ère était, pour les Romains, la période d'une riche activité intellectuelle; il paraît que les paroxysmes multiples des transformations de droit public et économiques étaient liées avec la profondeur et l'intensité de la vie intellectuelle: dans la pratique la résolution des problèmes exigeait une grande tension de la production idéologique: la rhétorique et la poésie, les traités éthiques, juridiques et théologiques, l'historiographie enfin se sont développés d'une façon inouïe avant ni après à Rome, aux époques où la vie, tranquille encore ou déjà apaisée, aurait dû favoriser les préoccupations intellectuelles. Cent ans après, lorsque la souffrance civique força Tacite à la production, la même chose s'est répétée: inquiets et tracassés, cherchaient les hommes une forteresse idéologique et multipliaient

leurs forces créatrices; pleins de courage vital plus fort que le doute pratique pendant les luttes militaires et constitutionnelles les plus vexatoires, les Romains trouvaient en eux-mêmes des valeurs intellectuelles toujours neuves. Les chefs et les hommes d'état sentaient pendant les marches, avant la bataille, à la veille de mourir, le besoin des recherches philologiques, historiques, philosophiques (César, Brutus, Cicéron). Ce fait attestait la vigueur d'âme de ces hommes, mais aussi l'existence, au-dessus de l'aire de vie pratique, d'une autre où combattaient les notions éthiques, de droit public et historiographiques. Les différentes idéologies se présentant sous forme de traités, poèmes, dialogues et discours, s'unissaient en s'entr'aidant ou en se combattant avec frénésie: elles renouvelaient les mêmes luttes de l'espoir avec le doute, de la passion égoïste avec le postulat éthique, de la sublimité religieuse avec la froideur solitaire qu'on voit dans l'aire des combats pratiques.

Bien que l'énergie nationale ait agi de deux façons à la fois, elle était toujours uniqueet la même: divisée seulement en apparence, elle formait à la fois une double catégorie de relations, pratique et idéologique. Je dirais que le torrent d'énergie psychique coulait à la fois dans deux lits parallèles et qu'il passait sans cesse du lit idéologique au pratique et vice versa; en conservant toujours l'autonomie de ces deux lits, il créait leur uniformité et leur dépendance mutuelle. La littérature de l'époque possède quelque valeur pour l'historien, non comme un reflet de la soi-disant vie parce qu'elle n'est ni un cliché ni un miroir: elle en est plutôt l'expression et comme le rayonnement parce qu'elle est la réalisation même de la vie, indépendante et pleine, ainsi que la constitution, le contrat social ou économique. Et ce n'est qu'un fait secondaire pour la littérature, qu'elle donne un soi-disant tableau de la vie en citant des faits. Aussi est-il difficile à résoudre qu'est-ce qui avait plus coopéré à la formation de l'empire romain, la constitution du premier princeps, les traités moraux et politiques de Cicéron, la poésie prophétique de Virgile, ou plutôt le fait que chacun de ces éléments à part et tous ensemble étaient l'expression plénière et indépendante de l'empire naissant et croissant. Il est aussi difficile de dire qui était le plus grand destructeur de l'ancien régime: le dictateur Lucius Sylla qui

anéantit dans la pratique les vieilles institutions de gouvernement et de coutumes, ou le poète Lucrèce qui détruisit idéologiquement les prémisses fondamentales des institutions et du gouvenement de la république. Ils étaient tous apparentés parce qu'ils réalisaient la même oeuvre, mais chacun dans un domaine distinct. Sylla et Auguste dans le domaine des rapports juridiques des hommes, Lucrèce et Virgile dans la pensée et dans l'idéologie humaines.

L'opinion que les chefs-d'oeuvre littéraires résultent du système économique, politique et social, n'est juste qu'à demi parce que Rome à cette époque démontre qu'ils sont en même temps la matière de structure de l'état et de la société; avant que les hommes simples l'aperçoivent, le penseur et le poète comprennent le changement qui s'opère en eux-mêmes et ils lui donnent la pleine expression idéologique dans un poème ou dans un traité: ainsi le chef-d'oeuvre précède l'expérience des autres, et son créateur devient promoteur de la société. Les Romains et le moment historique ont engendré Lucrèce et Virgile; ces deux poètes commencèrent à guider les Romains, c'est à dire l'histoire du peuple romain, une première fois, pour renverser l'idéologie et la morale anciennes, républicaines, et la seconde fois, pour construire l'état réformé avec leurs prémisses de morale. Le fait est caractéristique que César, dans son travail destructif, s'allia à Catilina et pendant les disputes du Sénat prononça un discours fondé sur la philosophie atomistique d'Épicure et de Lucrèce. Ce même César a introduit dans le travail constructif, dans l'oeuvre organisatrice de l'empire, l'idéologie de la Stoa, en prêchant les principes: *Concordia, Clementia, Pax*[1]).

La même idéologie avec son fatum servant de prémisse aux constructions poétiques et politiques de Virgile et aux traités moraux de Cicéron; peu après Auguste répéta la même chose. Pendant son travail destructif et les luttes contre ses rivaux il organisait des séances à part et fermées où, professant le mépris de l'impuissance des dieux, prêché par les Epicuriens et par Lucrèce, il commettait des sacrilèges: le même Auguste, dans son oeuvre constructive, s'appuyait sur la philosophie de la Stoa — alors sur Virgile et Cicéron.

[1]) Cf. Sall. *Bell. Cat.* 51. M. Popławski, *L'apothéose* chap. IX.

Même en passant outre les considérations théoriques, nous pouvons esquisser l'évolution des faits politiques et artistiques; nous apercevons entre eux une certaine unité organique, une identité idéologique. Considérons deux moments de la guerre civile: l'époque précédant César (les temps de Sylla et quelques dix ans après sa mort) et le temps des ides de mars à la bataille d'Actium. Ces deux périodes ont des traits caractéristiques et analogues; c'était le temps de la floraison et de l'épanouissement des individus dominateurs et des partis de l'individualisme pratique dont j'ai parlé plus en détail (Eos XXX 1927). Les hommes d'état et les généraux élevèrent leur volonté privée en nécessité publique, en poursuivant leur carrière, en fortifiant leur position par la renonciation complète aux postulats éthiques; ils considéraient la société et l'état comme instrument et occasion à réaliser leurs projets, leurs volontés et leurs passions personnelles. L'inviolabilité du citoyen, la majesté de l'état, les richesses matérielles du peuple et de l'individu, le caractère sacré de l'amitié et de la famille, la dignité de la religion et du temple — tout cela foulèrent aux pieds Sylla, Octave, Crassus, Antoine, Catilina et tant d'autres. Les généraux dictent à l'état leur volonté; les paroles de Sylla font loi, le contrat privé de quelques généraux à Bologne, corroboré pas la parenté d'Octave et d'Antoine, devint la base du pouvoir souverain dans l'état. Au temps de Sylla, S. Catilina et Licinius Crassus s'enrichissent par des proscriptions; au temps d'Octave, les triumvirs placent sur la liste des proscrits en premier lieu les noms de leurs parents et amis[1]). Pendant les ides de mars, un des généraux, Décimus Brutus, participe au meurtre de l'ami qui lui avait légué une somme considérable. Les Romains ploient sous l'ignominie des proscriptions et implorent les généraux qu'ils rentrent en eux-mêmes. Sylla et Octave répondent une seule chose: que les meurtres auront leur fin non pour des postulats éthiques quelconques, mais quand leur volonté personnelle de souverain leur dira que c'en est assez. Sylla impose un tribut au temple de Delphes et viole le droit d'asyle du temple d'Athéna. Octave vole les

[1]) L'impertinence éthique des triumvirs rédigeant les listes de proscriptions étonnaient les Romains, v. App. *B. C.* IV 12, 45. Suet. *Aug.* 27. Vell. II 67. Plin. *N. H.* XIII 25.

documents nécessaires du temple de Vesta, arrange des festins antireligieux, cyniques et sacrilèges, Sylla se moque de la parole donnée aux vaincus qui s'étaient confiés à lui; il considérait comme la plus belle journée de sa vie celle où avait eu lieu le carnage terrible des Samnites insurgés (Vell. II 27). Octave donne aux habitants de la Pérouse une paix sanglante et croit que la parole donnée à Sextus Pompée ne l'oblige pas; dans l'opinion publique il passe pour le meurtrier astucieux des consuls Hirtius et Pansa, ses alliés dans la lutte contre Antoine (Suet. *Aug.* 11, Tac. *Ann.* I 10).

Cette liste de droits de l'homme et de devoirs civiques foulés par les chefs souverains pourrait être facilement prolongée; il suffit de consulter les biographies correspondantes de Plutarque et de Suétone, les monographies d'Appien et de Salluste, les oeuvres de Cicéron et les autres sources improvisées. Je ne voulais que rappeler les faits connus et poser la question, comment réagissaient les Romains contre ces procédés des chefs d'état et contre ces luttes des partis. Il s'ensuit qu'on réagissait d'une manière différente aux deux époques: avant César et après sa mort. Avant les ides de mars et avant la bataille d'Actium les penseurs et les poètes se fâchent et s'indignent contre les puissants partis, contre les combats et les affaires privées des généraux et de leur entourage; ils postulent l'enjeu des maximes éthiques et enseignent la grandeur des devoirs que le destin, à leur avis, avait imposés aux épaules de Rome et de son peuple. Dans les 12 derniers discours de sa vie, Cicéron énonce des paroles d'indignation passionnée et haineuses contre Antoine brutal et glorieux, alliant les affaires de l'état avec une mime Bythéris quelconque. Antoine devint pour lui là l'incarnée notion de la dégéneration propre aux âmes de généraux. Cicéron parle ici non seulement en citoyen, mais plutôt en homme appartenant à une fraction opposée; pourtant, dans ses traités de politique et de morale *De officiis, De gloria, De virtutibus* et *De amicitia* il expose aux Romains les principes de vertu civique et humaine: le caractère sacré de l'homme et de l'état, le devoir de la bonne volonté et de la bienveillance active. Les traités de Cicéron étaient les armes dirigées par les Romains contre le dévergondage des souverains. Les idées de Cicéron imprégnèrent profondément la

psychologie des Romains — on en trouve l'écho dans l'activité d'Auguste.

Horace exprime des idées analogues non dans des traités, mais dans ses poèmes petits, mais distingués. Il avertit les fous, les arrête devant le crime du fratricide; il souffre en voyant la nef de l'état désemparée et endommagée. Suivant lui, une malédiction pèse sur la nation récalcitrante qui la pousse sans cesse au péché; il avertit de la ruine finale pouvant résulter des passions effrénées et de la lutte de tous contre tous. Horace pousse son indignation à l'extrême parce qu'il parle de l'abandon de sa patrie maudite; dans l'épode XVI il présente la fantasmagorie bienheureuse du paradis désiré que les Romains peuvent gagner s'ils renoncent à Rome. Bien qu'Horace enveloppe son indignation civique d'un voile d'illusions poétiques et l'affaiblisse par des conseils de se narcotiser grâce à la poésie, à l'amour et au vin, sa voix comme celle de Cicéron condamnait dans la société l'individualisme pratique célébrant après les ides de mars des triomphes magnifiques bien que déjà illusoires.

Autrement encore parla Virgile; ses paroles étaient les plus sévères bien qu'en apparence beaucoup plus tempérées que les paroles haineuses de Cicéron et les poèmes d'Horace, pleins d'indignation. Virgile condamna absolument et sans exception l'outrage national parce qu'il jeta sur la balance du moment historique la fatalité (*fatum*) éternelle et surnaturelle qui, par sa puissance inabordable à la pensée, mais compréhensible par la foi, térrasse les passions égoïstes et l'individualisme pratique des généraux et des malfaisants. Cicéron et Horace prononcent des malédictions retentissantes, en condamnant les arrivistes: Virgile n'en parle pas. Il jette une malédiction silencieuse considérée par les Anciens comme la peine la plus sévère, parce qu'éternelle: la *damnatio memoriae*. Car ce poète ne veut punir ni condamner à la manière quotidienne. Il se contente de pousser le péché et l'outrage dans l'abîme de non-existence. Il croyait que seuls la vérité et le bien sont réels et considérait le faux et la colère comme l'illusion de l'existence corporelle. A cette illusion le poète arrache le masque trompeur de réalité et il montre qu'en face du destin le mal n'existe pas, qu'il est le vide. Serein et bon, Virgile ne coronnait ni la haine ni la colère et par cela il de-

vient plus terrible et plus absolu pour les arrivistes et les malfaiteurs: c'est lui qui introduisit dans la conscience des Romains l'idée et la volonté éternelles où il n'y a pas de place pour lutte et pour discorde. Dans sa IVe églogue apparaît à l'horizon historique l'enfant fatal et béni qui n'avait pas connu le sourire des parents (*cui non risere parentes*) — c'est à dire le garçon qui sera souverain du monde et ne connaît ni les affections ni le dévouement temporels et charnels; le poète lui-même sent et exprime la peur de ce manque de passions du chef futur qui ne voudra pas compatir aux souffrances passagères des passions humaines. Par sa volonté sans trêve et sa force fatale de bonté il exterminera l'individualisme souverain souillé de luttes qui règne à Rome. Le poète voit la roue tournant du temps, il voit comme le péché et le dévergondage tombent au néant; il parle comme un prophète et il appelle aux prophéties; il annonce l'arrivée du messager du destin qui règne déjà et qui, mettant fin au passé infamant, amènera un avenir serein.

Les Romains altérés de soif, écoutaient tous les trois. Ils apprenaient de Cicéron le saint courroux et le postulat de la bienveillance active, remerciaient Horace de ses nobles paroles d'indignation et trouvaient, grâce à lui, l'oubli esthétique de leur misère: enfin, ils croyaient dans la foi et dans les prophéties de Virgile et considéraient ce poète comme leur bon et presque surhumain ami. Il aurait été paradoxal que la guerre continuât dans une société qui adressait aux généraux telles paroles de ces trois hommes. Nous pouvous donc avec raison considérer l'activité de ces grands promoteurs du peuple, secourus par tant de moins célèbres comme Messala Corvinus ou Asinius Pollion, comme un atelier idéal où l'on forgeait la constitution du premier princeps et la magnificence de l'empire romain.

En se souvenant de l'éclat qui accompagnait la foi dans le bien, et la haine du mal après les ides de mars, regardons ces mêmes Romains à l'époque de Sylla et avant César. La conduite des chefs et des partis gouverneurs était la même qu'avant la bataille d'Actium, peut-être encore pire, parce que plus tard, après les ides de mars, la tradition de l'individualisme pratique était plus longue; avant César les hommes ne pouvaient pas croire que la guerre civile qui avait

tourmenté tant de générations, continuera forcément; avant la bataille d'Actium tout était donc préparé pour que les hommes se résignassent et c'était, au contraire, la réaction idéologique qui suivit pourtant. A l'époque de Sylla la mémoire de l'ancienne république et de sa discipline était plus proche et plus vive; il aurait fallu espérer une réaction: alors même survint la résignation idéologique. Rome témoigne alors que la foi dans le bien dut mourir pour pouvoir s'éveiller; on voit comme le postulat éthique disparaît dans la société; les ténèbres envahissent les âmes où retentit la voix du génie destructeur et pessimiste, la voix de Lucrèce.

Avant César L. Sylla était l'expression la plus prononcée de l'autorité de l'individualisme pratique: à cette époque-ci l'on omet l'activité des partis opposés qu'il faut bien distinguer des protestations idéologiques flottant au-dessus des partis à cette époque; on ne trouve pas de protestation exprimée en paroles idéales de condamnation; des actes particuliers existaient pourtant, mais ils restaient stériles. Les officiers de Sylla, surpris par le crime projeté du général qui voulait envahir Rome à main armée, en 88, avaient refusé l'obéissance et ne voulaient pas le suivre. Ils l'avaient fait parce que le passé n'avait pas connu de situation analogue; ils étaient donc héritiers du noble passé dont le souvenir devenait de plus en plus vague. On notait, dans des conditions différantes, les protestations analogues de Rutilius Rufus et de Licinius Lucullus. Ces hommes ayant atteint des positions élevées grâce à la noblesse de leur famille ou à l'énergie personnelle, ne voulaient pas devenir les outils des partis gouvernants, c'est à dire des *equites*, ne voulaient pas renoncer à l'ancienne discipline civique. Ils s'étaient retirés ou plutôt ils furent retirés de la vie par le pouls du système changeant. Encore faut-il souligner la différence d'origine de ceux qui proclamaient le postulat éthique après les ides de mars et à l'époque de César. Cicéron, Horace et Virgile étaient des hommes simples; leur classe sociale reçut la reconnaissance formelle et la considération dans l'état justement grâce à la constitution du premier princeps: ainsi ils devinrent chefs idéologiques qui exprimaient le désir commun d'une Rome grande et apaisée et qui avaient atteint leur rang dans l'histoire de civilisation grâce à leur talent. Ils étaient grands, parce qu' ils annonçaient la

grandeur approchant de la nation. Avant César c'était tout autrement. Quelques représentants des grandes familles protestaient au nom du postulat éthique; pourtant ce ne devint point le point de départ pour la formation d'un avenir nouveau; car ce n'était que le reste exigu d'un passé magnifique qui avait jadis émerveillé les penseurs grecs: Polybios, Panaitios. Ces restes honorables se réfugiant au passé, étaient stériles par leur nature même; nous voyons donc que ni la noblesse de Rufus ni celle de Lucullus n'avaient été utiles pour la formation de l'état. La protestation même du grand suicidé, de Caton, bien que célèbre à Rome et qui avait fait enrager César d'une façon extraordinaire, passa sans effet créateur. La protestation de Sertorius était aussi stérile et isolé, peut-être bien parce qu'elle avait eu lieu sur un territoire étranger et dans un autre groupe éthnique; elle n'influença point la vie de Rome, ni créa rien de nouveau, n'entrava pas l'attitude passive de la société à l'encontre de l'individualisme pratique des individus et des partis; elle le loua même par la bouche du penseur et poète génial qui était Lucrèce.

L'activité destructive de César et d'Octave était justifiée par le travail constructif qui expliquait aux générations à venir pourquoi ils étaient des arrivistes brutaux: c'était, pour eux, la meilleure façon de servir la nation. Notre opinion sera différente quant aux autres, plus petits. Pompée n'avait exécuté aucun travail constructif; pourtant il violait dans sa carrière la constitution d'une facon plus brutale encore et plus souvent que César (Cic. *De imp. Pomp.* 61—62); dans ses rapports avec les hommes il trahissait fréquemment ses amis ce que César ne faisait jamais. Le même sinon plus grand dévergondage civique et éthique présentent Crassus et Antoine, Catilina et Curio, Clodius et sa soeur, la courtisane Clodia, enfin le général et poète Gaius Gallus — voici quelques noms d'entre nombreux autres. Aucun des hommes cités ne peut justifier son éthique arbitraire par un travail constructif comme César et Octave; chacun eut tort mille fois; chacun sacrifiait et violait la nation et le bien public pour sa passion individuelle. Pourtant personne ne mérite le nom de traître et d'ennemi du peuple romain comme l'avait voulu Cicéron; personne ne mérite même le blâme de nuisible à l'état parce que, dans la plus grande frénésie, ils ne faisaient qu'obéir à l'idéo-

logie civique et éthique proclamée d'une manière géniale par le poète Lucrèce que personne n'avait appelé ennemi du peuple romain.

Les considérations sur Rome et sur le peuple romain de Marcus Brutus sont empreintes d'une vérité et d'une justice profondes. Prenant congé de l'exilé Marcellus, il observa que l'homme qui raisonne suivant les catégories civiques, se sent exilé à Rome et retrouve sa patrie dans l'exil solitaire parce qu'on avait chassé de Rome la discipline civique et le postulat éthique (Sen. *Cons. ad Helv.* 9). C'était la puissance de l'idéologie de Lucrèce qui avait accompli cela: c'est elle qui a consolidé le postulat de l'arbitraire orgueilleux. La nation qui avait mis au monde deux génies de la destruction tels que le dictateur Sylla et le penseur Lucrèce, aurait été condamné à la mort, si elle ne leur avait pas opposé des génies constructeurs. Pourtant, au domaine constitutionnel, César surgit contre Sylla (Cic. *Ad Att.* IX 7) et c'est lui le premier qui introduit au gouvernement les principes: *Clementia, Concordia, Pax.* En réponse à l'idéologie de Lucrèce apparurent au moins trois génies soutenant l'idée de la foi et de la forme poétique, rappelant à Rome la discipline civique et le postulat éthique: ce sont eux qui ont construit la base idéologique de la constitution du premier princeps.

DE EPISTULARUM LOCO QUODAM PROVERBIALI

Legimus in Iuliani imp. epistula ad Eustathium philosophum data 34 (p. 42, 9 Bidez-Cumont): Τί οὖν ὥσπερ ἄτοπόν τι λέγων κύκλῳ περίειμι, δέον εἰπεῖν· „ἧκε καὶ σπεῦδε καὶ τὸ λεγόμενον [= *ut est in proverbio*] ἵπτασο"; Hic communem quendam epistolographiae locum subesse suspicor, ut facere nequeam, quin conferenda proponam epistulae Ciceronianae verba similia, Cic. *Ad Att.* II 23, 3 (I p. 329 Tyrrell-Purser): *Quam ob rem, si me amas quantum profecto, si dormis, expergiscere: si stas, ingredere: si ingrederis, curre: si curris, advola.* Ausonius, *Epist.* XV 37 sq.:

...Vale: valere si voles me, p e r v o l a
Cum scrinio et Musis tuis;

Epist. XXI 44:

...Haec fare cursim, nec moratus p e r v o l a
Aliquid reportans interim munusculi
De largitate Musici promptarii.

A. T.

IN CATHARSIN TRAGICAM OBSERVATIONES ALIQUOT

scripsit
VINCENTIUS OGRODZIŃSKI

I

En Aristotelis *(De A. Poet.* 6 p. 1449 b 24 sq.) illud quamquam saepissime, nondum tamen satis explicatum: ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ χωρὶς ἑκάστῳ τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τοιούτων παθημάτων (ita in editionibus, μαθημάτων vero in codice Paris. gr. 1741) κάθαρσιν, quattuor iam lustra lego et sensum lucidum perspicuumque eruere conor, semperque unum repeto, quod omnibus fere qui hac de re scripserunt, maximo erat impedimento. Si enim nihil obstat, quin prima huius sententiae pars clara existimentur, altera: δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τοιούτων παθημάτων (vel μαθημάτων codicis Parisini) κάθαρσιν causa magnae inter doctos litis fuit[1]).

Postquam Iacobus Bernays *(Grundzüge der verlorenen Abhandlung des Aristoteles über die Wirkung der Tragödie,* Breslau 1857 et postea *Zwei Abhandlungen über die Aristotelische Theorie des Dramas,* Berlin 1880) suam hac de re opinionem protulit, omnia priorum scriptorum iuditia neglecta sunt et docti in sectatores adversariosve Bernaysii discesserunt. Labentibus tamen annis nemo fere restat, qui puram doctrinam illius viri profiteatur, sed unusquisque eam aliquo modo commutat suaeque opinioni accommodat. Omnibus tamen et asseclis et adversariis, Henrico Otte *(Kennt Aristoteles die sogenante tragische Katharsis,* Berlin 1912 et *Zur* κάθαρσις τῶν παθημάτων [*Zeitschrift f. oest. Gymn.* 1917, 3 Heft et separatim]) excepto, commune est, quod κάθαρσιν τῶν παθημάτων integram relinquunt.

Si cuiquam prodesse potest, ut aliorum cursus cognoscat et invia quibus denique ad opinionem probabilem pervenerint,

[1]) Qui res gestas vel potius scriptas de catharsi in universum cognoscere velit, legat Iosephi Sedláček *Přehled výkladů Aristotelovy definice tragoedie* (XXXVI, XXXVII Program c. k. státního gymnasia w Třebíči 1913, 1914, tantum enim huius dissertationis mihi notum est) vel breviorem conspectum quem dedit E. Knoke, *Begriff der Tragödie nach Aristoteles,* Berlin 1906, p. 9—56.

haud absurdum mihi videtur pauca de meis erroribus narrare. Ipse enim saepe mecum Aristotelis descriptionem reputans, diu consultus sapientiae τῶν παθημάτων errabam. Itaque primum non Aristotelis sententia, sed fabula tragica Graeca quae per se esset studia mea incitabantur Aristotelisque de arte poetica librum testimonium quidem antiquitus laudatum, sed non grave mihi videbatur. Rebar enim iustum quidem esse Aristotelem celebrare, sed tragoediis Graecis imprimis fidem addendam esse. Cum tribus annis ante veteres iam tum meas observationes typis excudendas traditurus eram, scripsi: *nobis quidquid Aristoteles de catharsi senserit, minoris videtur momenti, niśi sententia antiquitus probata ab Aristotele loco laudato est relata.*

Nunc non audeo ea immutata relinquere. Etsi enim haec sententia ipsius et solius Aristotelis esset, operae tamen pretium videretur novisse, quid et qua de causa de catharsi tragica scripsisset. Cum autem a Georgio Finsler *(Platon und die Aristotelische Poetik*, Leipzig 1900), a Guilielmo Süss (*Ethos*, Leipzig 1910) et ab A. Rostagni *(Aristotele e l'aristotelismo nella storia dell' estetica antica [Studi Italiani di filologia classica* II 1922], cf. etiam K. Svoboda, *L'esthétique d'Aristote*, Brno 1927, p. 8—9) auctores opinionis Aristotelicae Plato vel Gorgias vel Pythagorei nominati sint, putor officio illius rei explanandae iure solutus esse.

Ipse Platonem praecipuum auctorem cum Georgio Finsler celebro, de qua re nonnulla suo loco exponam, nunc autem, quo rem deducam, repeto. Itaque Aristotelis sententia nullo pacto est neglegenda, nam semper recurret neque silentio obrui potest. Sed quae sit illa Aristotelis sententia et quoad reliquiis fabularum Graecarum respondeat, interrogandum est. Qui Bernaysium sectantur, ipsi sentiunt difficillimum esse fabulis tragicis descriptionem Aristotelicam quae vulgo proferatur accommodare, itaque miris nonnumquam modis eam explicant. Adversarii autem, quamquam saepissime alia ex parte errant, satis graves proferunt opiniones, ut ex. g. Antonius Bullinger *(Der endlich entdeckte Schlüssel zum Verständniss der Aristotelischen Lehre von der tragischen Katharsis*, München 1878; *Denkzettel für die Recensenten meines Katharsisschlüssels*, München 1880; *Der Katharsisfrage tragikomisches Ende*, München 1900) iureque interrogant, sitne circulus vitiosus, quod motus quidam

animi iisdem motibus purgentur aut utrum talis interpretandi ars rationi sanae obtrectet necne.

Alia argumenta adversariorum nunc omitto, nam ipse eis tempore idoneo utar, transgredior autem ad formam qua hodie sententia Bernaysiana repeti solet. In libro satis celebrato Rudolphi Lehmann cui inscribitur *Poetik, 2. verbesserte und vermehrte Auflage*, München 1919, p. 256 legimus: „Aristoteles hat sich in seiner berühmten Definition der Tragödie so ausschliesslich an die psychologischen Wirkungen gehalten, dass er den objektiven Inhalt der tragischen Dichtung überhaupt nicht berücksichtigt. Diese Wirkungen sind bei ihm Mitleid, Furcht und die durch beide hervorgebrachte Katharsis. Die letztere, lange Zeit ein rätselhafter und viel umstrittener Begriff, ist erst vor wenigen Jahrzehnten durch Bernays' kritische Untersuchungen einigermassen geklärt; es ist ein medizinischer Terminus, der Entladung bedeutet. Durch die Erregung von Furcht und Mitleid wird eine Entladung von diesen Affekten hervorgebracht. Das ist auch jetzt noch nicht in allen Einzelheiten klar, aber so viel scheint sicher zu sein, dass Aristoteles die Unlustgefühle der Furcht und des Mitleids als die Grundlage ansieht, aus der das Lustgefühl der Erleichterung und Befreiung hervorgeht. Hiernach würde schon er das Problem in seiner Eigenart erfasst und in seiner Weise zu lösen gesucht haben. Da aber seine Definition, wie gesagt, auf das objektive Wesen des Tragischen gar nicht eingeht, so ist sie, so paradox es klingen mag, für die Aesthetik nicht eben fruchtbar gewesen oder doch nur, indem sie einen immer erneuten Streit der Meinungen angeregt und hierdurch das Nachdenken über das Problem gefördert hat". Huius opinionis sensum brevem enucleaturis residuum nobis id videtur: Aristotelem quidem in animo habuisse veram et genuinam descriptionem tragoediae posteris tradere, sed incerta de causa aliud scripsisse. Quem philosophum etsi maxime ille re ipsa, non suis ratiocinationibus commoveri putatur, eo tamen loco solita arte non esse usum et psychologicis, si hoc verbo uti licet, momentis confisum erravisse. Cum ipse Aristotelis in verba non iuraverim, sententiae Lehmanni accedere non audeo, quippe qui Aristotelis auctoritatem nimis minuat. Potius puto Lehmannum, Bernaysium secutum, non Aristotelis descriptionem, sed Bernaysii opinionem impugnare.

Idem Lehmannus, cum suam 'obiectivam' descriptionem tragoediae profert (p. 189): „Eine spannende und erschütterude Begebenheit in kunstvoller Form darustzellen, das ist Ziel und Wesen der griechischen Tragödie", repetit verba magistri alterius, nempe Udalrici Wilamowitz-Moellendorff (*Einleitung in die griechische Tragoedie*, Berlin 1921, p. 108): „eine attische tragödie ist ein in sich abgeschlossenes stück der heldensage, poetisch bearbeitet in erhabenem stile für die darstellung durch einen attischen bürgerchor und zwei bis drei schauspieler, und bestimmt als teil des öffentlichen gottesdienstes im heiligtume des Dionysos aufgeführt zu werden", sed repetit multis gravibus momentis omissis et praecipue hoc: *stück der heldensage*. Wilamowitz vir doctissimus non negat suam descriptionem partim Aristotelicae respondere; cur cetera de catharsi tragica neglexerit, more suo exprimit (p. 110): „und dieses kleinod der aristotelischen lehre können wir nicht brauchen, mag es auch das unschätzbarste sein,... mag der philosoph auch noch so scharf und fein die wirkung beobachtet haben, welche eine tragödie auf das publicum oder auch auf ihn bei einsamem lesen ausübte: diese wirkung war den dichtern und ihrem volke unbewusst". Quia ad argumenta Udalrici Wilamowitz redibo, nunc solum animadvertere velim a magistro Berolinensi Aristotelem laudibus elatum esse, sed eius descriptionis partem alteram prorsus esse reiectam, cum illa editionum κάθαρσις τῶν παθημάτων nullo pacto congrui potuisset cum omnibus notionibus, quas sibi mente magnus nostrae aetatis philologus de tragoedia Graeca finxisset. — Itaque fecit quod factu facillimum erat neque requirebat, utrum Aristoteles sine dubio auctor fatalis sententiae fuisset. Si quis miratur, cur *sine dubio* dixerim, patientia utatur et fortasse dubitare ipse incipiet, quod initium sapientiae saepe ducitur.

Haud aliter ac Wilamowitz videtur primo obtutu argumentari Thaddaeus Zieliński in suo de Sophocle libro, qui proprie praefationem ad Sophoclis tragoediarum versionem Rossicam erat Mosquaeque anno 1914—1915 prodiit, cuius nuper Polonica editio (*Sofokles i jego twórczość tragiczna, tłumaczenie Koła Klasyków U. W.*) Cracoviae 1928 typis excusa est, qua sola utor. Zieliński, vir non solum doctissimus, sed etiam multis carissimus tragoediae Graecae existimator et

prope modum sacerdos, ita tragoediam Sophoclis dicit carmen lyrico-dramaticum ex MD circiter versibus compositum, quod actionem unam eamque completam continet, proprio nodo fabulae et eius exitu gaudet, mutuis partibus chori et dialogi volvitur. Addit etiam Zieliński non opus esse, sua quidem opinione, ut huic descriptioni aliae notiones nisi magis extraneae inserantur, ipsam antem descriptionem non secus esse aestimandam atque ad genus litterarium spectantem (p. 105).

Sed aliis locis commemorat κάθαρσιν eamque ita explicat: Qui spectatorem tragoediae antiquum animadvertit, interrogare desinat, quid ei cum Patroclo vel cum Hecuba sit. Patroclus, Hecuba est hic ipse, hoc est ipsius infortunium, sed infortunium nobilitatum, lustratum, nimbo poeseos adornatum. Quo proprio modo „tragoedia, cum miserationem metumque excitat, lustrationem affectuum perficit"; iam prima pars descriptionis Aristotelicae explanata est. Si rei periti, et initiati interpellant, utrum lustratio sit affectuum an ab affectibus, non facile adducimur ut credamus nos id scire. Ceterum, nullum praemium certaminis positum est; lustratio quae motum animi perturbatum eiusque turpes et humiles species removet, est simul lustratio ipsius motus. Quodcumque hoc est, sane τραγῳδία—κάθαρσις est de genere artis catharticae Apollinis, magni furoris Dionysiaci domitoris (p. 27). Quo loco Zieliński opiniones Friderici Nietzsche (*Die Geburt der Tragödie aus dem Geiste der Musik oder die Hellenen und Pessimismus*, Leipzig 1899) renovat.

Altero loco (p. 112) Zieliński scribit: „*Tat tvâm asi* — ita est, haec nobis tragoedia Graeca nuntiat. Oedipus, Antigona *tat tvâm asi*—ille es tu. Nos etiam res fortiter gestas cum illis communicamus, nostros dolores, nostros motus animi lustramus, cum eos in horum priscorum heroum exemplis spectamus. Spectamus in insolita re qua nobis poeta imaginem nostrorum dolorum demonstrat, sed dolorum qui in sacras arces igneas heroum sublati sunt. Tales sunt hi omnes: Oedipus, Deianira, Antigona; vestros dolores doloribus illorum misceatis, nam illi et vos unum estis (Zieliński hic veteri opinioni doctissimi Dacerii assentitur).... Cum autem Aristoteles quaestionem deliberaret, quae tragoedia esset, non potuit invenire aliam descriptionem coniunctam et universam nisi quae

formam solum, non rem contineret, breviorem paulo nostra descriptione quam proposuimus. Invenit tamen eam confestim, cum quid tragoedia ipsa per se esset, inquirere destitisset et operam dedisset studio, quo modo animum suum permoveret: „miseratione et metu lustrationem, κάθαρσιν talium atque similium animi motuum perficiens" (p. 113).

Iuvat me quoque iam anno 1908 persuasum mihi habuisse non esse lustrationem spectatoris sine lustratione herois nempe personae primae tragoediae motusque animi simul apud heroem spectatoremque lustratos vel si libet expurgatos esse. Sed nunc hac opinione non contentus has novas observationes, quae ab existimatione Thaddaei Zieliński et mea pristina discrepant, benevolis lectoribus propono. Placeant displiceantve, minime curo, metuo potius, ne silentio pereant, ne superstitiosa iamdudum et vulgata opinione obruantur neve quemquam permoveant, ut dubitare incipiat easque aut impugnet novis argumentis vel acceptas rationibus fulciat vel emendet. Utinam observationibus meis homines resque magis faveant quam dissertationi Henrici Otte, cui multa debeo!

Nunc alteri asseclae Bernaysiano aliquid operae dabo. Qui est K. Svoboda, qui libro suo *L'estétique d'Aristote*, Brno 1927, p. 96 dicit: „On lit dans la définition de la tragédie que celle-ci opère par la pitié et la peur, tandis que Lessing (*ouvr.* c. 77) avait en vue même des passions apparentées, telle que la philanthropie, le chagrin. Bien que 'telles passions' ne désignent pas la même chose que 'ces passions,' et qu'elles puissent comprendre même des états proches, comme l'affliction, la terreur, pourtant Bernays a à peu près raison: les passions que la tragédie excite, la pitié, la peur, éventuellement l'affliction, la terreur, elles les purifie aussi, de même que la musique enthousiaste fait naître et purifie l'enthousiasme".

Satis elucet illum quoque asseclam opinione Bernaysii non esse contentum, sed eam extendere itaque probabilem sententiam eruere conari.

Ne exempla in immensum traham, mentionem faciam dissertationum quas Bas. Michel, *Zu Aristoteles. Zweiter Beitrag zum Katharsisproblem (Berl. Phil. Woch.* 1920, p. 1050—1056. 1674—1080) et Adolphus Dyroff, *Über die aristotelische Katharsis (ibd.* 1918, p. 615—624. 634—644) scripserunt. Dyroff existimat

omnes Bernaysii vel asseclas vel adversarios eius argumentis obstrictos esse, sed sententiam Bernaysianam: „Konkret also gefasst heisst κάθαρσις in griechischer Sprache nur Zweierlei, entweder eine durch bestimmte priesterliche Zeremonien bewirkte Sühnung der Schuld, eine Lustration, oder eine durch ärtzliche erleichternde Mittel bewirkte Hebung oder Linderung der Krankheit" propter suum *nur* et *entweder-oder* falsam esse. Solitam vim vocabuli κάθαρσις iniuste quasi nimis universam et nihil declarantem a Bernaysio esse reiectam. Immo vero eam vim vocabuli eo loco esse idoneam, quae mala removenda, bona autem esse retinenda significet. Itaque Dyroff (p. 625) putat tragoediae esse et auditorem et heroem, personam primam, lustrare. Omnino Dyroff nonnulla ab Henrico Otte prolata probat, sed crimini ei dat quattuor errores, quod loco παθημάτων proponat πραγμάτων, quod τῶν τοιούτων ad πρᾶξιν referat, quod res et animi motus miseratione et metu lustrari velit, quod denique non exposuerit, quid μιαρόν in libro *de arte poetica* significet et quo modo ad significationem suam huius vocabuli pervenerit. Reicit etiam Dyroff argumentum Henrici Otte vim tragoediae, quoad auditorem pertineat, descriptioni non esse attribuendam, nam putat auditorem tantum miseratione et metu affici posse et interrogat, cui nisi auditori λόγος ἡδυσμένος imitationis tragicae destinetur, cum persona prima vel altera re ipsa excludantur.

Postremo Dyroff (p. 644) concedit tragoediam rite ab Aristotele non esse intellectam descriptamque, sed non opinatur inanem notionem solemni descriptioni insertam esse. Itaque Dyroff multum abest a sententia Udalrici Wilamowitz *(Einleitung* p. 110), quae est haec: „aber das sollte man sich eingestehen, dass die κάθαρσις für das drama nicht artbestimmend sein kann, und selbst wenn man die affecte, durch welche das drama wirkt, als artbildend anerkennen wollte, so würde das unselige paar furcht und mitleid recht unzureichend bleiben"; iure igitur adnumerandus est iis quos idem vir doctissimus his verbis irridet: „wer mag sich nicht gern daran erquicken, wenn er die hochmodernen sich mit dem probleme des wolgefallens an tragischen gegenständen vergebens quälen sieht".

Michael quoque non est contentus sententia Bernaysiana, nam opinione eius κάθαρσις musica longe alia est atque medica, et Aristotelis θεωρία quaedam; itaque (cf. p. 1053) κάθαρσις poetica pertinet magis ad intellectum et cognitionem quam

ad affectus. Denique Michael fatetur (p. 1078—9): „Folglich ist die χαρὰ ἀβλαβής die Wirkung der καθαρτικὰ μέλη, deren Zweck die παιδιά und ἀνάπαυσις ist, und anderseits die κάθαρσις die Wirkung des edleren, d. h. der enthusiastisch und tragisch pathetischen Musik, geschweige denn diejenige der tragischen Dichtung nicht ein und dasselbe... Daher das Endlose und Unlösliche des jahrundertlangen Suchens: was und wovon, wodurch und wie die Musik oder die Tragödie reinigt".

Similes opiniones profitetur etiam Stephanus Odo Haupt in dissertationibus q. i. *Die Lösung der Katharsisfrage*, Znaim 1911 et *Wirkt die Tragödie auf das Gemüt oder den Verstand oder die Moralität der Zuschauer? oder Der aus den Schriften des Aristoteles erbrachte, wissenschaftliche Beweis für die intellectualistiche Bedeutung von 'Katharsis'*, Berlin 1915. Haupt laudat (*Wirkt die Tragödie* p. 18) sententiam Ottonis Immisch in epistula anno 1907 scripta prolatam: „Bislang glaube ich noch: 1) dass der Passus über die Katharsis nur infolge einer Polemik gegen Plato der Definition angehängt ist: das ἔργον (die Wirkung) hat an sich, nach Aristoteles eigenen Sätzen über das Definieren, im ὅρος οὐσίας nichts zu suchen; 2) dass Katharsis in Aristoteles' Sinn weder ethisch noch 'hedonisch' noch therapeutisch ist, sondern intellektualisch". Quem virum doctum secutus Haupt demonstrare vult tragoedia miserationem et metum eisdemque affectibus intelligentiam (*Aufklärung*) excitari (p. 55) et κάθαρσιν esse idem atque μάθησιν (p. 77—78).

Cum mihi copia talium aliarumque opinionum adsit (cf. Hans Laehr, *Die Wirkung der Tragoedie nach Aristoteles*, Berlin 1896; A Dehlen, *Die Theorie des Aristoteles und die Tragödie der antiken, christlichen, naturwissenschaftlichen Weltanschauung*, Göttingen 1885; Alfred von Berger, *Wahrheit und Irrtum in der Katharsistheorie des Aristoteles*, appendix ad *Aristoteles' Poetik, übersetzt und eingeleitet von* Theodor Gomperz, Leipzig 1897; J. J. Hartman, Κάθαρσις τῶν παθημάτων [*Mnemosyne* 1918, p. 271—280] etc.), supervacaneum censeo omnia proferre quae ab aliis scripta sint, meam sententiam breviter expositurus.

II

Quae Aristoteles prima parte descriptionis suae explanavit, id est: ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ χωρὶς ἑκάστῳ τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, clara sunt neque quid

significent, magna lis inter viros doctos est. Difficilius est alteram partem: δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων (codicis μαθημάτων) κάθαρσιν, ita enucleare, ut omnes contentos reddat vel saltem, ut omnes persuasum sibi habeant illam partem ad descriptionem tragoediae utique pertinere, libro *de arte poetica* Aristotelis fulciri, nostrae fabularum Graecarum, quae supersint, notitiae respondere.

Lucidum sidus, quod nobis cursum rectum monstrabit, videntur mihi illa Aristotelis (*Poet.* 1449 b 19—20): ἃ μὲν γὰρ ἐποποιία ἔχει, ὑπάρχει τῇ τραγῳδίᾳ, ἃ δὲ αὕτη, οὐ πάντα ἐν τῇ ἐποποιίᾳ.

Quae sint ea, quae et tragoedia et carmen epicum contineant, quae autem illa, quae tragoediae soli propria sint, elucet ex *Poet.* 1462 a et b. Ubi Aristoteles, cum disserit, tragoediane carmini epico an illud tragoediae praestet, ostendit, cur tragoediam carmini epico anteferat. Quae omnia e contextu excerpta, cum omnino maioris sint momenti, afferre liceat: ἡ τραγῳδία καὶ ἄνευ κινήσεως ποιεῖ τὸ αὑτῆς, ὥσπερ ἡ ἐποποιία. διὰ γὰρ τοῦ ἀναγινώσκειν φανερὰ ὁποία τίς ἐστιν,... ἔπειτα διότι πάντ' ἔχει ὅσαπερ ἡ ἐποποιία, καὶ γὰρ τῷ μέτρῳ ἔξεστι χρῆσθαι, καὶ ἔτι οὐ μικρὸν μέρος τὴν μουσικὴν καὶ τὴν ὄψιν, δι' ἧς αἱ ἡδοναὶ συνίστανται ἐναργέσταται. εἶτα καὶ τὸ ἐναργὲς ἔχει καὶ ἐν τῇ ἀναγνώσει καὶ ἐπὶ τῶν ἔργων... τὸ γὰρ ἀθροώτερον ἥδιον ἢ πολλῷ κεκραμένον τῷ χρόνῳ.... ἔτι ἧττον [ἡ] μία μίμησις ἡ τῶν ἐποποιῶν... εἰ οὖν τούτοις τε διαφέρει πᾶσιν καὶ ἔτι τῷ τῆς τέχνης ἔργῳ — δεῖ γὰρ οὐ τὴν τυχοῦσαν ἡδονὴν ποιεῖν, ἀλλὰ τὴν εἰρημένην — φανερὸν ὅτι κρείττων ἂν εἴη μᾶλλον τοῦ τέλους τυγχάνουσα τῆς ἐποποιίας. Sed ut ea recte existimemus, necesse est adiciamus ea quae praecedunt: πότερον δὲ βελτίων ἡ ἐποποικὴ μίμησις ἢ ἡ τραγική, διαπορήσειεν ἄν τις. εἰ γὰρ ἡ ἧττον φορτικὴ βελτίων, τοιαύτη δ' ἡ πρὸς βελτίους θεατάς ἐστιν ἀεί· λίαν δῆλον ὅτι ἡ ἅπαντα μιμουμένη φορτικὴ. Quo loco non possum viro doctissimo Theodoro Gomperz assentiri qui in sua versione verba: „so kann man zuvörderst meinen" inserit, nescio, quorum auctoritate innixus.

Sed si ad Aristotelem animum advertimus, mirum nobis videtur, cur catharsin in illis quae tragoediae insint, carmini autem epico desint, non enumeraverit. Putandum igitur sit, opinione Aristotelis κάθαρσιν quandam carmini quoque epico esse genuinam? Sin ita esset, cur expressis verbis ea non dixisset? Quae et talia multa insuper interpellari possunt, sed ad ea respondere nequeo. Caret enim totus *de arte poetica* liber descriptione carminis epici, quae ita ampla sit ut tragoediae.

Non est enim haec descriptio (1459 a 17 sq.): περὶ δὲ τῆς διηγηματικῆς καὶ ἐν μέτρῳ μιμητικῆς, ὅτι δεῖ τοὺς μύθους καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις συνεστάναι δραματικοὺς καὶ περὶ μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν, ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ μέσα καὶ τέλος, ἵν' ὥσπερ ζῷον ἓν ὅλον ποιῇ τὴν οἰκείαν ἡδονήν, δῆλον.

At nostram vel rationem vel potius opinionem probabilem prolaturis sane profitendum est in carminibus epicis quoque multum valere utrumque illum animi motum (*das unselige paar* Udalrici Wilamowitz) miserationem metumque, fortasse non minus quam in tragoedia. Possumusne tamen affirmare, utrumque affectum ea vi praeditum esse, ut de eis dicatur: ἐποποιία δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα..., si tragoediae illam vim tribuere haud audeamus, nisi auctoritate Aristotelis incitati simus? Satis notum est multos iam viros doctos offensos esse, quod uterque solum affectus ab Aristotele enumeratur, ceteri autem motus animi, qui sine dubio in tragoediis depinguntur, silentio obruantur. Qui pulchrum Thaddaei Zieliński librum de Sophocle legit, satis scit illum praeclarum fabulae Graecae aestimatorem atque amatorem nullam tragoediam Sophoclis fabulam praecipui metus vel miserationis nuncupavisse, sed in unaquaque aliam praecipuam notionem invenisse. Iure igitur interrogari potest valeantne metus et miseratio in fabulis Graecis tantum, ut illis omnia in his carminibus moveantur, sicut apud Dantem Alighierium est amor, quo moventur sol ceteraeque stellae.

Si Aristoteles utrumque tantum motum animi nominavit, certe non sine causa id fecit, sed fortasse tragoediam, id est carmen tragicum, cum illius argumento commutavit. Quod argumentum est mythus (fabula heroica), qui utroque affectu abundat. Haud absurdum est commemorare vocabulum μῦθος ab Aristotele saepissime sensu argumenti adhiberi, rarissime et incerte vi fabulae heroicae. Satis constat philosophum illum non fuisse Graecum natum, sed tantum in Graecia educatum, cum iam mores a maioribus traditi, religio vetus et mythus evanescerent. Itaque imbutus non erat eis omnibus doctrinis, opinionibus, cultibus ceterisque rebus, quarum summa animum ex. gr. Aeschyli, Aristophanis excitabat. Neque Platoni par fuit, quippe qui etsi iam veteres opiniones Socrate duce reiecisset, tamen memoriam earum vivam retineret.

Itaque mythus eo sensu, quo a nobis intellegi solet, Aristoteli vox obscura vel prope vana erat. Carebat enim ea vi quae adhuc vel olim credentibus solum contingit. Quid mythus significaret, sciebat, sed penitus non intellegebat, quia vim eius numquam sentiebat. Tota igitur Aristotelis de tragoedia doctrina est hominis, qui rem aspexit, non perspexit: argumentum enim summum tragoediae, nempe mythus, erat ei res cognitionis, non religionis. Cognitio reapse satis manca neque integra fuit. Sed quae ab aliis, a magistris Graecis, acceperat, posteris tradidit, quamvis saepe, cum rem explanare conaretur, opiniones suas neque necessarias neque rei cohaerentes adiciebat.

Si addam librum *de arte poetica* ad nostram aetatem eo pervenisse statu, ut plurimi viri docti nesciant fueritne Aristotelis totus necne, persuasum mihi habeo maximis difficultatibus laborare eos qui fidem omnem illi libro addant. Non a re alienum videtur breviter exponere, quid de asservato libro sentiatur. Notum iam nobis est Ottonem Immisch (cf. Haupt, *Wirkt die Tragödie* p. 18) opinatum esse Aristotelem in libro suo Platoni adversari. Alii censent non totum opus ad nos pervenisse et primum ex duobus libris constitisse, qua de opinione loquitur Iacobus Bernays, *Die Dialoge des Aristoteles in ihrem Verhältnisse zu seinen übrigen Werken*, Berlin 1863, p. 5—14. Alteri putant opus Aristotelis esse excerptum et ab aliquo ignoto in breviorem et obscuriorem formam redactum (cf. Haupt, *Die Lösung* p. 6—8). Ernestus Howald in dissertatione cui inscribitur *Die Poetik des Aristoteles* (*Philologus* 1920, p. 215—222) arbitratur opera Aristotelis ex praelectionibus prodisse quaeque nos novimus saepissime libellos vel dictata sive docentis sive discipuli fuisse (p. 215), librum autem ipsum *de poetica* sine dubio generi libellorum adnumerandum esse: Aristotelem vero commentariis quibusdam qui praecepta artis poeticae continerent innixum, non curantem contradictoria componenda, vitia aliqua re compensanda, lacunas amovendas, librum suum elaboravisse (p. 222). Quae opinio haud multum abest a sententia plurimorum qui putant librum *de poetica* multis lacunis corruptum esse. Mihi neque in animo est opiniones has refellere neque argumentis stabilire; arbitror tamen omnibus illis opinionibus veri aliquid inesse, itaque pro re hac vel illa utendum esse.

In universum reputanti, cur κάθαρσις τῶν παθημάτων in editionibus loco μαθημάτων codicis Parisini legatur, causae datur ille passus *Politiae* 1341 b 32 sq. cuius nonnulla profero: καὶ παιδείας ἕνεκεν καὶ καθάρσεως· τί δὲ λέγομεν τὴν κάθαρσιν, νῦν μὲν ἁπλῶς, πάλιν δ'ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς ἐροῦμεν σαφέστερον... ὁ γὰρ περὶ ἐνίας συμβαίνει πάθος ψυχὰς ἰσχυρῶς, τοῦτο ἐν πάσαις ὑπάρχει, τῷ δὲ ἧττον διαφέρει καὶ τῷ μᾶλλον, οἷον ἔλεος καὶ φόβος, ἔτι δ'ἐνθουσιασμός· καὶ γὰρ ὑπὸ ταύτης κινήσεως κατακώχιμοί τινές εἰσιν, ἐκ τῶν ἱερῶν μελῶν ὁρῶμεν τούτους, ὅταν χρήσωνται τοῖς ἐξοργιάζουσι τὴν ψυχὴν μέλεσι, καθισταμένους ὥσπερ ἰατρείας τύχοντας καὶ καθάρσεως. ταὐτὸ δὴ τοῦτο ἀναγκαῖον πάσχειν καὶ τοὺς ἐλεήμονας καὶ τοὺς φοβητικοὺς καὶ τοὺς ὅλως παθητικούς, τοὺς δ'ἄλλους, καθ'ὅσον ἐπιβάλλει τῶν τοιούτων ἑκάστῳ, καὶ πᾶσι γίγνεσθαί τινα κάθαρσιν καὶ κουφίζεσθαι μεθ'ἡδονῆς· ὁμοίως δὲ καὶ τὰ μέλη τὰ καθαρτικὰ παρέχει χαρὰν ἀβλαβῆ τοῖς ἀνθρώποις. διὸ ταῖς μὲν τοιαύταις ἁρμονίαις καὶ τοῖς τοιούτοις μέλεσι χρῆσθαι θετέον τοὺς τὴν θεατρικὴν μουσικὴν μεταχειριζομένους ἀγωνιστάς. Ἐπεὶ δ'ὁ θεατὴς διττός, ὁ μὲν ἐλεύθερος καὶ πεπαιδευμένος, ὁ δὲ φορτικὸς καὶ βαναύσων καὶ θητῶν καὶ ἄλλων τοιούτων συγκείμενος, ἀποδοτέον ἀγῶνας καὶ θεωρίας καὶ τοῖς τοιούτοις πρὸς ἀνάπαυσιν... ποιεῖ δὲ τὴν ἡδονὴν ἑκάσποις τὸ κατὰ φύσιν οἰκεῖον, διόπερ ἀποδοτέον ἐξουσίαν τοῖς ἀγωνιζομένοις πρὸς τὸν θεατὴν τὸν τοιοῦτον τοιούτῳ τινὶ χρῆσθαι τῷ γένει τῆς μουσικῆς.

Priusquam huius loci sensum eruam, commemorare liceat illam ab Aristotele promissam uberiorem descriptionem catharseos nusquam in libro *de arte poetica* inveniri. Immo vero viri docti non sententiam *Politiae* libro *de arte poetica* explicant, sed locum libri *de poetica* cum illo *Politiae* coniungere solent. Interceditne vera necessitudo inter utrumque locum? Quae exsistere solummodo videtur, nam re accuratius examinata haud difficile est conspectu ipsam catharsin, quae per se sit, nullo loco ab Aristotele explicari, potius de aliquot variis generibus catharseos disseri, catharsin non esse idem atque *ἰατρείαν*, cum utrumque vocabulum iuxta ponatur, videlicet non ut utroque una notio, unus sensus exprimatur, sed duo, cuius rei argumentum sit ad *ἰατρείαν* adiectum ὥσπερ. Si quis existimat Aristotelem unum sensum duobus vocabulis esse complexum atque ἓν διὰ δυοῖν eo loco suspicatur, omnino ignorat eodem loco κάθαρσιν etiam cum aliis vocabulis esse coniunctam, nempe cum educatione (παιδεία) et voluptate (κουφίζεσθαι μεθ' ἡδονῆς). Quid restet, si hac opinione innitamur, supervacaneum est exponere. Κάθαρσις esset tum et educatio et

medicina et voluptas et alia eiusdem generis. Verum haec omittimus et quaerimus solum, quid nobis prosit, ut catharsin tragicam explicemus. Quo loco sane scientia nostra ne minima quidem re augetur. Primo desideratur haec descriptio artis musicae, itaque fugit nos quemadmodum κάθαρσις ad descriptionem artis musicae pertineat, deinde comperimus tantum quibus animi motibus homines quidam vel universi, cum musicam audiant, afficiantur, et quidem varios variis. Postremo, quod maximi est momenti, non omnis musica illis motibus animos afficere putatur, sed sola sacra itaque esse τὰ μέλη τὰ καθαρτικὰ et alia que καθαρτικὰ non sint. Ad quae μέλη etiam musicam quae in theatris audiri solebat, pertinere desideratur.

Itaque si hoc passu *Politiae* uti vellemus, sentiendum esset κάθαρσιν tragicam musica tragica excitari neque ad argumentum tragoediae pertinere, quia argumentum illud non carminibus chori, quibus musica propria est, sed colloquiis et sermonibus (dialogis, monologis etc.) exponitur. Cum autem Aristoteles ipse (*Poet.* 1462 a 13) dicit: διὰ γὰρ τοῦ ἀναγινώσκειν φανερὰ (scilicet ἡ τραγῳδία) ὁποία τίς ἐστιν, non possum nisi ea prorsus reicere, nam descriptio tragoediae apud Aristotelem complectitur eam, etiamsi domi legatur, quam ob rem catharsis tragica non ad musicam tragicam, sed ad tragoediam ipsam, id est ad contextum (ποίημα) tragicum, praecipue est referenda.

III

Repeto igitur descriptionem tragoediae neque illo loco *Politiae* utar. Auditor (θεατής) vel lector tragoediae variis motibus animi afficitur, sed hi motus animi non sunt alieni a ceteris quoque generibus poeseos vel etiam artibus. Qui statuas pulchras, tabulas pictas, aedificia, choreas etc. miratur, qui cantum, musicam audit vel poetarum carmina legit sive audit, variis animi motibus afficitur. Pro artis ingenio profecto, pro animis spectantis, audientis, legentis, affectus excitantur. Fortasse haec est quaedam lustratio vel expurgatio spectatoris, auditoris, lectoris, quae coniungitur iam cum educatione, iam cum voluptate, iam cum sanatione quadam. Licetne tamen hanc κάθαρσιν genuinam propriamque nuncupare, an potius secundariam, quae ad descriptionem artis non pertinet, etsi de

ea quoque catharsi disseritur, quia scilicet unus quisque scire vult, quae sibi voluptas paretur.

Sed κάθαρσις primaria a me ea fingitur, quae extra opus ipsum non excedit, itaque si in descriptione tragoediae κάθαρσιν lego, quaero imprimis κάθαρσιν tragoediae, non spectatoris. Si enim spectator lustraretur, illud iam ad fastidium repetitum argumentum adhibendum esset: Spectator antiquus non uni fabulae, sed tribus cotidie adfuit, itaque ter cotidie lustraretur vel purgaretur. Simulac prima fabula audita metu miserationeque affectus est vixque hos animi motus exoneravit, iam ea sanatione bis recreari cogeretur. Quae curatio iterum redintegrata, sane nulla medicina esset. Talis igitur κάθαρσις vel secundaria non est facilis intellectu.

Illud facete et sapienter dictum Horatii:

et prodesse volunt et delectare poetae,

non est ita explicandum, ut existememus poetae non carmen, sed lectorem maximae esse curae. Si lector curae esset, fortasse nihil haberemus lectu et admiratione dignum. Divina inspiratione inflati poetae veri creant neque eis aliquid maius est suis carminibus; si prosunt et delectant, Musae est, non consilii perpetui. Carmini suo implicant, quae optima in animis suis excoluerunt et haec sunt illorum de popularibus et humanitate merita.

Quod si hic obsoletis vocibus abutor, venia mihi detur, sed me non paenitet id fecisse, dummodo aliis persuadeam non spectatorem, sed tragoediam imprimis in censum vocandam esse, si de catharsi tragica disseratur, quatenus ad descriptionem tragoediae pertineat. Quantum scio, solus Henricus Otte hanc rem recte cognovit, sed haud prospere collegit. Ille enim primus spectatorem in medio reliquit neque curavit, essetne ille particeps καθάρσεως necne, descriptionem autem Aristoteleam praecipue ad tragoediam solam rettulit.

Quid spectat igitur in tragoedia Graeca ad catharsin, si auditorem vel lectorem missum facimus? Legatur iterum altera pars descriptionis Aristoteleae: δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων (al. παθημάτων) κάθαρσιν. Si mathematica elocutione utamur, κάθαρσις x aliquo, παθημάτων vel παθημάτων y exprimatur. Quae difficiliora sunt, aliquamdiu removeantur, nunc autem facillimum explicatu, id est περαίνουσα, exponamus. Haud longa est disquisitio, quae sit huius vocabuli vis genuina, nam sequens iam sententia (λέγω δὲ ἡδυσμέ-

νον λόγον τὸν ἔχοντα ῥυθμὸν καὶ ἁρμονίαν καὶ μέτρον, τὸ δὲ χωρὶς τοῖς εἴδεσι τὸ διὰ μέτρων ἔνια μόνον περαίνεσθαι καὶ πάλιν ἕτερα διὰ μέλους...) hoc nobis demonstrat et Adolpho Dyroff respondet, quid ἡδυσμένος λόγος sit. Itaque περαίνειν est facere, efficere vel perficere. Sed quae res est περαίνουσα? Scilicet vel μίμησις vel τραγῳδία vel, quia hoc loco idem sunt, utraque. Nihil obstat, quin eam sententiam separatim ita dicamus: τραγῳδία, ἡ μίμησις πράξεώς ἐστιν κτλ..., δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνει τὴν τῶν τοιούτων μαθημάτων (al. παθημάτων) κάθαρσιν. Quae forma simplicior est faciliorque explanatu.

Δι' ἐλέου καὶ φόβου accipimus, sicut nobis omnibus codicibus tradita sunt, neque argumentis Iosephi Sedláček (*Nové řešeni Aristotelovy definice tragoedie* [*Sborník prací filologických dvornímu radovi professoru Josefu Kralóvi k šedesátým narozeninám*], V Praze 1913, p. 58—76) adducimur, ut διὰ removendum esse censeamus, at ἐλέου καὶ φόβου ad 'μίμησις' pariter ac 'πράξεως' referamus. Etiam satis venustae observationes a F. Knoke p. 51—57 prolatae, qui διὰ non vocabulo *per*, sed *inter* interpretatur, nobis necessariae non videntur, etsi sensus *per* sequentium διὰ μέτρων, διὰ μέλους hanc opinionem debilitat. Concedimus libenter viro doctissimo Eduardo Norden (*Die germanische Urgeschichte in Tacitus' Germania*, p. 331 adn. 2) ἐλέου καὶ φόβου esse genetivum obiecti, attamen haec omnia vi carent, dum ignotum est, cuius rei vel hominis lustratio aut purificatio fiat.

Unum solum est certum: Aristotelem putavisse in quacumque fabula tragica necesse fuisse, ut metus et miseratio praecipue interessent vigerentque et eis nondum satis nota catharsis perficeretur. Si ita est, satis elucet minoris esse momenti, utrum διά *per* an *inter* significet. Immo vero praestat scire, quid vel quis metu miserationeque afficiatur. Praepropera et facilior conclusio dicit spectatorem, sed liceat mihi illo Horatiano uti: *si vis me flere, tibi est primum dolendum*, quod hoc loco idem significat atque personam vel personas fabulae. Neque tamen obliviscendum est ab Aristotele in descriptione tragoediae nullam usquam mentionem spectatoris fieri, personas autem eatenus commemorari, ut δρώντων — δι' ἀπαγγελίας opponatur, itaque ad formam sive genus elocutionis poeticae, non ad argumentum carminis referendum sit. Restat igitur nobis utrumque motum animi ad fabulam ipsam, ad argumentum

referre. Argumento ipsi insunt metus et miseratio, φόβος καὶ ἔλεος. Cui rei consentit ipse Aristoteles (*Poet.* 1452 a in calce et 1452 b passin): εἰσὶν μὲν οὖν καὶ ἄλλαι ἀναγνωρίσεις, καὶ γὰρ πρὸς ἄψυχα καὶ τὰ τυχόντα ἔστιν ὥσπερ εἴρηται συμβαίνειν καὶ εἰ πέπραγέ τις ἢ μὴ πέπραγεν ἔστιν ἀναγνωρίσαι· ἀλλ' ἡ μάλιστα τοῦ μύθου καὶ ἡ μάλιστα τῆς πράξεως ἡ εἰρημένη ἐστίν· ἡ γὰρ τοιαύτη ἀναγνώρισις καὶ περιπέτεια ἢ ἔλεον ἕξει ἢ φόβον, οἵων πράξεων ἡ τραγῳδία μίμησις ὑπόκειται... δύο μὲν οὖν τοῦ μύθου μέρη περὶ ταῦτ' ἐστί· περιπέτεια καὶ ἀναγνώρισις, τρίτον δὲ πάθος. τούτων δὲ περιπέτεια μὲν καὶ ἀναγνώρισις εἴρηται, πάθος δέ ἐστι πρᾶξις φθαρτικὴ ἢ ὀδυνηρά, οἷον οἵ τε ἐν τῷ φανερῷ θάνατοι καὶ αἱ περιωδυνίαι καὶ τρώσεις καὶ ὅσα τοιαῦτα. Quibus contraria non videntur mihi ea: ἐπειδὴ οὖν δεῖ τὴν σύνθεσιν εἶναι τῆς καλλίστης τραγῳδίας μὴ ἁπλῆν, ἀλλὰ πεπλεγμένην, καὶ ταύτην φοβερῶν καὶ ἐλεεινῶν εἶναι μιμητικήν, τοῦτο γὰρ ἴδιον τῆς τοιαύτης μιμήσεως ἐστίν, πρῶτον μὲν δῆλον, ὅτι οὔτε τοὺς ἐπιεικεῖς ἄνδρας δεῖ μεταβάλλοντας φαίνεσθαι ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν — οὐ γὰρ φοβερὸν οὐδὲ ἐλεεινὸν τοῦτο, ἀλλὰ μιαρόν ἐστιν — οὔτε τοὺς μοχθηροὺς ἐξ ἀτυχίας εἰς εὐτυχίαν — ἀτραγῳδότατον γὰρ τοῦτ' ἐστὶ πάντων· οὐδὲν γὰρ ἔχει ὧν δεῖ, οὔτε γὰρ φιλάνθρωπον οὔτε ἐλεεινὸν οὔτε φοβερόν ἐστιν — οὐδ' αὖ τὸ (ita cum codice Parisino lego) σφόδρα πονηρὸν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταπίπτειν — τὸ μὲν γὰρ φιλάνθρωπον ἔχοι ἂν τοιαύτη σύστασις, ἀλλ' οὔτε ἔλεον οὔτε φόβον, ὁ μὲν γὰρ περὶ τὸν ἀνάξιόν ἐστι δυστυχοῦντα, ὁ δὲ περὶ τὸν ὅμοιον, ὥστε οὔτε ἐλεεινὸν οὔτε φοβερὸν ἔσται τὸ συμβαῖνον — ὁ μεταξὺ ἄρα τούτων λοιπός (1452 b 31 –1453 a 7). Quae sequuntur post τὸν ὅμοιον, nempe [ἔλεος μὲν περὶ τὸν ἀνάξιον, φόβος δὲ περὶ τὸν ὅμοιον], cum Rittero et Theodoro Gomperz delenda esse intellego, nam errore librarii in describendo irrepsisse videntur. Quod autem vim vocabuli μιαρόν (cf. etiam 1353 b 36 τό τε γὰρ μιαρὸν ἔχει καὶ οὐ τραγικόν) attinet, contrarium aliquid esse catharsi puto neque Latine reddere conor, memor illius Italici dicterii: *traduttore-traditore.* Locum totum ita intellegendum esse reor: tragoediam pulcherrimam esse quae metuenda et miserabilia imitetur; in ea autem haec non inesse, si homines probi res secundas infortuniis commutaverint, nam talem commutationem non esse metuendam neque miserabilem, aut si improbi prosperitatem ex infortuniis adepti sint, nam id esse minime tragicum, quippe quod elementa neque metus neque miserationis neque humanitatis contineat. Si autem improbus, fortuna primum gavisus, malis oppressus sit, inesse quidem tali eventui rerum

humani aliquid, sed neque metum neque miserationem, cum res haec neque miserabilis neque metuenda sit, denique superesse homines casusque, qui medium inter adversa teneant locum. Omisi passum: ὁ μὲν γὰρ περὶ τὸν ἀνάξιόν ἐστι δυστυχοῦντα, ὁ δὲ περὶ ὅμοιον, qui parum apte ad priorem sententiam convenit et potissimum subcisiva explicatio videtur, difficultatem autem praebet, utrum ὅμοιον intellegendum sit perinde atque ἀνάξιον an atque ἀνάξιον δυστυχοῦντα. Ego potius ὅμοιον eadem vi atque ἀνάξιον adhibitum esse arbitror.

Eis, quae diximus, aptissime conveniunt: πρῶτον μὲν γὰρ οἱ ποιηταὶ τοὺς τυχόντας μύθους ἀπηρίθμουν, νῦν δὲ περὶ ὀλίγας οἰκίας αἱ [κάλλισται] τραγῳδίαι συντίθενται, οἷον περὶ Ἀλκμαίωνα καὶ Οἰδίπουν καὶ Ὀρέστην καὶ Μελέαγρον καὶ Θυέστην καὶ Τήλεφον καὶ ὅσοις ἄλλοις συμβέβηκεν ἢ παθεῖν δεινὰ ἢ ποιῆσαι (1453 a 17—21) et: ἔστιν μὲν οὖν τὸ φοβερὸν καὶ ἐλεεινὸν ἐκ τῆς ὄψεως γίγνεσθαι, ἔστιν δὲ καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς συστάσεως τῶν πραγμάτων ὅπερ ἐστὶ πρότερον καὶ ποιητοῦ ἀμείνονος. δεῖ γάρ, καὶ ἄνευ τοῦ ὁρᾶν οὕτω συνεστάναι τὸν μῦθον, ὥστε τὸν ἀκούοντα τὰ πράγματα γινόμενα καὶ φρίττειν καὶ ἐλεεῖν ἐκ τῶν συμβαινόντων... οἱ δὲ μὴ τὸ φοβερὸν διὰ τῆς ὄψεως, ἀλλὰ τὸ τερατῶδες μόνον παρασκευάζοντες οὐδὲν τραγῳδίᾳ κοινωνοῦσιν... ἐπεὶ δὲ τὴν ἀπὸ ἐλέου καὶ φόβου διὰ μιμήσεως δεῖ ἡδονὴν παρασκευάζειν τὸν ποιητήν, φανερὸν ὡς τοῦτο ἐν τοῖς πράγμασι ἐμποιητέον... τοὺς μὲν οὖν παρειλημμένους μύθους λύειν οὐκ ἔστιν... αὐτὸν δὲ εὑρίσκειν δεῖ καὶ τοῖς παραδεδομένοις χρῆσθαι καλῶς... τούτων δὲ τὸ μὲν γινώσκοντα μελλῆσαι καὶ μὴ πρᾶξαι χείριστον· τό τε γὰρ μιαρὸν ἔχει καὶ οὐ τραγικόν· ἀπαθὲς γάρ... διὰ γὰρ τοῦτο, ὅπερ πάλαι εἴρηται, οὐ περὶ πολλὰ γένη αἱ τραγῳδίαι εἰσίν. ζητοῦντες γὰρ οὐκ ἀπὸ τέχνης, ἀλλ' ἀπὸ τύχης εὗρον τὸ τοιοῦτον παρασκευάζειν ἐν τοῖς μύθοις. ἀναγκάζονται οὖν ἐπὶ ταύτας τὰς οἰκίας ἁπαντᾶν, ὅσαις τὰ τοιαῦτα συμβέβηκε πάθη (1453 b passim et 1454 a 8—13). Quae omnia, quamquam de poetis eorumque consilio dicta sunt, nonnulla tamen ad carmen ipsum explicandum exhibent. Testantur enim sine dubio metum et miserationem fabulae ipsi implicandam esse neque argumentum tragicum sine utroque animi motu sibi implicato fieri posse; metum igitur et miserationem in tragoedia ipsa imprimis vigere, secundarium autem esse, quod spectator his affectibus quoque moveatur necne.

IV

In describendo carmine ea tantum valent, quae carminis notiones sunt, consilia autem poetae minoris sunt momenti,

quia unusquisque poeta studia sua sequitur neque eadem in omnibus operibus suis sectatur. Itaque ea, quae ex arbitrio poetae pendent, quae mutari et in variis carminibus varia esse possunt, secernenda sunt ab iis, quae in omnibus eiusdem generis sunt genuina et perpetua, sine quibus carmen illud, quod per se est, fieri non potest.

Quae colligens repeto descriptione tragoediae ea posse solum contineri, quae huius carminis sint propria, nulla autem quae poetae arbitrio implicentur. Propterea nego ab Aristotele in descriptione tragoediae rationem haberi affectuum, quibus spectator moveatur, cum hi motus animi ex arbitrio poetae uniuscuiusque pendeant neque apud omnes poetas idem arbitrium statui possit. Quod idem arbitrium absolute est positum, non accuratius circumscriptum: et prodesse et delectare; certi autem affectus excitandi descriptionis fines excedunt atque apud singulos poetas, immo vero in singulis eiusdem poetae tragoediis varii sunt. Ne multis exemplis utar, enumero *Persas* et *Prometheum* Aeschyli, aut in eadem de Oreste trilogia *Agamemnonem* et *Eumenidas*, *Oedipum Regem* et *Oedipum Coloneum* Sophoclis, *Ionem* et *Alcestin* Euripidis, etc. Verum qui nihilo minus putat omnibus illis fabulis solum metum et miserationem inesse, ut eis spectator afficiatur, macte opinione sua esto neque meas observationes legat, nam nullis iam argumentis eum convincam.

Quod ad tragoediam ipsam, ad quodcumque carmen imprimis nil nisi forma et argumentum pertinet? De forma satis superque, usque ad singula in descriptione Aristotelis invenimus, de argumento paene nulla, si eam, sicuti in editionibus typis excuditur, accipimus. Nam πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας esset totum, quod de argumento commemoratur. Estne tamen satis? Si ea, quae iam ex libro *de arte poetica* laudavi, quibus profecto omnibus argumentum tractatur, recte aestimamus, mirum videtur, cur in descriptione ipsa nulla eorum mentio facta sit. Quibus adici possunt etiam graviora: ἔστιν δὲ τῆς μὲν πράξεως ὁ μῦθος ἡ μίμησις· λέγω γὰρ μῦθον [τοῦτον] τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων (1450 a 3—4). Confestim adnoto τοῦτον iniuste ab editoribus uncis excludi, nam τοῦτον propius designat eum mythum, qui est μίμησις πράξεως, est enim alius mythus. Alter locus est: ἀνάγκη οὖν πάσης τραγῳδίας μέρη εἶναι ἕξ καθ' ὃ ποία τις ἐστὶν ἡ τραγῳδία· ταῦτα δ' ἐστὶ μῦθος καὶ ἤθη καὶ διάνοια καὶ ὄψις καὶ λέξις καὶ μελοποιία (1450 a 8—10). Cur de mytho, qui primus

omnium enumeratur, nulla fit in descriptione secundum editiones mentio? Deinde (1450 a 23—24): ὥστε τὰ πράγματα καὶ ὁ μῦθος τέλος τῆς τραγῳδίας, τὸ δὲ τέλος μέγιστον ἁπάντων, (1450 a 36—38): πρὸς δὲ τούτοις τὰ μέγιστα οἷς ψυχαγωγεῖ ἡ τραγῳδία, τοῦ μύθου μέρη ἐστίν, αἵ τε περιπέτειαι καὶ ἀναγνωρίσεις (1450 b, 1): ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας, quibuscum conferatur (1450 b 17): ἡ δὲ ὄψις ψυχαγωγικὸν μέν, ἀτεχνότατον δὲ καὶ ἥκιστα οἰκεῖον τῆς ποιητικῆς. Denique adhibeantur: διωρισμένων δὲ τούτων, λέγωμεν μετὰ ταῦτα ποίαν τινὰ δεῖ τὴν σύστασιν εἶναι τῶν πράγματων, ἐπειδὴ τοῦτο καὶ πρῶτον καὶ μέγιστον τῆς τραγῳδίας ἐστίν (1450 b 22 sq.) et alia eiusdem generis.

Quo modo igitur potest explicari in descriptione tragoediae illam partem maximam et gravissimam, illud principium et quasi animam tragoediae omitti, quamvis de ceteris disseratur? Videlicet nullo modo, sed non Aristotelem reum in iudicium vocare fas est. Ut autem clarius res demonstretur, repetemus (1452 b 32 sq.): ἐπειδὴ οὖν δεῖ τὴν σύνθεσιν εἶναι τῆς καλλίστης τραγῳδίας μὴ ἁπλῆν, ἀλλὰ πεπλεγμένην καὶ ταύτην φοβερῶν καὶ ἐλεεινῶν εἶναι μιμητικήν, τοῦτο γὰρ ἴδιον τῆς τοιαύτης μιμήσεώς ἐστιν... et (1453 a 22 sq.): ἡ μὲν οὖν κατὰ τὴν τέχνην καλλίστη τραγῳδία ἐκ ταύτης ἐστί, eisque si ea, quae paulo ante probata sunt, adiciemus, sane elucebit σύνθεσιν τῆς τραγῳδίας et σύστασιν τῶν πραγμάτων idem atque unum esse interque eam notionem et mythum artissimum nexum intercedere. Est enim mythus idem atque τὰ πράγματα fabulae tragicae. Non tamen omnis mythus aptus est, ut tragice tractetur, sed is solus qui metum et miserationem vel, si quis velit, metuenda et miserabilia demonstret. Haec enim sunt tragicae imitationis. Itaque non spectator, sed ipsa actio (τὰ πράγματα) illis animi motibus afficiatur, in fabula metus et miseratio procedant necesse est. Partes autem illorum animi motuum exprimendorum in tragoedia Graeca saepissime personis et choro tribuuntur ita, ut chorus et personae secunda tertiaque munere imprimis miserationis fungantur, persona autem prima metu ab exordio vel paullatim afficiatur. Quod tamen in universum tantum potest affirmari, nam in tragoediis complicatis (πεπλεγμέναι) etiam partes hae complicantur.

Poetas Graecos praecipue e fabulis heroicis argumenta fabularum suarum hausisse idque ab Aristotele permultis locis expositum esse satis constat, sed idem Aristoteles vide-

tur intellexisse res novissime gestas a poeta tragico tractari posse. Nam sententia (1451 b 23 sq.): ὥστ' οὐ πάντως εἶναι ζητητέον τῶν παραδεδομένων μύθων, περὶ οὓς αἱ τραγῳδίαι εἰσίν, ἀντέχεσθαι... δῆλον οὖν ἐκ τούτων, ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν ἢ τῶν μέτρων, ὅσῳ ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ἐστιν, μιμεῖται δὲ τὰς πράξεις. κἂν ἄρα συμβῇ γενόμενα ποιεῖν, οὐδὲν ἧττον ποιητής ἐστι· τῶν γὰρ γενομένων ἔνια οὐδὲν κωλύει τοιαῦτα εἶναι οἷα ἂν εἰκὸς γενέσθαι [καὶ δυνατὰ γενέσθαι], καθ' ὃ ἐκεῖνος αὐτῶν ποιητής ἐστιν, mea quidem opinione ad *Persas* Aeschyli et *Miletum captam* Phrynichi potissimum spectat. Persae autem optime demonstrant illam partium metus et miserationis assignationem.

Cum hucusque pervenerimus, locus est sententiae meae aperiendae. Quae est haec: altera parte descriptionis Aristoteleae de argumento tragoediae disseri et uberius μίμησιν πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας explicari. Obstat solum, quod in codice optimo, Parisino 1741, minus clarum μαθημάτων legitur. Quoniam illud μαθημάτων Trincavellius una litterula commutata in παθημάτων emendavit, liceat mihi alteram litteram mutare et novam emendationem suscipere. Pari iure atque μ errore librarii ex π exortum esse conicitur, suspicari licet α ex υ eodem errore exstitisse, itaque ab illo scriba μαθημάτων loco μυθημάτων scriptum esse. Quod eo facilius fieri potuit, quod scriptori minus litterato vocabulum μύθημα parum notum erat, cum contra πάθημα novit. Iam si eligenda est coniectura aut facilior aut difficilior eaque simplicior, non dubito faciliorem prorsus esse reiciendam. Satis patet vocabulum ignotum μυθημάτων a librario vocabulo noto μαθημάτων compensatum esse, sed nihil causae est, cur notum vocabulum παθημάτων alteri noto neque idoneo μαθημάτων locum cesserit. Si coniecturam μυθημάτων pro μαθημάτων difficiliorem dico, ea difficultate teneor. In libro *de arte poetica* vocabulum, de quo agitur, occurrit 1460 a 28 sq.: τούς τε λόγους μὴ συνίστασθαι ἐκ μερῶν ἀλόγων, ἀλλὰ μάλιστα μὲν μηδὲν ἔχειν ἄλογον, εἰ δὲ μή, ἔξω τοῦ μυθεύματος κτλ. Vocabuli quidem nota est utraque species et μύθημα et μύθευμα, utraque autem, quod morphologicam partem attinet, aeque bona, sed μύθευμα crebrius et magis notum videtur. Itaque discernendum est, utrum 1460 a 30 μυθεύματος scriptum sit loco μυθήματος, an 1449 b 27 μυθευμάτων melius sit quam μυθημάτων. Etsi satis causae est, ut altera coniectura probabilior videatur, speciem tamen vocabuli huius μύθημα praefero.

Etenim species multorum vocabulorum in -ημα exiens frequentior est et solito usui horum vocabulorum apud Aristotelem magis respondet. Cum tamen lexicon Aristoteleum ad manus non sit, difficilis est prorsus ratio exacta huius rei redditu. Statuere quoque non licet, utrum Aristoteles una solum specie, duabus existentibus, an promiscue specie in -ημα et -ευμα exeunti nonnullorum vocabulorum usus sit. Quatenus μύθημα et μύθευμα attinet, facile est intellectu, si Aristoteles utraque specie usus esset, cur a librario perperam μυθημάτων in μαθημάτων emendatum, μύθευμα autem relictum esset, cum difficilius mutari posset. Cui suspicioni haec sola obstat observatio μύθευμα quoque apud Aristotelem esse ἅπαξ λεγόμενον et μύθημα apud Graecos non legi nisi aetate demum Byzantina.

Si emendatio mea recta est, descriptio tragoediae ita est legenda: ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ χωρὶς ἑκάστῳ (vel ἑκάστου) τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων μυθημάτων κάθαρσιν.

Nunc pauca de vi vocabuli κάθαρσις dicamus quae sit. In eodem libro *de arte poetica* 1455 b 13 sq. dictum invenimus: μετὰ ταῦτα δὲ ἤδη ὑποθέντα τὰ ὀνόματα ἐπεισοδιοῦν, ὅπως δὲ ἔσται οἰκεῖα τὰ ἐπεισόδια, οἷον ἐν τῷ Ὀρέστῃ ἡ μανία δι' ἧς ἐλήφθη καὶ ἡ σωτηρία διὰ τῆς καθάρσεως. Mea saltem opinione, hic locus clarissime explicat, quae vis vocabuli κάθαρσις etiam in 1499 b 27 sit.

De vi et usu τῶν τοιούτων uberius non dissero, quia argumentis a F. Knoke (p. 52—57) et Henrico Otte (p. 34 et *Zu* κάθαρσις p. 3—4) et J. J. Hartman (p. 275 sq.) prolatis assentior.

Tota descriptio tum ita intellegenda est: „Tragoedia est imitatio actionis seriae, absolutae, confectae, quae certum ambitum (certam magnitudinem) habet, dictione suavi, variis formis in singulis partibus utente gaudet, personis agentibus, non narratione, miseratione et metu lustrationem talium argumentorum (fabularum) perficit". Quae versio satis rudis et timida, quatenus sine damno fieri potest, sensum exprimere conatur. Ex quo elucet μίμησιν πράξεως σπουδαίας παὶ τελείας explicatam esse δι' ἐλέου καὶ φόβου et τῶν τοιούτων μυθημάτων descriptionemque nulla parte carere, imprimis autem ea, quae nobis rem maximi momenti nempe argumentum tragoediae uberius exponat. Scimus enim nunc non omnem actionem seriam esse tragicam, sed eam tantum quae miserabilia et metuenda exhibeat, neque omnem actionem, cui miserabilia

et metuenda insint, tragice tractari posse, ut veram tragoediam efficiat, si lustratione argumenti careat. Lustratio igitur fit argumenti, quod ex copia mythorum Graecorum a poeta eligitur et genuino consilio, quod illud poeseos genus postulat, accommodatur. Non omnes mythi apti sunt, ut lustratio eorum perficiatur, inde tragoedia mythis, qui ad paucas familias pertineant, contenta sit necesse est.

Quae descriptionis explicatio optime respondet omnibus tragoediis Graecis, quae ad nostram memoriam asservantur, neque desiderat, ut ei aliquid adiciatur. Supervacaneum est conicere in descriptione Aristotelea dici aliquid vel cogitari de spectatore, quem — incertum qua de causa — philosophus non nominaverit, supervacaneum est sensum ut fertur perplexum somniis de infelici utroque animi motu, qui a se ipso vel se ipso ipse purgetur, atque alia eiusdem generis explicare. Quid etiam porro desiderandum nobis, si descriptio est clara neque aliis adminiculis, quae mox reiciantur vel frangantur, eget? Emendatio mea et consequens interpretatio convenit descriptioni tragoediae Graecae ab Udalrico Wilamowitz et Thaddaeo Zieliński probatae, tragoedias Graecas nobis asservatas nulla re offendit et, ut suum cuique reddatur, opinionem Henrici Otte argumento non levi auget.

Sed dicat aliquis esse versionem Arabicam et Syram libri *de arte poetica*, quarum nondum mentio ulla facta est. Profiteor liberrime me neque Arabicam neque Syram linguam novisse, sed difficillimum mihi est sententiam sequi Adolphi Gudeman (*Die syrisch-arabische Übersetzung der aristotelischen Poetik* [*Philologus* 1920, p. 248 adn. 20]): „παθημάτων: E, das syrische Fragment, Tract. Coislinianus, Averroes, R[1], Trincavelli. μαθημάτων : ω. Dass der Syrer ebenfalls nichts anderes als παθημάτων in Σ vorfand, zeigen eben das Arabische und Averroes, was gegen P. (*sic!*) Otte, *Kennt Aristoteles die tragische Katharsis?* p. 46 f. bemerkt sei".

Concedo interpretem Syrum codice Graeco maiusculis litteris saeculo V vel VI scripto usum esse, sed non credo ab eo interprete librum *de poetica* et imprimis tragoediae descriptionem recte intellegi potuisse. Si enim ita ea intellexisset, ut Arabs, de quo idem Gudeman uberius (p. 242—243) dicit, nimia fiducia esset insana credulitas. Apud Henricum Otte (p. 47—48) invenio interpretationem viri utriusque linguae et Arabicae et Syriacae periti, E. Mittwoch, qui utramque

et Syram et Arabicam versionem ad verbum Germanice exprimere conatus est. Uterque interpres dicit non de motibus animi, sed de hominibus, qui eis affecti sunt vel aliquid patiuntur. Sane interpres Syrus aliud exemplum Graecum libri *de arte poetica* habuit, quam quod nobis ex codice Parisino notum est, fortasse iam passum *Politiae* sententiasque Procli et Iamblichi secutus est, quamvis ad Aristotelis κάθαρσιν nihil pertinent (cfr. Finsler, *Platon und die aristotelische Poetik*, p. 1—4. 97), certissime autem, sicut mos antiquorum interpretum erat, non vertit, sed liberius interpretabatur.

Utcumque est, videtur mihi tragoedia Graeca eiusque vis genuina Syro interpreti et Arabi fuisse insuetum aliquid et insolitum. Si fontem, ex quo tragoedia haec manavit (cf. Ganszyniec, *Aristoteles quid de tragoediae comoediaeque primordiis docuerit* [*Eos* 1924, p. 1—11]), requirimus, necesse est existimemus fabulam tragicam Graecam unicam fuisse neque cum aliarum nationum tragoediis conferri posse. Vehementer igitur errant, qui putant posteris tragoediis comparandis aliud quid in tragoediis Graecis clarius posse fieri nisi Aristoteleum: δρώντων οὐ δι' ἀπαγγελίας, sed id quoque tantum quantum. Sunt qui Aristotelem non solum philosophum gravissimum, sed etiam fontem totius sapientiae, poetam ingeniosum (ex. gr. O. Schroeder, *Aristoteles als Dichter* [*Neue Jahrbücher für Wissenschaft und Jugendbildung* 1925, p. 31—35]) et prophetam paene celebrent, sed hodie talis opinio est fortasse nimis lepida. Itaque tragoediis Graecis alia mensura debetur, alia tragoediis ceterarum nationum. Meminisse tamen iuvat tragoediam et carmen epicum in Aristotelis *de arte poetica* libro arto nexu explicari, quam ob rem ingeniosum erat consilium Friderici G. Welcker (*Die griechischen Tragoedien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet*, Bonn 1839—1841), ut ratio argumentorum tragicorum cum poeseos epicae fabulis conferatur, neque minus ingeniosa pars prima et tertia *Tragodumenon* Thaddaei Zieliński, Cracoviae 1925 atque supplementa in annalibus *Eus* edita, quibus locos tragoediae Graecae rudimentales et singulas mythopoeias tragicas explanat.

Etenim ex mythis Graecis manavit carmen epicum, ex mythis et carmine epico dithyrambus et tragoedia Graeca, quae tamen omnem thesaurum mythicum non est complexa. Tantummodo mythi selecti tragice tractari poterant ideoque fabulae, argumenta tragice conformata lustratione quadam (catharsi)

novis opinionibus accommodata sunt. Poeta tragicus ποιητὴς sensu stricto fuit.

Quae ab Aristotele intellecta esse probat non solum locus iam laudatus (1460 a 28 sq.), sed etiam *Poet.* 1460 a 12 sq.: δεῖ μὲν οὖν <καὶ ἐν τοῖς ἔπεσιν καὶ> ἐν ταῖς τραγῳδίαις ποιεῖν τὸ θαυμαστόν, μᾶλλον δ' ἐνδέχεται ἐν τῇ ἐποποιίᾳ τὸ ἄλογον (quamvis cur ἀνάλογον codicis Parisini displiceat, dubius sum), δι' ὃ συμβαίνει μάλιστα τὸ θαυμαστόν κτλ. et 1456 a 19 sq.: ἐν δὲ ταῖς περιπετείαις καὶ ἐν τοῖς ἁπλοῖς πράγμασι στοχάζεται ὧν βούλονται θαυμαστῶς· τραγικὸν γὰρ τοῦτο καὶ φιλάνθρωπον (ordo codicum restituendus mihi videtur). ἔστιν δὲ τοῦτο, ὅταν ὁ σοφὸς μὲν μετὰ πονηρίας <δὲ> ἐξαπατηθῇ ὥσπερ Σίσυφος, καὶ ὁ ἀνδρεῖος μὲν ἄδικος δὲ ἡττηθῇ. ἔστιν δὲ τοῦτο εἰκὸς ὥσπερ Ἀγάθων λέγει· εἰκὸς γὰρ γίνεσθαι πολλὰ καὶ παρὰ τὸ εἰκός.

V

Verum haec uberius exponere nunc non habeo in animo; eam rem seposui, ut dissertatione alia, si qua fata sinant, enucleentur. Qua dissertatione latius explicabo, quo modo mythi heroici in tragoediis Graecis adhuc asservatis (nam fragmentis uti propter eorum insufficientiam periculosum est) mutati eoque lustrati sint. Qua in re notas iam observationes Friderici G. Welcker et Thaddaei Zieliński augere et novo incepto accommodare conabor.

Nunc in harum observationum calce nonnullos Platonis locos examinabo. Ille quidem paucis locis de fabula tragica disserit, sed ea quae dicit parum cum Aristotele cohaerere fortasse videntur. *Legum* enim l. VII p. 817 a-d de tragoedia verissima quae sit disputat, sed illi tragoediae quam Aeschylus, Sophocles, Euripides composuerunt, ea non respondent, nam Plato poetas tragicos e civitate pellendos civitatemque optimis legibus constitutam ipsam optimos poetas tragicos prolaturam esse putat: ἡμεῖς ἐσμὲν τραγῳδίας αὐτοὶ ποιηταὶ κατὰ δύναμιν ὅτι καλλίστης ἅμα καὶ ἀρίστης· πᾶσα οὖν ἡμῖν πολιτεία ξυνέστηκε μίμησις τοῦ καλλίστου καὶ ἀρίστου τοῦ βίου, ὃ δὴ φαμεν ἡμεῖς γε ὄντως εἶναι τραγῳδίαν τὴν ἀληθεστάτην. E quibus Platonis enuntiatis atque ex aliis eiusdem generis (ex. gr. *Civ.* X p. 595 a—608 c, praecipue 595 e et 600 e—601 b) satis elucet artem poeticam et imprimis tragoediam opinione ipsius imitationem esse, patrem autem et auctorem poetarum tragicorum Homerum. Cum autem Plato (l. l. 601 a) dicit: Οὕτω δέ, οἶμαι, καὶ τὸν ποιητικὸν φήσομεν χρώματα

ἄττα ἑκάστων τῶν τεχνῶν τοῖς ὀνόμασι καὶ ῥήμασιν ἐπιχρωματίζειν, αὐτὸν οὐκ ἐπαΐοντα ἀλλ' ἢ μιμεῖσθαι, ὥστε ἑτέροις ἐκ τῶν λόγων θεωροῦσι δοκεῖν... οὕτω φύσει αὐτὰ ταῦτα μεγάλην τινὰ κήλησιν ἔχειν. ἐπεὶ γυμνωθέντα γε τῶν τῆς μουσικῆς χρωμάτων τὰ τῶν ποιητῶν, αὐτὰ ἐφ' αὑτῶν λεγόμενα, οἶμαί τε εἰδέναι οἷα φαίνεται, verba haec satis priori parti sententiae Aristotelis respondent, etsi Plato artem tragicam, quae vulgo putatur, vituperat veramque sua opinione tragoediam ei anteponit, Aristoteles autem de fabula tragica quae vulgo habetur disserere in animo habet. Uterque enim haud dubie dicit tragoediam esse μίμησιν πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας ἡδυσμένῳ λόγῳ.

Nunc si ad alteram descriptionis Aristoteleae partem transimus quidque ei apud Platonem respondeat, quaerimus, haec nobis occurrunt: *Philebi* c. 29—31 Socrates de voluptatibus mixtis et puris disserit suisque ratiocinationibus pauca de tragoedia et comoedia inserit. Itaque p. 47 e dicit: Ὀργὴν καὶ φόβον καὶ πόθον καὶ θρῆνον καὶ ἔρωτα καὶ ζῆλον καὶ φθόνον καὶ ὅσα τοιαῦτα ἆρ' οὐκ αὐτῆς τῆς ψυχῆς τίθεσαι ταύτας λύπας τινάς; ...Οὐκοῦν αὐτὰς ἡδονῶν μεστὰς εὑρήσομεν ἀμηχάνων; et porro 42 a: καὶ μὴν καὶ τραγικὰς θεωρήσεις, ὅταν ἅμα χαίροντες κλαίωσι μέμνησαι; ...Τὴν δ' ἐν ταῖς κωμῳδίαις διάθεσιν ἡμῶν τῆς ψυχῆς ἆρ' οἶσθ' ὡς ἔστι κἀν τούτοις μίξις λύπης καὶ ἡδονῆς; ...παντάπασι γὰρ οὐ ῥᾴδιον... ἐν τούτῳ ξυννοεῖν τὸ τοιοῦτον ἑκάστοτε πάθος; denique p. 50 b: Μηνύει δὴ νῦν λόγος ἡμῖν ἐν θρήνοις τε καὶ ἐν τραγῳδίαις, μὴ τοῖς δράμασι μόνον, ἀλλὰ τῇ τοῦ βίου ξυμπάσῃ τραγῳδίᾳ καὶ κωμῳδίᾳ, λύπας ἡδοναῖς ἅμα κεράννυσθαι, καὶ ἐν ἄλλοις δὴ μυρίοις.

Gorgiae autem c. 57 p. 502 b dicit Socrates: Τί δὲ δὴ ἡ σεμνὴ αὕτη καὶ θαυμαστὴ ἡ τῆς τραγῳδίας ποίησις ἐφ' ᾧ ἐσπούδακε, πότερόν ἐστιν αὐτῆς τὸ ἐπιχείρισμα καὶ ἡ σπουδή, ὡς σοὶ δοκεῖ, χαρίζεσθαι τοῖς θεαταῖς μόνον ἢ καὶ διαμάχεσθαι, ἐάν τι αὐτοῖς ἡδὺ μὲν ᾖ καὶ κεχαρισμένον, πονηρὸν δὲ, ὅπως τοῦτο μὲν μὴ ἐρεῖ, εἰ δέ τι τυγχάνει ἀηδὲς καὶ ὠφέλιμον ὄν, τοῦτο δὲ καὶ λέξει καὶ ᾄσεται, ἐάν τε χαίρωσι ἐάν τε μή; ποτέρως σοι δοκεῖ παρεσκευάσθαι ἡ τῶν τραγῳδιῶν ποίησις; ...Δημηγορία ἄρα τίς ἐστιν ἡ ποιητική.

Si quis ea, quae Plato ore Socratis profert cum Aristotelis de catharsi sententia cohaerere putat, vehementer errat, nam omnia haec non de aliqua propria et genuina parte fabulae tragicae sunt, sed consilium poetae et poeseos fortuita vitia ostendunt. Mixta autem dolori voluptas, quam Socrates in fabulis tragicis sentit, nullo pacto est τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσις. Iam loci, quibus has Socratis commentationes legi-

mus, satis demonstrant non esse eis partem aliquam descriptionis prolatam. Alio loco est aliquid de catharsi commemoratum, id est *Civ.* 377 b—379 a et praecipue: Πρῶτον δὴ ἡμῖν, ὡς ἔοικεν, ἐπιστατητέον τοῖς μυθοποιοῖς, καὶ ὃν μὲν ἂν καλὸν ποιήσωσιν, ἐγκριτέον, ὃν δ' ἂν μὴ ἀποκριτέον. Τοὺς δ' ἐγκριθέντας πείσομεν τὰς τροφούς τε καὶ μητέρας λέγειν τοῖς παισὶ καὶ πλάττειν ψυχὰς αὐτῶν τοῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον, ὡς οὐδεὶς πώποτε πολίτης ἕτερος ἑτέρῳ ἀπέχθετο οὐδ' ἔστι τοῦτο ὅσιον, τοιαῦτα λεκτέα μᾶλλον πρὸς τὰ παιδία εὐθὺς καὶ γέρουσι καὶ γραυσὶ καὶ πρεσβυτέροις γιγνομένοις, καὶ τοὺς ποιητὰς ἐγγὺς τούτων ἀναγκαστέον λογοποιεῖν... ὧν δὴ ἕσως ἕνεκα περὶ παντὸς ποιητέον, ἃ πρῶτα ἀκούουσιν, ὅτι κάλλιστα μεμυθολογημένα πρὸς ἀρετὴν ἀκούειν... οἰκισταῖς δὲ (πόλεως) τοὺς μὲν τύπους προσήκει εἰδέναι, ἐν οἷς δεῖ μυθολογεῖν τοὺς ποιητάς, παρ' οὓς ἐὰν ποιῶσιν, οὐκ ἐπιτρεπτέον. Quae omnia ad unum spectant, ut poesis et poetae paedagogi, non psychagogi civitatis fiant. Ne quid quod abundet addam, *Sophistae* 226—230 commemoro et mutatis mutandis multum valere puto: Διὰ ταῦτα δὴ πάνθ' ἡμῖν καὶ τὸν ἔλεγχον λεκτέον ὡς ἄρα μεγίστη καὶ κυριωτάτη τῶν καθάρσεών ἐστι (230), nam tragoedia Graeca, mea quidem opinione, veteres mythos imprimis redarguit, itaque κάθαρσις tragica τῶν μυθημάτων illa summa et praecipua lustratio sive purgatio Platonis existimari potest. Euripides, qui summam operam mythis redarguendis dedit, non sine causa ab Aristotele *Poet.* 1453 a 28 laudatur: καὶ ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.

Cum autem grato animo omnes, qui mihi rectam viam monstraverunt et me ad observationes colligendas impulerunt, enumerare cupio, praeter Fridericum Welcker et Henricum Otte virum clarissimum Iacobum Burckhardt *(Griechische Kulturgeschichte,* herausgeg. von Jakob Oeri, Stuttgart 1901, t. II p. 373—408, t. III p. 206—260. 308—328) et ingeniosum Paulum de Saint-Victor *(Les deux masques,* Paris 1893, t. I-II), quibus multum debeo, commemoro. Iacobi Burckhardt opinione (III 228: „Jedenfalls wäre die Definition irrig, wenn damit ein ausserhalb der Poesie liegender, etwa moralischer Zweck gemeint wäre") cogitare coactus sum, quamvis ipse Burckhardt eam pervulgata interpretatione addita debilitavit. Multa etiam pulchre et sapienter dicta, quamvis non omnino probabilia invenio apud Ernestum Howald *(Mythos und die Tragödie,* Tübingen 1927), sed quid valeant aut errent, promissa dissertatione experiar.

AD CICERONEM, *DE OFFICIIS* II 16, 56

scripsit
GEORGIUS SCHNAYDER

L. Hahn in notissimo ac nobili libro c. i. *Rom und Romanismus im griechisch-röm. Osten*, Leipzig 1906, p. 77 adn. 2 docuit philosophis Graecis, cum praestantissimos Romanorum viros plerumque ipsos novissent, saepius occasionem oblatam esse, ut rei publicae Romanae instituta aperte atque ingenue vituperarent: sic Aristonem Ceum, Pompei aequalem, apparationem popularium munerum in Romanis reprehendisse apud Cic. *De off.* II 56... Et tamen re accuratius perspecta pro mea quidem parte Aristonem illum in obtrectatorum choro ponendum non putavi, cum in his commentariis nuperrime de Romae vituperationibus dissererem [1]), id quod nunc paucis explanare liceat.

Cicero *De off.* II 16 — ut notum est — duo largorum genera profert, nempe prodigos ac liberales. Horum prodigi, qui pecunias in res vanas profundunt, absurde Ciceronis opinione a Theophrasto excusantur: *...est enim multus* (sc. Theophr. in libro *De divitiis) in laudanda magnificentia et apparatione popularium munerum.....* Deinde haec leguntur: *Quanto Aristoteles* (hanc lectionem omnes fere codd. exhibent) *gravius et verius nos reprehendit, qui has pecuniarum effusiones non admiremur, quae fiunt ad multitudinem deleniendam. Ait enim: 'qui ab hoste obsidentur, si emere aquae sextarium cogerentur mina, hoc primo incredibile nobis videri, omnesque mirari, sed cum attenderint, veniam necessitati dare, in his inmanibus iacturis infinitimisque sumptibus nihil nos magnopere mirari, cum praesertim neque necessitati subveniatur nec dignitas augeatur ipsaque illa delectatio multitudinis ad breve exiguumque tempus capiatur, eaque a levissimo quoque, in quo tamen ipso una cum satietate memoria quoque moriatur voluptatis'. Bene etiam colligit: 'haec pueris et mulierculis et servis et servorum simillimis liberis esse grata, gravi vero homini et ea, quae fiunt, iudicio*

[1]) G. Schnayder, *De infenso alienigenarum in Romanos animo* (Eos XXX 1927, p. 129 adn. 1). Dissertationis pars altera nunc praesto est in *Archiwum filol. Polskiej Ak. Um.* Nr. 7: G. Schnayder, *Quibus conviciis alienigenae Romanos carpserint*, Cracoviae 1928, p. 1—70.

certo ponderanti probari posse nullo modo'". Invectiva, in codicibus Aristoteli assignata, doctorum animos in se convertit propter ipsum auctoris nomen, multis iamdudum suspectum, etsi codicum fide traditum [1]). Et revera in superstitibus Stagiritae libris invectivam contra pecuniarum effusiones nullam omnino legimus, quae autem iudicia *Eth. Nic.* auctor de ludis et de liberalitate (ἐλευθεριότης) fecit, non satis apte cum Ciceroniano loco conveniunt [2]). Atque profecto vitium hic latere nonnulli iam doctissimi perspexerunt. Longum correctorum agmen M. A. Muretus ducit, XVI saec. criticus celebratus, qui scribae errorem suspicans contra omnium fere codicum consensum *Aristo* (Stoicus) pro *Aristoteles* legendum esse ingeniose coniecit. Nempe in uno Manutii libro *ARO* legebatur, ex quo compendio male intellecto corruptela visa est nata [3]). Muretus Aristonem Chium, Stoicum celeberrimum,

---

[1]) Stagirites ter omnino in libris *de officiis* a Cicerone laudatur. Praeter hunc locum etiam bis, i. e. in libro primo (c. 4) et tertio (c. 35). Mentiones illae nonnullis doctis, qui litterarum antiquarum historiae curam impendent, satis videlicet fuerunt, ut inter complures Ciceronis fontes et Aristotelem ponerent, id quod prudentiores haud immerito offendebat. In quibus Hirzelius *(Untersuchungen zu Cic. philosophischen Schriften*, Leipzig 1882, II 2, p. 722, 1) Teuffelio crimini dedit, quod Aristotelem bisve semelve a Cicerone memoratum facillime tamquam fontem acciperet (scil. in libro c. i. *Gesch. d. röm. Lit.*[4] 1882), Theophrastum vero totidem fere appellatum, eodem honore despoliaret. — At in recentiore Teuffeliani libri editione (I ed. 6, 1916 p. 419 sq.) Aristoteles inter fontes Arpinatis desideratur aeque atque apud Schanzium, *Gesch. d. röm. Lit.* I 2[4] 1927, p. 520.

[2]) Cf. e. c. *Eth. Nic.* Δ 1119 b, 19 sq. (p. 69 ed. Susemihl-Apelt): χρῆσις εἶναι δοκεῖ χρημάτων δαπάνη καὶ δόσις... aut infra 1121 a, 22 sq. (p. 76)... ὑπερέχει (sc. ἡ μεγαλοπρέπεια) τῆς ἐλευθεριότητος μεγέθει. Καθάπερ γὰρ τοὔνομα αὐτὸ ὑποσημαίνει, ἐν μεγέθει πρέπουσα δαπάνη ἐστίν... 1122 b, 18 sq.: καὶ ἔστιν ἔργου μεγαλοπρέπεια ἐν μεγέθει. Ἔστιν δὲ τῶν (δαπανημάτων οἷα λέγομεν τὰ τίμια, οἷον τὰ περὶ θεούς, ἀναθήματα καὶ) κατασκευαὶ καὶ θυσίαι, ὁμοίως δὲ καὶ ὅσα περὶ πὰν τὸ δαιμόνιον, καὶ ὅσα πρὸς τὸ κοινὸν εὐφιλοτίμητά ἐστιν, οἷον εἴ που χορηγεῖν οἴονται δεῖν λαμπρῶς ἢ καὶ ἑστιᾶν τὴν πόλιν... *Ibd.* 26 sq.: διὸ πένης μὲν οὐκ ἂν εἴη μεγαλοπρεπής, οὐ γὰρ ἔστιν ἀφ' ὧν πολλὰ δαπανήσει πρεπόντως... Horum omnium laudator suasorque non potuit profecto, nisi secum ipse pugnans, popularium munerum magnificentiam vituperare!

[3]) cf. e. c. editionem C. Beieri, Lipsiae 1821 II p. 108. — Quod ad nomina ipsa spectat, haec saepius confundebantur: sic e. c. Prantl *(Gesch. d. Logik* I p. 590, 23) apud Apuleium II. ἑρμην. 14 (p. 193, 24 ed. Thomas) lectionem codicum *Aristo* pro *Aristoteles* restituit; de quo cf. E. Zellerum, *D. Phil. d. Gr.*[3] III 1627 adn. 2.

in animo habuit[1]). Non ita posteriores Ciceronis editores ac commentatores, quorum C. Beierus *Aristo Ceus* legendum esse statuit non aliter atque Orellius[2]), cum e. c. R. Stuerenburg (Lipsiae 1843) lectionem *Aristo* probasset Manutii compendii lectionem (*ARO*) secutus.

Atque ex omnibus eiusdem nominis philosophis, quos novimus, Aristo Ceus (ὁ Κεῖος) Peripateticus, III saec. post Lyconem scholae praeses, plurimum doctis placebat[3]), nempe is, cuius vestigia H. Sauppius ex Philodemo Epicureo eruisse sibi visus est[4]). In Philodemi libro decimo, quo superbia (ὑπερηφανία) potissimum carpebatur, arrogans quoque homo (αὐθάδης) acriter descriptus est (= col. XVI 29), fortasse secundum Aristonis Cei epistulam, sic ab oblivione nobis vindicatam[5]). Cum vero et Diogenes Laertius VII 163 eidem Aristoni ὑπομνήματα περὶ κενοδοξίας attribuisset, a Philodemo—ut videbatur—commemorata[6]), complures Ciceronis commentatores propenso animo haec omnia arripuerunt et diu iam pro certo habebant ex Peripatetico Ceo, arrogantiae inanisque gloriae irrisore, invectivam a Cicerone depromptam atque *De officiis* libro secundo insertam esse[7]).

Id hodie profecto stare non potest: nempe iam Aug.

---

[1]) „...quod Aristo Stoicus fuit philosophus celeberrimus..." v. ed. Heusingerii-Zumptii (Brunsvigiae 1838) o. l. p. 300; Heusingerius ipse *Aristo Chius* coniecit.

[2]) M. T. Ciceronis opera ex rec. J. C. Orelli. Ed. altera Baiteri-Halmii Turici 1861.

[3]) Apud Paulium-Wissowam s. v. *Aristo* usque ad 66 personas invenies, in quibus philosophos quinque (scil. N. 52—56). De Ceo Perip. v. quae Gercke exsecutus est (*RE* N. 52), Zellerus II 2, 925 sq. Eundem tamquam Catonis m. fontem probabilem Ritschelius, Hirzelius, Gercke Ciceroni vindicaverunt, alii vero (ut Giesecke) Chium (ὁ Χῖος) Stoicum malebant.

[4]) Philodemi *De vitiis liber decimus*, Weimar 1853 = Pap. Hercul. n. 1008

[5]) De commercio inter Philod. π. κακιῶν libro et Aristonem Perip. intercedente postea Jensenius disseruit: *Aristo von Keos bei Philodem (Hermes* XLVI 1911, 393 sq.).

[6]) Id quod A. Giesecke negavit *(De philosophorum vet. quae ad exilium spectant sententiis*, Lips. 1891, p. 64) ostendens librum περὶ τοῦ κουφίζειν ὑπερηφανίας a Philodemo laudatum alium profecto esse atque ὑπομνήματα περὶ κενοδοξίας iam propter ipsam harum notionum discrepantiam.

[7]) Ut vetustiores apponam cf. e. g. J. M. Heusingerium - C. T. Zumptium (1838), qui tamen lectionem *Aristoteles* reliquerunt, — item G. Fr. Ungerium (1852), O. Heinium (1861), J. Gruberium (1866).

Mayerus (*Aristonstudien* [*Philol.* XI Supplbd. 1908 p. 487]) Sauppii coniecturam supra prolatam in dubium vocavit[1]), his autem proximis temporibus C. Gallavotti[2]) Aristonis epistulam a Philodemo agitatam sumptamque contra omnium fere opinionem Stoico eiusdem nominis philosopho Chio propter scribendi indolem paulo acriorem attribuit (p. 479). Nihilominus tamen Ciceronis exemplar Graecum ex Peripatetici potius libris deperditis eruendum esse opinor. Id enim, quod ab eodem Mayero ex Plutarchi libris sagaciter est enucleatum et Peripatetico nostro tamquam proprium vindicatum, ut mea quidem est opinio, aliquam infert lucem ad Ciceronianae invectivae fontem genuinum aperiendum.

Plutarchi opusculum, in quo praecepta rei publicae gerendae (πολιτικὰ παραγγέλματα) congesta invenies, Mayerus diligenter perscrutatus est ostendens, quaenam auctor Graeco exemplari debuisset. In quibus praeceptis conscribendis Aristonis librum contra rhetores meditatum (πρὸς τοὺς ῥήτορας) Plutarcho plurimam praebuisse materiam vir eruditus probis rationibus demonstravit (p. 488 sq.). Atque doctissimam dissertationem cum cognoscerem, succurrit mihi nonnulla, quae M. Aristoni Peripatetico vindicasset, similitudinem quandam prodere cum nostro Ciceroniano loco.

Secundum Mayeri observationes Aristonis libro πρὸς τοὺς ῥήτορας composito populares viri impugnabantur, plebeculae blandientes turbamque nutrientes. Huc Plutarchi c. 27—31 spectare videntur (p. 508 sq.): viri, qui ad rem publicam se contulerunt his admonentur, ne honoris significationes plus, quam fidem atque amorem populi curent: simulatas revera dignitates a rhetoribus capi, pecunias in ludos faciendos immodice profundentibus. At in cap. 29 (p. 821 F) illi potissimum reprehenduntur, qui magnis sumptibus gloriam emunt... ἀναλωμάτων μεγάλων ὠνούμενοι τὴν δόξαν..... Supra haec invenies (*ibd.*): οὕτως ἁπάντων ἐρώτων ἰσχυρότατος... ἐστὶ ὁ πόλεσι καὶ δήμοις πρὸς ἕνα δι' ἀρετὴν ἐγγιγνόμενος· αἱ δ' ἀπὸ θεάτρων ἢ νεμήσεων ἢ μονομάχων ψευδόνυμοι τιμαὶ καὶ ψευδομάρτυρες, ἑταιρικαῖς ἐοίκασι κολακείαις ὄχλων, ἀεὶ τῷ διδόντι καὶ χαριζομένῳ προσμειδιώντων ἐφήμερόν

[1]) p. 387: „...denn dass der bei Philodem Genannte Charakterschilderungen schrieb, genügt noch nicht, um den Stoiker auszuschliessen".

[2]) *Teofrasto e Aristone* (*Riv. di Filol.* V 1927, 468 sq.).

τινα καὶ ἀβέβαιον δόξαν... Hae reprehensiones brevem illam plebeculae delectationem in animum quadamtenus revocare videntur, quacum ipsam quoque memoriam voluptatis mori apud Ciceronem profusionum vituperator contendit. Nempe apud Plutarchum plebs velut scortum gloriae captatori blanditur, apud Ciceronem in spectatorum numero mulierculae quoque inveniuntur. Sed et caput 30, etsi a Mayero (p. 510) fortasse nimis imperiose ad Plutarchum totum refertur, attentos nos facit propter hanc praecipue auctoris admonitionem:... χρηστὰς δὲ καὶ σώφρονας ἀεὶ ποιοῦ τῶν ἀναλωμάτων ὑποθέσεις τὸ καλὸν ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἐχούσας τέλος ἢ τὸ γοῦν ἡδὺ βλάβης ἄνευ καὶ ὕβρεως προσούσης... Nonne et Ciceronis Aristo *in his inmanibus iacturis graviter offendit, cum praesertim neque necessitati subveniatur nec dignitas augeatur... ipsaque illa delectatio... ad breve exiguumque tempus capiatur?*

Cette explication semble être confirmée par l'usage existant jusqu'à aujourd'hui en Dacie et dans les provinces voisines, où au printemps, au carême-prenant, apparaissent à la mascarade des hommes *(fig.* 11) portant aussi des sonnettes, appelés καλογέροι. Ils jouent le rôle principal à la pantomime représentant à peu près la vieille histoire de Bacchus, sa naissance, sa mort, ses dons offerts à la nature (le labourage, les semailles, la moisson etc.[1]). Cet usage est peut-être un faible écho des anciennes cérémonies et processions du culte de Bacchus, dont nous possédons un fragment exigu dans l'unique monument ancien — le relief de Krzeszowice — appartenant à la basse époque de l'art national romain.

[1]) On en trouve une description détaillée dans B. M. Dawkins, *The modern carnival in Thrace* (*Journ. Hell. Stud.* XXVI 1906, p. 191—206 fig. 3—9). J. C. Lawson, *A beast dance in Scyros* (*Annual of the British School at Athens* VI 1899, p. 125—127) et *A visit to Scyros. The carneval* (*ibd.* XI 1904, p. 72—74 fig. 1).

DEUX BASES DE COLONNES EN BOIS DE BOGHAZ-KEUÏ

par

STEFAN PRZEWORSKI

Nous devons à une trouvaille accidentelle faite au cours des fouilles de la *Deutsche Orient-Gesellschaft* en 1907 à Boghaz-Keuï, dans un emplacement choisi pour la construction de l'*excavation house*, deux monuments intéressants dont l'importance particulière n'a pas été jusqu'alors suffisamment appréciée. Ce sont deux blocs en calcaire de forme cubique et de dimensions presque égales (fig. 1, 2).




Fig. 1 [1])




Fig. 2 [2])

Chacun d'eux possède, taillée en dessus, une mortaise rectangulaire, peu profonde, et porte, à une de ses faces oblongues, la représentation sculptée d'un rite hittite dont le vrai sens nous échappe encore[3]). Les deux reliefs sont conformes dans leur style et dans maints détails, de sorte qu'ils pourraient être considérés comme deux épisodes d'un cycle plus étendu. Évidemment les deux blocs ne sont que deux pièces correspondantes détachées d'un ensemble dont ils faisaient partie autrefois, puisqu'ils ont été aussi trouvés au même endroit. On les a considéré toujours comme des bases à statues, sans que des statues pourvues de tenons nous soient jamais connues

[1]) Constantinople No. 7775. H. 66, l. 81, ép. 69. Mortaise : lg. 30, l. 19. Winckler, *Mitt. d. D. Orient-Ges.* XXXV 1907, 57 fig. 6 et *Report of the Smithsonian Institution* for 1908, 1910, pl. 5, Weber, *Mitt. d. Vorderasiat. Ges.* XXII 1917, 374 fig. 4.

[2]) Constantinople No. 7776. H. 53, l. 89, ép. 80. Mortaise : lg. 41, l. 20,5. Winckler, *Mitt.* 1907, 58 fig. 7 et *Report* 1910, pl. 4, Weber, *Mitt.* 1917, 372 fig. 2. Je dois mes remerciements à la *Deutsche Orient-Gesellschaft* qui a bien voulu mettre à notre disposition les clichés. La reproduction photographique est reservée à mon ouvrage *Monumenta Hethitica* I 1 *(Collection Hethitica,* vol. II, Paris, Geuthner).

[3]) Weber, *Mitt.* 1917, 371 ss., Andrae, *Die archaischen Ischtar-Tempel in Assur* 1922, 35, Galling, *Der Altar in den Kulturen des alten Orients* 1925, 95 s.

dans l'art hittite de l'Asie Mineure[1]). Cependant, une autre explication, plus précise peut-être, ne serait-elle pas possible?

L'architecture hittite n'employait pas des colonnes en pierre; ni fûts ni chapiteaux en pierre ne furent jusqu'à maintenant découverts, ce qui permet d'admettre que ces éléments étaient en bois. Or, il me semble probable que les deux blocs de Boghaz-Keuï n'étaient que des bases de colonnes pareilles dont le tenon fut introduit dans la mortaise afin de rendre toute la construction plus solide.

Nous n'avons pas d'autres exemples des bases cubiques dans l'art hittite. En Syrie du Nord, les fouilles de Zendjirli ont révélé des supports de colonnes en forme de bulbe ou de cylindre en pierre, eux-mêmes élevés sur un socle rectangulaire. Cependant toutes ces bases sont beaucoup plus récentes que celles de Boghaz-Keuï qui, par leur forme cubique et leurs faces sculptées, s'approchent du bloc architectonique tel qu'il nous est connu d'Euyuk et d'Arslan-Tépé. On pourrait même dire que ce ne sont que des blocs architectoniques adaptés pour bases de colonnes. Nous avons donc ici, pour la première fois, une adaptation, jusqu'alors méconnue, du principe de la décoration sculptée placée près du sol, à la base de colonne en bois. Et ceci mérite d'autant plus notre attention qu'on retrouve la continuation du même principe dans l'architecture de l'ancien temple ionien à Éphèse[2]). Ses colonnes présentent, comme l'a remarqué M. Pottier[3]), „une base haute, d'un caractère oriental, avec un pourtour de figures marchant à la file, comme sur les plinthes sculptées des palais hittites et assyriens". Ici alors la base ronde demande que le décor en relief se présente sous forme d'une frise; à Boghaz-Keuï il est, grâce à la forme rectangulaire du support de colonne, plus simple et limité à son avant-face.

Faute de renseignements sur les civilisations préhelléniques de l'Asie Mineure occidentale, il est encore impossible de tracer le développement que ce principe de la décoration sculptée subit depuis l'époque de Boghaz-Keuï jusqu'à celle de l'Éphèse. En tous cas, nous sommes ici, pour une fois de plus, en présence de l'influence évidente de l'art hittite de l'Asie Mineure sur l'ancien art ionien[4]).

---

[1]) Quant aux grandes statues fixées dans le sol, v. Puchstein, *Boghazköi* 1912, 106 fig. 80.

[2]) Hogarth, *Excavations at Ephesus* 1908, pl. XVI 1.

[3]) Pottier, *L'art Hittite* I 1926, 46.

[4]) Il faut préciser que M. Pottier pensait à l'adaptation du principe de l'orthostate à la base de colonne, c. à d. qu'il admettait des influences de l'architecture de la Syrie du Nord sur celle de l'Ionie.

DE TERRA MATRE A GRAECIS CULTA

scripsit
HELENA MATAKIEWICZ

I

Qui primus totum de Terrae Matris cultu librum conscripsit Dieterich [1]), ipso prooemio vulgarem sibi investigandam professus est religionem, quam ob rem omnia ad hoc evincendum traxit testimonia. Iam haec a priori concepta auctoris persuasio duobus innititur argumentis, quorum alterum quidem ex ethnologia, alterum ex litteris haustum apparet: at prius sane missum faciens solum alterum discutiam.

Incipit auctor ab Homero cuius testimonia nullius putat momenti, quippe quae ad vulgarem non pertineant religionem: eam in Hesiodea reperiri *Theogonia*, ubi primas Terra agat partes. Puram tamen vulgi religionem Athenis solum inveniri, quod ex Solonis, tum Aeschyli clare eluceat carminibus, ubi vulgaris Terrae Matris percipiatur cultus. Sophoclem nihil novi ad eundem afferre illustrandum: contra Euripidem optimum praebere nobis testimonium, quomodo Terrae religio in mystica posteriorum temporum renascatur doctrina.

Terram deam ubique invenit auctor, etiam ubi nulla eius fit mentio: ubi Dis Manibus sacrificatur, ubi coniugales perpe-

---

[1]) Albrecht Dieterich, *Mutter Erde. Ein Versuch über Volksreligion*, [1] Leipzig 1905, [2] 1910, [3] 1925. Praeter Dieterichium idem tractaverunt argumentum: C. B. Stark, *De Tellure dea deque eius imagine a Manuele Phile descripta*, Progr. Jena 1848; F. G. Welcker, *Griechische Götterlehre*, Göttingen 1857, I p. 320—328; F. W. Lilie, *De Telluris deae natura ex veterum Graecorum fabulis descripta*, 1885 (hanc dissertationem non legi); Drexler, *Gaia* (in Roscheri *Mythol. Lex.* col. 1566—1586); L. Preller - C. Robert, *Griechische Mythologie I. Theogonie und Götter*, Berlin 1894, p. 634—638; J. E. Harrison, *Prolegomena to the study of greek religion*, Cambridge 1903, p. 263—267. L. R. Farnell, *The cults of the Greek states*, Oxford 1907, III p. 1—28, *testim.* 307—311; E. Rohde, *Psyche*, Tübingen 1910, I p. 208—210; S. Eitrem, *Gaia* (in Pauly - Wissowa - Krol *RE* XIIII col. 467—480). — Plurima de Terra Matre ea qua est ingenii praecocitate disputavit Ch. Picard, *Ephèse et Claros. Recherches sur les sanctuaires et les cultes de l'Ionie du Nord*, Paris 1922 (e. gr. p. 452 sqq. *La Terre-Mère à Claros et Ephèse, Apollon Clarien et la Terre-Mère, Oupis et l'Ephésia)*: at cum ipsam argumentorum umbram frustra in his quaeras, eius disputationi insistendum non duximus.

trantur ritus, vel frugibus obseritur tumulus, pertinaciter Terrae videt religionem. In exclamationibus quales rhetoribus praecipue debentur (e. g. ὦ γῆ καὶ θεοί) omnibus dis maior ipsi apparet. Vulgarem Terrae religionem in Eleusiniis detegit mysteriis, ubi partes eius agat Δημήτηρ, quam nihil aliud esse declarat ac Terram Matrem. Ex ordine alia Terrae cultus documenta investigat auctor iusto plus indulgens imaginationi, dum e. c. Dodonae eandem invenit superstitionem, quamquam ipsum Peleadum carmen cultus non est testimonium. Recte concludit Terrae Matris cultum non posse perspicue ex testimoniis deduci, quamvis probabiliter extiterit. Ubique prisci vulgarique religioni insiti cultus perscrutatur vestigia, quamquam concedit vetustatis signa saepe studiosum fallere investigatorem. Sed duo in primis praesto ei sunt argumenta, quibus innitens Terrae cultus probat vetustatem: en Cretae idem sibi extitisse videtur cultus, isque ad pristina pertinens tempora; deinde etymologicum affert argumentum: αἶα=ἀρια id quod *priscam* Terram designet. Quid nunc matris ostendere vult cognomen? Mater, ait, haec tantum existimatur dea, quae vitam praebet hominibus. Primo uni Terrae, deinde aliis etiam idem tributum esse dis cognomen. Plurimas quoque deas Terrae postea sibi arrogasse naturam, in primis Δημητέρα. Numen vero non esse immutabile, sed contra naturam nomenque plerumque mutare. Terram immutatam sane permansisse, eoque ab aliis victam esse deabus, nullam tamen Graecorum deam Terram nominare licere; sed superstitionum nonnumquam solummodo misceri argumenta. Terrae Matris antiquissimam vulgi putandam esse religionem, primumque esse gradum in longa maternorum numinum serie, cuius penultimus denuo gradus Cybeles, ultimus Isidos fuerit religio.

At multa sunt et gravia quae huic thesi opponi possunt. Primo enim historicam spernit auctor methodum ideoque multa silentio premit testimonia, quae mihi maximi videntur momenti, deinde parum ipsi vocabulo praebet auctoritatis. Praeterea Dieterich persuasum sibi habet Δημητέρα ab antiquis Terram Matrem esse existimatam, id quod minime est probatum. Quae sententia persaepe a philosophis aliisque doctis repetita *(testim.* I 1—10) deserta est a recentioribus, qui nullam novam adiecerunt Δήμητρος vocis explicationem. Primo igitur poetae aetatis sophisticae *(test.* I 1—3) Terrae Matris formulam in

Δήμητρος reppererunt nomine. A poeticis testimoniis ad Stoicorum brevi pervenimus opinionem, cuius memoriam servavit nobis Cicero, tum Sextus Empiricus et Philo Alexandrinus, tum ad grammaticos, qui procul dubio antecessorum repetunt sententias. Omnes fere Δημήτηρ idem ac Γῆ μήτηρ putantes unam huius similitudinis tradunt rationem: „casu prima immutata est littera", vel „pro γ praefixo saepe δ usurpatur" ut γνοφερόν—δνοφερόν. Nostris vero temporibus soli mythologi veram hanc existimant Δήμητρος nominis originationem, dum contra eam pugnant grammatici. Putat igitur Curtius[1]) γῆς vocem minime in Δήμητρος haerere nomine et perraro quidem ex γ factum esse δ confirmat. In nonnullis autem dialectis litterarum commutationes inveniri, dum pro δ usurpetur β vel ζ. L. Meyer[2]) primam deae nominis partem obscuram esse fatetur, quae nullo modo idem ac γῆ possit existimari, sed potius ex Δηοῦς pendeat voce et ipsa obscura. Hoffmann[3]) pauca praebet nobis exempla, in quibus vulgaris qui dicitur sermo γ pro δ adhibet litteram (e. g. 'Αριάγνη-'Αριάδνη), opposita tamen nulla commemorat documenta. Rari ut Nehringius[4]) veram esse putant etymologiam Δήμητρος nomen arcte cum Γῆς μητρός coniungentem dictione; multi praeterea varias eiusdem nominis proponunt originationes, ex quibus una ceteris mihi videtur verior: Δημήτηρ derivari a voce δηαί, quae opinio invenitur perinde ac ceterae laudatae originationes iam in *Etymologico Magno*. Haec quidem etymologia grammaticas minores habet difficultates meliusque ad Δήμητρος quadrat naturam, quippe quae frumenti eam ostendat matrem. Ut Δή-μητρι sic Terrae *matris* venerationis causa additum est cognomen et quamquam posteriore praesertim aetate Terrae similes Ceres habet notas, tamen numquam Terra appellari potest Mater neque existimare nos oportet poeticas quasdam fictiones veritatis continere granum. Veterum igitur doctorum recentiorumque opinionibus missis factis iam ipsi videamus, quid veterum testimonia ac documenta accuratius examinata de ipso Terrae Matris cultu nos doceant.

[1]) *Grundzüge der griech. Etymologie*, Leipzig 1879, p. 492.
[2]) *Handbuch der griech. Etymologie*, Leipzig 1901, III p. 234.
[3]) *Geschichte der griech. Sprache*, Leipzig 1913, p. 57.
[4]) *Religionsgeschichte und Sprachwissenschaft (Mitteilungen der schlesischen Gesellschaft für Volkskunde* XVIII 1916, p. 17).

II

Diversa terrae vocis vis fuit apud antiquos: sed unam inter alteramque vim saepe tam exiguum intercedit discrimen, ut quandoque difficiles sane sint distinctu variae notiones. Ceteroquin omnes vocis γαίας intellectus, quales in universum apud Graecos habere videtur, inveniuntur apud ipsum Homerum, ita ut hic apte vocis usum illustrare possit. Est igitur γῆ idem atque orbis terrarum, ubi de eius extensione cogitamus. Πείρατα γαίης (Θ 479) orbis illius designare videntur fines. Γαῖα de terrae etiam dicitur solo, in quo stamus ac movemur, qui profunde subter nos extenditur: ῥέε δ' αἵματι γαῖα μέλαινα (Ο 715). Nonnumquam mundani systematis partem ostendit et caelo tum opponitur: τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης (Θ 16). Praeter cosmologicam illam notionem alia quoque occurrit, quam geographicam possimus appellare, ubi mari opponitur terra: ἢ ἁλὸς ἢ ἐπὶ γῆς (μ 27). A qua proxime stat terrae et aquae oppositio, quae duo gravissima in memoriam reducit elementa: ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε (Η 99). Praeterea regionem terra ostendit, quam notus aliquis incolit populus: ὦ πόποι ἦ μέγα πένθος Ἀχαιΐδα γαῖαν ἱκάνει (Α 254). Rarius patriam designat, sed tum quoque semper aliquod additur adiectivum, e. g. φεύγωμεν σὺν νηυσὶ φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν (Β 146).

Ut igitur de aliis disputantes vocibus earum investigare possumus evolutionem, sic iam antiquissimum litterarum monumentum absolutum fere notionum continet numerum, evolutio autem antea quidem est exacta. Licet suspicari primum exiguum illud terrae spatium quod habitabant γαῖαν appellasse homines, deinde totum rus illo designasse nomine, ut demum toti mundano idem nomen imposuerint systemati. Agri autem γαίας voci addita est notio, postquam effloruit in Graecia agricultura. Neque licet existimare omnes enumeratas γαίας vocis notiones apud unum eundemque occurrere scriptorem Homero tragicisque exceptis poetis. Philosophus enim elementi vim ei imponit, historicus geographicam principaliter notionem, quamquam omnes uni cuique notas fuisse vocis notiones non est cur infitiemur.

Matris autem vox, ad quam ex ordine transeamus oportet, minorem quidem notionum ostendit varietatem. Ad familiam primo spectans *mater* deinde translate quoque usurpatur, quod ex subsequentibus clare elucet testimoniis: τρεφόμενος οὐχ ὑπὸ

μητρυιᾶς, ἀλλ' ὑπὸ μητρὸς τῆς χώρας (Plato *Menex.* 237 B), ubi regio de qua agitur maternas habet qualitates. Nonnumquam civitas etiam mater appellatur, scilicet quae liberorum, i. e. civium, iudicat facta: ἔρχεται κατηγορήσων μου ὥσπερ πρὸς μητέρα πρὸς τὴν πόλιν (Plato *Eutyphr.* 2 C). Saepe patriae terrae matris tribuitur cognomen: Αἰγίνα φίλα μάτερ legimus apud Pindarum (*Pyth.* VIII 140). Translate factorum eventuumque matris vox saepenumero ostendit initium vel fontem: πειθαρχία γὰρ τῆς εὐπραξίας μήτηρ (Aeschyl. *Sept.* 223). Praeterea qui cum natu maiore loquitur femina matrem eam nonnumquam honoris causa appellat dicitque e. g. ὦ μήτηρ, ut Alexander Darii matrem adloquitur (Diodor. XVII 37), apud Aristaenetum *(Epist.* I 6) puella. Honoris quoque causa deabus idem tributum videtur cognomen ut Rheae: σεμνὴ μήτηρ... ἡ Ῥέα (Aristoph. *Av.* 746) vel Minervae: Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἐπίκλησιν μητρὸς ἱδρύσαντο (Pausan. X 3, 3) et praecipue Δή-μητρι. Ergo venerationis causa addita, Γῆ voci additam matris cognomen putamus. Tota autem γῆς μητρὸς formula cum talibus comparari potest dictionibus ut Δη-μήτηρ, Ζεὺ-πάτερ, *Iu-piter, Mars-piter* al., quibus praeter appellationis honorem patrisque familias auctoritatem certo certius nihil inesse omnes conveniunt.

Quam opinionem maxime a Dieterichiana distare hypothesi mystica non negamus ideoque ut quid verum sit efficiamus, omnia perlustrabimus exempla huius appellationis: quo facto non solum appellationis vim, verum et Terrae Matris religionis originem ac progressum definiemus.

III

Et placet quidem incipere a theogoniis. Antiquissimum enim de Terrae in religione Graeca partibus testimonium ipse nobis affert Hesiodus, cuius opus non solum deorum enarrat originem eorumque enumerat progeniem (quod proprium est theogoniae propositum), sed anthropogoniam etiam continet nec non cosmogoniae complectitur systema. Tota *Theogonia* metaphoricam prae se fert naturam, dum omnia elementa sub personificationis apparent specie, ἀρχὴ autem et μήτηρ facta est Terra. Chaos primum fuit, postea Terra in lucem venit et Amor (Ἔρως), qui caelicolas mutuo coniunxerit amore. Chaos Erebo quoque et Nocti dedit initium, ex Erebo tamen Nocteque Aer et Dies exorti sunt. Brevi Terra progenuit Caelum,

qui Terrae par appellatur, id est eodem quo Terra collocatur ordine. Confirmare igitur licet antiquissimis iam temporibus in cosmogonica notione dualitatem hanc occurrere. Sed Caelus non unica Terrae fuit creatio. Montes quoque ab illa originem ceperunt, Nymphis destinati, omnium potentissimarum creationum Terram ostendentes matrem: tum Pontus, grave quidem elementum, quod vi cum Caelo Montibusque facile comparari potest. Interea Ἔρως Caelo Terram coniunxit, qua e coniunctione innumerabilis nata est progenies, quae vi omnes superabat mortales. Brevi Titanes Cyclopesque orti sunt, tum eximia magnitudine homines, quorum quisque centenas habuit manus. Sed qui ab iis nati sunt, patri suo a principio iam irascebantur, nam in Terrae gremium redire eos iussit. In longinquis nunc regionibus celati saevum ulcisci constituerunt parentem. Mater omnes ad se advocavit liberos, sed praeter Saturnum nemo fuit, qui tam magnum difficileque suscipere posset opus; hic enim omnium Terrae Caelique liberorum maxime colebatur. De scelere nunc deorum mater cogitat, filio scelesta dat arma talique eum celat loco, unde sine periculo contra parentem ea ferre possit. Impius Saturnus matri satisfacere decrevit scelusque minime dubitavit committere. Et factum est, ut manus inquinaret sanguine, e quo Erinyas, Gigantes Nymphasque progenuit Terra. Tum demum cum Ponto coniuncta novam edidit progeniem, quam iterum enumerat poeta. Saturnus Rheam coniugem duxit multosque habuerunt liberos. Sed deus hic omnes devoravit; timuit enim, ne regno eum deicerent. Ultimum filium periculo noluit Rhea exponere, a Terra igitur Caeloque auxilium petiit. Quae enim maximam semper habuit Terra auctoritatem, puerum in Creta celavit insula aliosque tum quoque liberavit liberos. Cum ultimus adolevit filius certamen cum patre init. Longeque perduraret finemque fortasse non haberet bellum illud cruentum, nisi Terra iterum suadente Cyclopes a Tartaro liberaret Saturni filius. Fulgura ac fulmina praebet illi etiam deorum mater finemque certamini hoc modo imponit. Iupiter rex factus est eiusque nunc incipit regnum. Cum ille Saturnum patrem imitans primam coniugem devorasset timens, ne filius quem genitura erat potestate eum privaret, Terra Caeloque suadentibus hoc fecit. Hoc etiam theogoniae loco ultima iam Terrae facta est mentio — deorum tamen propago novos semper procreat deos

usque ad tempus, cum immortales feminae mortalibus viris dissimiles filios progenuerunt.

Ex hac Hesiodi *Theogonia* plane patet Terram gravem satis occupasse locum, non tamen inter deos, sed potius inter personificationes: materiali enim elemento praevalente terra tenet principatum. At in Orphicorum theogonia elementum formale, Ἔρως, principem occupat locum, cui Hesiodus secundas tantum tribuerat partes.

Posteri alia posuerunt principia et materialia et formalia pro scientiae progressu. Apud Pherecydem Aether-Iupiter tenet principatum, secundas Χθών agit partes, tertias demum Tempus-Saturnus. Tertium igitur ut ita dicam gradum in illa invenire licet investigatione, quae omnium rerum Noctem putavit principium eamque temporis antiquissimam existimans unitatem mundum a Tempore cepisse dicit originem. Quamquam igitur Hellanicus aquam materiemque primo fuisse suadet, e quibus densatis Terra apparuerit, maiores tamen Tempus in theogonia eius agit partes, quod ex aqua et Terra natum sit. Alii quos novimus theogoniae auctores unum ex antiquis imitantur systematis, vel duo nonnumquam conantur iungere. Hyginus Terram Caelum Mareque Aetheris ac Diei inducit liberos, Apollodorus Caelum omnium deorum patrem nominat. Praeterea quaenam certi temporis de theogonia fuerint opiniones, e paucis poetarum accipimus mentionibus. Euripides e. g. Terram Caelumque vel Terram atque Aethera deorum narrat parentes, Aristophanes Orphicorum sequitur theogoniam.

Theogonicam hanc opinionem Alexandrina aetate ad Stoicos transmissam, bene vidit Iosephus Kroll (*Die Lehren des Hermes Trismegistos*, Münster 1914, 236 sqq.): qui profecto leviter errat Terrae Tellurisque Matris opinionem (Γῆς πάντων μητρός) ut hominum creatricis priscam declarans, triaque attulit testimonia. Primum vero ex Philone (*De aetern* 18, 11 C.) qui haec dicit: λέγουσι γὰρ ὅτι ἡ ἐξ ἀλλήλων γένεσις ἀνθρώπων νεώτερον φύσεως ἔργον, ἀρχεγονώτερον δὲ καὶ πρεσβύτερον ἡ ἐκ γῆς; alterum autem testimonium in Censorini (*de die nat.* IV 10) repperit auctor opusculo: *Zeno Citicus Stoicae sectae conditor, principium humano generi ex novo mundo constitutum putavit, primosque homines ex solo, adminiculo divini ignis i. e. dei providentia genitos;* tertium deinde ex Sexto prompsit Empirico (*Adv. math.* IX 28): τῶν δὲ νεωτέρων Στωικῶν φασί τινες τοὺς

γγενεῖς τῶν ἀνθρώπων... Hanc ergo opinionem Stoicam non est cur appellemus priscam, nam testimonia sunt recentiora.

Quamvis igitur secundas iam in theogonia agat Terra partes, magna eius semper enumeratur progenies. Scilicet quae singularem in mundi constructione occupant locum animalia saepe dicuntur Terrae filii, ut serpens (Herodot. I 78. Apollon. Rh. II 1211) vel Pytho (Artemid. II 13. Hyg. *Fab.* 140. Ovid. *Met.* I 424 sq.) nec non dii heroesque: Bacchum Semeles, quae est Γῆ, scimus filium (Eurip. *Ion.* 218), idemque de Hercule narrat Callimachus (*Hymn.* XII 9). Terrae filius vocatur Tityus, qui in inferis aeternam solvit poenam (Hom. η 325. λ 577. Apoll. Rh. I 759. Verg. *Aen.* VI 595. Hyg. *Fab.* 55). Quod cum nota Orphicorum comparari potest formula. Quae in Orcum venit anima subterranei illius mundi rogat reginam, ut ex eo haurire sibi liceat fonte, qui in dextra inveniatur parte. Sed priusquam huic satisfiat desiderio, petentem quisnam sit interrogat Proserpina. Hic autem versu respondebat (*Orphic.* fgm. 32 a, b Kern): Γῆς παῖς εἰμί καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος. In theogoniis di Caeli Terraeque appellantur filii. Dicit igitur anima se eiusdem cum dis esse originis, id est divinam ac deam.

Brevi vero eadam formula alium ostendit intellectum: Γῆς παῖς nominatur unusquisque heros, cuius ignota fuerit origo, scilicet Erechtheus (Eurip. *Ion.* 999 sq. Ovid. *Met.* II 755 sq.), Cecrops (Hyg. *Fab.* 48), tum Pelasgus, Phlius vel Hyllus (Paus. VIII 2. IV 1, 4. I 35, 6), Antaeus aut Creusa (Apollod. II 5, 11, 5. Pind. *Pyth.* VIII 27—31). Qui intellectus e subsequente clare elucet exemplo. In nota illa Euripidea tragoedia quaerit Ion (539 sqq.) e Xutho: ἐκ τίνος δέ σοι πέφυκα μητρός; dum autem nullum certum accipit responsum, iterum quaerit: γῆς ἆρ' ἐκπέφυκα μητρός, quod est: „Nullane mihi mater?".

Postea demum in malam partem eadem usurpatur expressio calumniaeque par esse videtur, ita ut in ipsis defixionum inveniatur tabellis (Wünsch in *Berl. philol. Woch.* 1905, 1077; Eurip. *Cycl.* 648 τὸν μονῶπα παῖδα γῆς). Eadem expressio apud Romanos tritum iam sermone apparet proverbium usurpaturque cum de ignobilibus sermo est hominibus. Pauca adducamus oportet testimonia: Cic. *Att.* I 13: *Huic terrae filio, nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo* (cf. Fronto p. 37 N.: *Terrae ... filius*) vel *Famil. VII 9, 3: Cn. Octavius est an Cn. Cornelius quidam terrae filius,* tum Petron.

Satir. 43: *et ille stirps, dum patri suo irascitur, nescio cui terrae filio patrimonium delegavit.* Rectam huius loci explicationem antiquorum iam nobis tradidit memoria: *Inopinato visos, caelo missos, ignobiles et ignotos terrae filios nominamus* narrat Minucius Felix (*Octav.* 22), vel Tertullianus (*Ad nat.* II 12) dicens: *nam et vulgo generis incertos terrae filios iactitamus*[1]). Idem quinto decimo ad finem vergente saeculo Angelus Politianus (*Opera*, Basileae 1531, 241) observavit: *...quoniam cuius ignorabant parentes, eum vulgo appellare veteres Terrae filium consuevissent. Ex quo Persius* (*Sat.* VI 56):

> Praesto est mihi Manius haeres
> Progenies terrae, quaere ex me quis mihi quartus
> Sit pater, haud prompte dicam tamen, adde etiam unum,
> Unum etiam, terrae est iam filius.

IV

In theogonia deorum mater apparet Terra. Interrogemus nunc quidem oportet poetasne aliquid ad notionem eam addiderint explicandam. Apud Homerum Terrae Matris minime legitur dictio. In Homerico primum occurrit hymno (*test.* 1), ubi non solum frugum, sed et omnium mater appellatur hominum. Propter genealogiam leviter commemoratam poetam putare licet formulam ex genealogica deprompsisse poesi, scilicet e theogonia, dum expressiorem personalitatis Terrae notioni addit notam. Quo tempore poemata sua scripserat Homerus Dodonae iam priscum Iovis extitit templum ipseque optimum testimonium praebet nobis poeta, qui in carminibus suis Dodonaeum invocat Iovem (II 232). In Peleadum carmine praeter Iovem Terrae Matris etiam nomen occurrit (*test.* 2), cui hoc tributum est cognomen, quoniam fruges procreat, quod cognomen in agrum potius quam in tellurem quadrat.

Clarior atque expressior Terrae Matris apud Solonem (*test.* 3) videtur notio: μήτηρ μεγίστη δαιμόνων Ὀλυμπίων appellat eam poeta, de partibus eius in ipsa cogitans theogonia. Sed addit statim Γῆ μέλαινα, quae vox glebam in mentem nobis adducit vel humum potius, quae optimas gignit fruges (a nobis *czarnoziem* dicta) testaturque poetam propriam eidem formulae subiecisse notionem. In theogonia enim elemento

[1]) Cf. Serv. *in Georg.* I 9: *Achelous Terrae fuisse filius dicitur, ut solet de his dici, quorum per antiquitatem latent parentes.*

matris apponitur cognomen; apud Solonem Terra agrum potius ostendit fecundum, id est oeconomica notio poeticam induit formam. Sed hic praeterea aliam Terrae vox complecti videtur vim: tota profecto elegia magnum *patriae* spirat amorem. Terram, maximam illam deorum matrem, testem invocat poeta se omnia, quae pollicitus sit civibus, feliciter persolvisse. Resentimus hic gaudium immensum civis, qui patriae libertatem reddidit terrae, ut tota elegia, quae poeticum minime ostendit argumentum, pulcherrima efficiatur poesis.

Nec non apud tragicos Terrae Matris legitur expressio. *Terra Mater omnia procreat atque educat, posteaque denuo in suum recipit sinum* — en quomodo de eius cogitavit partibus Aeschylus (*test.* 4. 5). Ex theogonia igitur hausta notio cum poetica iterum iungitur persuasione: ante oculos fructuosum ponunt agrum, qui primo permultas procreat plantas, deinde eas educat, id est crescere sinit fruges, ut iterum in eius revertantur sinum, scilicet hiberno tempore, proximo autem anno ad novam resurgant vitam. Praeterea alia quoque eiusdem notionis vis reperitur. Nonnumquam enim Terram Matrem maximo cum labore homines educasse suadet poeta, ut postea fideles ipsi essent — scilicet personalitate non concretam ut antea donavit notionem, cum de agro cogitavit fecundo, sed potius abstractum, quam patriam certe intellexit. Idem fere de Sophoclis dicendum est opinione. In aliquo tragoediae fragmento *Terra deorum Mater* dicta *(test. 6)* theogoniae debetur. Cum vero *montanam — omnium nutricem, ipsiusque Iovis matrem* nominat Terram poeta (*test. 7*), tum plures una coniunxisse constat opiniones. *Iovis mater* primum appellatur, quia multis vitam dedit dis, qui hoc loco minime quidem enumerantur, sed unus solus occurrit Iuppiter, in theogoniis saepe pro sola θεοῦ vel θεῶν voce positus. *Montanae* vocabulum probare videtur de tota cogitasse Sophoclem rerum natura, *nutricis* autem dictio ostendit agrum praeterea in animo habuisse poetam. Praeterea Terram Matrem commemorat *(test.* 8. 9) *Oedipo Coloni* moriente et in *Chrysa*, ubi suspicari licet ideo poetam ei tale tribuisse cognomen, ut mortuum in maternum redire ostenderet gremium. Euripides in invocationibus nonnumquam eius repetit nomen. Hippolytus (*test.* 10 a) e. c. Terram Matrem Solemque invocat orientem, sed nullum aliud ei praebet cognomen neque expressius eius indicat vim, quam

theogonicam esse contextus suadet. Cosmologicam namque Terrae naturam neque hic omnino disparuisse ex simili plane elucet dictione, ubi Aether ei opponatur *(test.* 10 b*)*. Alibi Iphigenia Terram Matrem invocat Pelasgicam (*test.* 11*)*, quam denominationem optime intellegimus de sorte cogitantes virginis, quae in Aulide inquies suaeque ignora maneat fortunae, et in patriam reverti velit terram: Γᾶ μάτηρ patriam hic igitur ostendit. Eandem vim alio quoque loco huic tribuere licet expressioni, ubi Terram Atheniensium implorat chorus, urbis matrem ac custodem *(test.* 12). In cosmologica primum poesi Terrae Matris natam esse formulam, ex Euripidis *(test.* 13) plane elucere videtur verbis: *Terram Matrem Vestam appellant philosophi, in aethere iacentem.* Quam sententiam e Pythagorica hausit cosmologia, ubi medium totius mundi punctum ἑστία existimatur, Διὸς οἶκος vel θεῶν μήτηρ saepe appellata (cf. Philolai fgm. 16 Diels: Φιλόλαος πῦρ ἐν μέσωι περὶ τὸ κέντρον ὅπερ ἑστίαν τοῦ παντὸς καλεῖ [B] καὶ Διὸς οἶκον καὶ μητέρα θεῶν).

Comoedia nihil novi ad Terrae Matris notionem affert illustrandam; quamquam enim Menander *(test.* 14) illam repetit formulam, potius Euripidis vim rhetoricam quam ullam voluit exprimere superstitionem aut opinionem. At si posteriores inspicias poetas, eandem invenies Terram Matram rerum naturae reginam ac creatricem, qualem Coeranidum celebrant hymni *(test.* 28. 29), Neoplatonici procul dubio IV vel V p. Chr. n. saeculi, qualem et recentioris aetatis extollunt poetae.

Tota igitur huius formulae historia quam proposuimus luce clarius demonstrat eius originem non tam simplicem esse, ut primo videbatur aspectu. Antiquissimis scilicet temporibus orta debetur ut metaphora poetis iisque theogonicis. Theogoniam autem priscum philosophicum scimus esse systema, ubi praeter ipsam deorum genealogiam cosmologiam quoque et anthropogoniam invenimus. Qui igitur systemata sua poetica complexi sunt forma philosophi, omnia metaphorice tractabant elementa, patris matrisque ea donantes cognominibus, elementaque expressa induerunt personalitate, quo magis vitam ipsa genealogica spiraret constructio. Schola vero Hesiodea emortua, philosophi theogoniae dogmata transformarunt et poetae formulis theogonicis suas substituerunt formularum idearumque variationes, ut dictioni gratiosae novam inflarent vim.

Ubicumque apud Romanos Terrae Matris occurrit locutio, a Graecis videtur mutuum accepta. Pacuvius in *Chrysa* Sophocleo (*test.* 15) Terram Matrem hominis procreare putat corpus, Lucretius (*test.* 16) Caelum ei opponit patrem similesque ei tribuit partes quales in Graeca agit theogonia. Livius (*test.* 17 a, b) et ex eo Valerius Maximus tradidit visionem nocturnam, quae Terrae Matris semper includit nomen ab annalium scriptoribus Graecis depromptam, cuius notio ab antecedentibus minime differt. Ovidius Brutum Terrae Matri dedisse narrat oscula (*test.* 18—20), quae narratio Graecam de Deucalione et Pyrrha in mentem revocat fabulam. Ex philosophia tracta formula utrobique expresse Terrae adiectam demonstrat personalitatem: illic de Terrae narratur ossibus, quae hominum vitam praebent generi, hic Terram Matrem Brutus osculatur. Nec non in dedicationibus idem Terrae tribuitur cognomen (*test.* 21. 22), quod ex inscriptionibus clare elucet. Videmus igitur ipsam formulae notionem totam aut certe maximam partem e Graeca haustam esse opinione: mireris sane Terram et non Tellurem hic nominari. Nimirum cum Terra minime licet confundere Tellurem, quae divinum apud Romanos accipiebat cultum, ut totum terrae apparens solum, quod agri praeterea ostendit qualitates (hac de re cf. G. Wissowa s. v. *Tellus* in Roscheri *Mythol. Lex.*). Quaenam Terram inter et Tellurem intercedat differentia, ipsi optime sciebant antiqui: *Tellurem deam dicamus, terram elementum* (Serv. *in Aen.* I 171). Telluri denique Graecorum respondebat Γῆ μήτηρ, ipso quidem cultu excepto. Raro tamen sine *Matris* Terra personata dicitur cognomine, contra Telluri rarius idem additur cognomen, idque — ni fallimur — ex exemplo Graeco. Maximi vero momenti Varronis videtur nobis testimonium (*De r. r.* I 1, 5) qui dicit: *Iuppiter pater appellatur, Tellus* [*terra*] *mater*. Antea iam observavimus Livium de nocturna imperatorum narrantem visione futuram esse commemorare devotionem eamque Terrae Matri primas tributuram partes. At qui fit, quod ipsa devotionis formula *Telluris Matris* vel *Telluris* solum nomen contineat (*test.* 23—26)? Etiam hic Romanos de Terra Matre loquentes Graecam repetere formulam non dubito, historicosque Romanos e Graecis pendere fontibus non absonum est. Praeterea passim Telluris Matris occurrit dictio, eaque recentioribus quidem temporibus (*test.* 27).

V

Investigemus nunc oportet quales in religioso Graecorum cultu egerit Terra partes. Quaestio haec difficilior quidem explanatu, quia pauca antiqui tradiderunt nobis testimonia eaque minime distincta ac dilucida. Hoc est in primis de sacrificiorum dicendum genere. Parca enim eorum est memoria plurimasque ostendit lacunas, quae expleri nequeunt. Antiquissimum Homerus praebet testimonium, cum Troianos Terrae Solique hostias immolare debere memorat (*test.* 1). Quem locum scholiasta ita interpretatur: Terrae sacrificant Troiani, quia fruges praebet hominibus, quarum prosperitas e Solis etiam pendet benignitate. Haec explicatio parum habere videtur auctoritatis. Foedus hoc iuris iurandi prae se fert formam: cuius iuris iurandi pervulgatissima formula Graeca rerum naturae testes invocat elementa, quae minime divinitate, ne dicam personalitate tum sunt donata. Ita et hic Terrae sacrificatum esse omnino negamus et verba poeticum putamus interpretamentum iuris iurandi formulae temere contaminatae cum sacrificiis superis dis inferisque mactatis (ovis alba et nigra). Attamen vera Terrae oblata sacrificia extitisse documenta Graeca inde a V saeculo docent. Non quidem libationes Terrae infusae ab Electra, dum Terram auxilium precatur, nec non ab Atossa Terrae mortuisque libante, aut a Creusa, quae potius poeticae videntur interpretationes libationis ritus ad mortuos vel deos pertinentis (*test.* 2—5. 8—21). Quam explicationem confirmat Atossa terrae mortuisque oblatura placenta, id est pro mortuis in terra commorantibus depositura liba, ut terrae mactare videatur. At similis rhizotomorum ritus a Theophrasto (*test.* 7) commemoratus ad privatam pertinet superstitionem, non ad publicam religionem notissimamque Terrae imprecationem Latinam in mentem revocat. Vera denique est libatio Terrae oblata quam Xenophon (*test.* 6) narrat.

Quaeramus sane oportet, quod huius consuetudinis extet initium. Responsum ipsa praebet memoria (*test.* 20). Tradit enim nobis Suidas *Erichthonium primum Terrae in Acropoli sacrificasse aramque ei aedificasse, ut nutrici suae hoc modo gratiam referret legemque constituisse, ut omnes, qui alicui sacrificarent deo Terrae quoque offerrent sacrificia.* Suidae testimonium clare demonstrat etiam antiquos nihil de Terrae sacrificandi ritus scisse origine, posteaque talem creasse fabulam

quae difficilem illam solveret quaestionem. Sed nec tota haec fabulosa videtur narratio; altera enim eius pars veritatis certe habet semina. Qui deo alicui sacrificabant homines, vel libationem iis offerentes terrae aliquid iniciebant infundebantque: et tum quoque ipsi terrae sacrificandi orta est opinio. Quod secundas solum egerit Terra partes hoc e Suidae plane patet testimonio: sacrificabant Terrae, cum alicui sacrificia offerebant deo. Memoria autem non raro talia tradit exempla, cum Iovi vel Neptuno sacrificatur et Terrae; traditque etiam uni Terrae oblata sacrificia, ex quo elucet Terrae sacrificandi ritum paulatim esse evolutum. Primo igitur solum aliquid ei est infusum, postea a sacrificantibus alicui deo Terrae quoque oblatum est donum, denique ipsi soli Terrae sacrificabant. Cum autem placenta terrae iniciuntur hiatui, tum necesse videtur cogitare et hunc usum alium primo habuisse intellectum. Erant enim hiatus (χάσματα) deorum domicilium, Eumenidumque e. g. putabantur sedes (Cf. Rapp s. *Erinys* in Roscheri *Mythol. Lex.* col. 1319). Offerebantur igitur sacrificia aliis dis, postea demum Terrae sacrificandi exorta est opinio. Sacrificabant Terrae praeter omnes Athenienses: quod Suidas de sacrificandi ritus tradit initio, hoc ad Athenas spectat; maxima testimoniorum pars ab Atticis servata est scriptoribus, inscriptiones autem nonnullis exceptis de sacrificiis in Acropoli narrant oblatis. Estque probabile hic etiam Terrae sacrificandi exortum esse ritum, qui postea in alia migraverit loca. Observemus tum oportet Terram, non Terram Matrem accepisse sacrificia. Nonnumquam Κουροτρόφου vel Πανδώρας additur ei cognomen, numquam vero Matris.

T e m p l a Terrae aedificata in magnis semper inveniuntur urbibus vel saltem talibus, quae in Graecorum vita maximas agebant partes. Primo igitur Thebis simile extitisse accepimus templum *(test.* 21), quod fortasse ex Erythraea quadam liceat quoque divinare inscriptione *(test.* 22). Plurima de Delphico Terrae sacrario novimus testimonia *(test.* 23—25), quae magnum satis temporis complectuntur spatium, ultimumque tradidit nobis Plutarchus, qui clare atque expresse suis quoque temporibus idem extitisse narrat templum. Tertio loco memorandae sunt Athenae *(test.* 26—28), ubi Iovis, Apollinis, Terrae prope sita erant sacraria, praeter alia permulta, quae in Acropoli locum obtinuerunt. Suidae memoria teneamus oportet testimonium qui ab Erechtheo primam Terrae in Acropoli aedi-

ficatam tradidit aram. Scilicet ipsum templum non tam antiquum esse existimatum et suspicari licet omnibus fere locis, ubi templorum inveniamus mentionem, antea Terrae extructas esse aras. Nec non et Spartae Terrae reperire possumus fana, quorum duo quidem novimus. Unum enim in foro situm accepimus (*test.* 29) non procul a Iovis sacrario, alterum in Amphetai quae dicitur via (*test.* 30), iuxta Apollinis aram, cui Γασήπτου tributum est nomen. Praeterea duabus in insulis ea scimus extitisse, in insula Co et Thera. Ad Theram (*test.* 31) una spectat inscriptio, quae quarto a. Chr. n. composita est saeculo, altera (*test.* 32) expresse de Coo Terrae non loquitur templo.

Ubi templa non sunt aedificata, nonnumquam a r a e apparent exstructae, quas unus commemorat Pausanias. Narrat igitur Olympiae notam fuisse aram singulari forma, quippe e cinere aedificata (*test.* 33), quae ara cum oraculo coniuncta Apollinis Cinericii arae Thebis existentis memoriam revocat. Alteram Phliunte extitisse (*test.* 34) iuxta quam Apollini et Dianae, Baccho Nymphisque similia dicata fuerint altaria. Tertio loco Tegeatarum Terrae enumerare licet aram (*test.* 35), prope Ilithyiae templum elevatam, quae etiam e longinquo cognoscatur, quia albis exornata sit columnis.

Quae templa araeque antiquissimae nescio an T e r r a e o r a c u l i s debeantur primitus indeque originem trahant. Oracula scilicet Terrae templo carebant potiusque saeptum aliquod — ut Trophonii oraculum — eorum loca designabat quod congrue γάσηπτον nominabatur. Quorum oraculorum antiquissimum Delphicum putatur, idque ipsa tragicorum suadent testimonia (*test.* 39—40), quae Terrae Themidem, Themidi denique Apollinem successisse memorant. Mireris certe, cur Delphis Terrae oraculum sine templo araque, i. e. sine cultu religioso, adscribebatur. Nonne hoc ipsum oraculum primitus eponymo caruisse ostendit? Anonymum ergo fuit posteriorumque denique curiositas huic carentiae, quam vitium putavit, commode supplevit. Neque difficile opinatu cur Terrae neque alterius dei nomen oraculo anonymo imposuerint: scilicet Delphis saec. VIII. et VII Boeotiam culturam, tunc temporis scilicet primariam tota in Graecia, praevaluisse scimus, ut memorem hexametricam oraculorum formam scholae Hesiodeae debitam, Musarum sacrarium ex Helicone petitum. Quidni Delphi et Terrae eponymon ex Hesiodi *Theogonia* petierint? Ansam

certe praebuit famosa illa terrae fissura et antrum, ubi Pythia inspirata voces edidit. Iam de vera Terrae divinitate eiusve cultu nil inde opinari posse apparet: Terrae nomen Delphis aliquod anonymitatis est signum. — Nec multo puto differre oraculum Olympiacum fortasse Thebarum rivalitati debitum, ubi Apollini Cinericio dicata similia prorsus habes et oraculum et aram, cognominibus non dubium postea hic et illic impositis. Restat tertium oraculum Aeginarum (*test.* 42—43), cuius sacerdos vaticinatura taurinum bibit sanguinem: ubi templum Terra habet et sacerdotes feminas. At iam cognomen Terrae Εὐρυστέρνου et hic poetis deberi Terrae nomen oraculo anonymo impositum manifesto declarat. Itaque ex Terrae oraculis quamquam antiquissimis nihil licet elicere de Terrae apud Graecos religione, quam eorum historia potius nullam fuisse evincit.

Personalitate denique distincta ac forma definita artifices induerunt Terram idque posteris demum temporibus, qua in re Terra eandem cum aliis abstractionibus divinitate donatis subiit sortem. Unum igitur Terrae signum in Acropoli invenitur (*test.* 36) singularemque ostendit imaginem: en petit Terra e Iove, ut imbrem ei praebeat, fecundamque se reddat. Alterum haud procul ab Areopago collocatum videbant antiqui (*test.* 37) iuxta Ditis ac Mercurii imagines; tertium Patris quidem ostendebatur (*test.* 38). In luco Cereri sacro eiusdem deae extitit sanctuarium, quod tria complexum est signa: scilicet Cereris Proserpinaeque, quae stantes exsculptae apparebant, tum Terrae signum, quam sedentem creavit artifex. Etiam in Aegirano illo templo, quod cum Terrae coniunctum est oraculo, vetus aliquod fuit ξόανον, quod eius imaginem putavit Pausanias. Nec non a privatis hominibus Terrae dedicata audimus signa (*test.* 38 a).

Monuimus iam ab antiquissimis temporibus iuris iurandi testem invocari Terram. Apud Homerum una cum Iove, Sole, fluminibus apparet coniuncta (*test.* 44): nonnumquam Furiae (*test.* 45) fluminum occupant locum. Similem formulam Orphicorum nobis tradunt fragmenta (*test.* 46), ubi Terra iuxta alia ponitur elementa, scilicet ignem, aquam, caelum, quibus Luna et Sol, Lumen et Nox iunguntur. Euripidis Medea saepissime Terram et Solem testes invocat, nonnumquam omnes iis deos addit socios (*test.* 47—48). Ex Aetolia

maximi momenti novimus formulam (*test.* 49): postquam libertinus factus erat servus, dominus Iovem, Terram, Solem testes invocavit, ut clare pateret se ei secundum Aetolam consuetudinem libertatem dedisse. Inscriptiones plurimas servarunt nobis invocationes (*test.* 50—57), quae semper fere Iovem, Terram Solemque nominant, nonnumquam Phoebus aut Minerva adduntur, vel Caelus Iovis occupat locum, praeterea Mars ad notam illam accedit triadem. Si quis accurate ius iurandum observat, quod Polybius nobis tradidit (*test.* 57), videbit tum praeter Olympicos deos Solem, Lunam Terramque invocari. Omnia haec iura iuranda cotidiano trita videntur usu similemque ea habere puto colorem ac nostrae quoque aetatis enuntiationes, quae solemnibus conceptae verbis maximae quidem sunt gravitatis, dum in cotidiano usu religiosa omnino carent veneratione. Idem ad poeticas spectat invocationes, quae ad ius iurandum minime pertinent, quarumque magnum in Graecis invenimus numerum litteris. Plurima sane exempla Aeschylea atque Euripidea praebet tragoedia. Qui ad Atossam mittitur nuntius Terram et Mercurium invocat (*test.* 58), similisque saepe repetitur formula (*test.* 59). Nonnumquam cum Iove invocatur Terra (*test.* 60), vel Furiae ad triadem accedunt formandam (*test.* 61). Apud Euripidem cum lumine invocatur (*test.* 62), non raro Iupiter ad illam accedit dyadem (*test.* 63—64). Lumen definitam nonnumquam habet formam et cum Sole in invocatione apparet Terra (*test.* 65), vel Nox etiam oppositionis causa additur (*test.* 66). Nominatur quoque Terra cum Iove (*test.* 67, 69), vel cum Orci rege coniuncta (*test.* 68). Apud Demosthenem duas easque singulares invenimus exclamationes (*test.* 70), quarum altera Terram, Solem Virtutemque invocat, altera Terram Deosque. Observemus nunc sane oportet similes invocationes, quas ex Homeri iam novimus carminibus, ad recentiores permansisse aetates. Inveniuntur enim etiam in Orphicorum hymno (*test.* 71), qui Iovem, Terram, Solem coniunctos nominat.

VI

Iam quid de Terrae in Graecia cultae dicendum historia? Antiquissimae Terrae mentiones leguntur in *Theogonia* Hesiodea, quae in cosmologia explicanda Terram elementum ut metaphoram inducit, eamque omnium rerum putat principium, id

est matrem. Hae tamen eius partes stabiles minime possunt appellari semperque quasi vacillare videntur mutanturque secundum philosophica systemata. E theogonia in Graecam migravit Terra poesin: poetae nunc ipsam Terrae Matris notionem ex illa hauserunt theogonia, sed personalitate eam induerunt. Praeterea philosophica elementi notio omnino quidem evanuit, realemque si ita licet dicere formam, agri scilicet, accipit Terra: Solonis Γῆ μέλαινα, Sophoclis antiquissima illa dea, *equis arata Terra*, Euripidis πέδον Γῆς optimum quidem huius praebent testimonium. Quae locutionum cogitatorumque series paulatim artifices impulit, ut Terrae effigiem crearent, et civitates induxit, ut effigiei personatae aras templaque dedicarent.

At multo minoris momenti fuit altera locutionum series, Terra scilicet invocata in iuribus iurandis — prisca et ipsa, quippe quae apud Homerum inveniatur — et exclamationibus, ubi potius de agro patrio et elementis est sermo. Raro ibi terra hypostasi donatur, numquam vero divinitate.

Quod denique Terrae M a t r i s attinet notionem, totam esse p o e t i c a m exempla allata docuerunt. Scilicet in universum reperitur hoc cognomen duobus locis: in poesi theogonica, ubi aperte habemus metaphoram, tum in invocationibus poeticis, ubi venerationis causa, ut fit in dis (Ζεὺ πάτερ, Δημήτηρ), terra appellatur Mater: neque dubium est quin cognomen hoc poeticum potius exprimat colorem, quam persuasionem religiosam. Summi enim hic est momenti publicum Terrae cultum Graecorum Matris denominationem ignorare.

Liceat iam a nominibus quae terram a poetis demum hypostasi, ab artificibus effigie donatam docent, transire ad religionis monumenta. Quorum trina habemus: oracula, sacrificia, templa arasque: quae omnia ad Terram solam, non ad Terram Matrem spectant variisque ceterum temporibus, non eadem aetate existentia. Oracula potius *Theogoniae* Hesiodeae apud Graecos auctoritatem, quam ullam Terrae religionem testari demonstravimus. Templa, arae, sacrificia si qua sunt, hellenisticae demum debentur aetati, quando scilicet primigenia religionis Graecae vi exhausta unam quamque abstractionem Graeci coeperunt cultu prosequi. Deamque veram proclamavit eam Romanis denique temporibus Plutarchus *(test.* 72. 73), non dubius Stoicorum in his discipulus.

Ita omnibus testimoniis documentisque perlustratis pro certo licet affirmare apud Graecos nullibi nulloque tempore extitisse Terrae Matris religionem, quendam vero Terrae dicatum cultum non exortum esse nisi Alexandrina aetate eumque totum deberi abstractioni philosophicae, vel si mavis poeticae: Terramque in his eandem subisse sortem cum aliis abstractionibus, ut *Fortuna, Agathodaemon*, Καιρός, etc. Philologa ergo documenta thesis Dieterichiana allegare iam nequit: at quod alteram documentorum ipsius seriem attinet, quae popularia dicas, satius est de his tacere, quippe quae nescio an magis pio viri eximii desiderio, an potius imaginationi intemperatae debeantur: certo certius pro documentis popularibus suas venditat interpretationes ullo carentes fundamento: nulla enim umquam apud Graecos fuit Terrae, multoque minus Terrae Matris religio.

TESTIMONIA

I

1. Orphic. fgm. 302 Kern apud Diodor. I 12:
τὴν δὲ γῆν ὥσπερ ἀγγεῖόν τι τῶν φυομένων ὑπολαμβάνοντας μητέρα προσαγορεῦσαι καὶ τοὺς Ἕλληνας δὲ ταύτην παραπλησίως Δήμητραν καλεῖν· βραχὺ μετατεθείσης διὰ τὸν χρόνον τῆς λέξεως. τὸ γὰρ παλαιὸν ὀνομάζεσθαι γῆν μητέρα, καθάπερ καὶ τὸν Ὀρφέα προσμαρτυρεῖ λέγοντα: Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα...

2. Euripides *Phoen.* 682 sqq. (Phoenissarum chorus Thebarum priscos laudat heroas):
σοί νιν ἔκγονα κτίσαν,
ἂν διώνυμοι θεαί,
Περσέφασσα καὶ φίλα
Δαμάτηρ θεά,
πάντων ἄνασσα, πάντων δὲ Γᾶ τροφός,
ἐκτήσαντο· πέμπε πορφόρους
θέας, ἄμυνε τᾷδε γᾷ.

3. *Bacch.* 274 sqq. (Tiresias Cereris Bacchique laudibus effert dona)
δύο γάρ, ὦ νεανία
τὰ πρῶτ' ἐν ἀνθρώποισι· Δημήτηρ θεά·
γῆ δ' ἐστίν, ὄνομα δ' ὁπότερον βούλει κάλει·
αὕτη μέν ἐν ξηροῖσιν ἐκτρέφει βροτούς.

4. Diodor. III 62, 7:
[διὰ τὸ τοὺς ἀνθρώπους τὴν γῆν Δήμητραν νομίζειν].

5. Cicero, *De nat. deor.* II 67: „Mater autem est a gerendis frugibus Ceres tamquam „Geres", casuque prima littera itidem immutata, ut a Graecis; nam ab illis quoque Δημήτηρ quasi Γημήτηρ nominata est".

6. Philo, *De vita contempl.* I 3: τὴν δὲ γῆν Δήμητραν (καλοῦντες), παρόσον μήτηρ εἶναι δοκεῖ πάντων φυτῶν τε καὶ ζῴων.
Non est igitur dubitandum quin poeta acumen rhetoricum e dispari crimine et poena ortum adhibere voluerit et Livii locus, quamquam omnino Livius, *Fastorum* libris exceptis, parum apud Ovidium auctoritate valuisse accipitur, in mentem ipsi venerit. Scimus enim *Fastorum* libros VI, priusquam poeta in exilium demigraverit, finitos esse; itaque minime est mirandum quod poeta opus Livii nuper lectum in memoria tenuit, praesertim cum Ovidius mirabili quadam memoria praeditus fuisse tradatur, nec Livius, qui in animorum affectionibus tragicis depingendis excellebat, poetae rhetori displicuerit deceretque 'poetam doctum' ex historiae fonte exempla sumere.

Ceterum Ovidius ultimam in Urbe noctem moratus, forsan vitae actae rationem inierit tempusque, quo iuvenis apud rhetorem suasoriam de Mettio composuerit in mente eius recoluerit? Scilicet difficile nunc est certi aliquid hac de re affirmare; sed quamvis animorum affectiones leves et ab unius cuiusque natura repetendae videntur, negari non potest laudati *Tristium* loci habitum simillimum illius Liviani esse mentionemque Mettii non forte oblatam, sed consulto a poeta adlatam esse.

LEOPOLI GUSTAVA STEINBERG

L'ORIGINE DES ADVERBES *COMMINUS* ET *EMINUS*

par

JEAN OTRĘBSKI

Les adverbes *comminus* (ainsi écrit CIL XIV 3579[a] 7, les mss. ont souvent *cominus*) et *ēminus* se trouvent depuis les origines de la littérature latine: *comminus* chez Ennius TRF[3] 149 R. et *eminus* chez Névius CRF[3] 34 R. (d'après la reconstitution de Hermann, *Opusc.* II p. 279; *ennius* ω, *hennius* LP). Ces deux mots sont surtout des adverbes de lieu (comme l'a constaté déjà Priscien, *Gramm. Lat.* III, p. 78, 12), qui s'opposent l'un à l'autre (*Differentiae sermonum, Gramm. Lat. Supplem.* p. 288, 28): *inter e m i n u s et c o m m i n u s hoc interest, quod e m i n u s ex longinquo, c o m m i n u s pede* (l. *sede* Gothofr.). Ils s'emploient surtout dans le langage militaire pour exprimer le combat de près *(comminus)* ou de loin *(eminus)*. C'est pourquoi ils se construisent le plus souvent avec les verba pugnandi, trucidandi etc., ensuite avec les verbes de motion (nous empruntons nos exemples au *Thesaurus L. L.)*: par ex. Hirt. *B. Gall.* VIII 13, 2 *aut c o m m i n u s opprimebantur aut e m i n u s vulnerabantur;* Liv. XXI 34, 6 *barbari ... c o m m i n u s e m i n u s petunt;* Plin. *H. N.* XXVIII 36 *ictus e m i n u s c o m m i n u s v e inlati,* Tacit. *Hist.* II 42 *c o m m i n u s e m i n u s ... concurrebant.*

Ces adverbes ont, en outre, un sens plus large identique avec *prope, procul* et *longe* et s'emploient alors comme adverbes ordinaires de lieu et de temps. Quant à ce dernier emploi, cf. Servius *In Georg.* I 104 Th.: *c o m m i n u s a. i. statim, sine intermissione. non est ergo 'ex propinquo'. qui significatus frequentissimus est in cisalpina Gallia.* Après l'époque classique on en trouve même un comparatif chez Tertullien, *De Carn. Chr.* 21 *accedam adhuc c o (m) m i n i u s ad congressum.*

Tous qui ont étudié l'origine de ces adverbes sont d'accord qu'ils contiennent les préfixes *com-* et *ē-* (*ex-*) et le radical du substantif *manus.* Les opinions diffèrent seulement quant à savoir dans quelle forme casuelle apparaît ce radical et quel est le rapport de cette forme avec les préfixes *com-* et *ē-*. M. Bréal (cf. MSL XII p. 242) voyait dans *-minus* la forme abl. pl. **manūs,* attestée en latin archaïque par *ma-*

nus ferire, manus rem gerere, dont la désinence correspond à l'ombrien *berus* 'verubus'. Plus tard **manūs* aurait subi deux changements: il aurait reçu le prefixe *com-* (cf. *pluries : compluries)* et subi une abréviation dans la syllabe finale, sous l'influence de formes, comme *minus* ou *protinus*. Cette hypothèse s'appuie sur deux suppositions dont aucune n'est avérée En osco-ombrien la désinence abl. pl. *-us* n'est pas impossible au point de vue phonétique et elle semble même attestée (cf. v. Planta, *Grammatik d. oskisch-umbrischen Dialekte* II p. 157. 164), mais le changement *-ufos* > *-ūs* ne serait pas phonétiquement justifié en latin et en tout cas il n'est nullement attesté, excepté par le mot hypothétique **comminūs*.

Brugmann (*IF* XXVII p. 243) a présenté une autre hypothèse: *comminus* serait, d'après lui, une forme pétrifiée du nom. sg. de l'adjectif formé d'après le substantif *manus*, ou plutôt le radical *man-*, cf. *bīmus* = **bi-himos* en présence de *hiems*, *inōrus* en présence de *ōs*, *sēgregus* en présence de *grēx* etc. La pétrification de l'adjectif **commanos* se serait opérée dans des expressions comme *comminus pugno, rem gero* etc. Mais Brugmann autant que Bréal s'appuie sur des suppositions fort discutables. Il admet l'existence d'un adjectif dont on n'a aucune trace. Il n'a pas non plus expliqué comment cet adjectif se serait formé et en particulier quelle est la fonction du préfixe *com-* (et dans *ēminus ex-*). Cette explication a été fournie par Hoffmann (Heinichens *Lat.-deutsches Schulwörterb.* s. v. *comminus*) qui admet que *comminus* résulte de la composition *com manūs ferre* = *manūs cōnferre* (cf. *sub vos placo*), mais cela ne rend pas le problème plus clair. Enfin il est peu vraisemblable que *comminus* se soit pétrifié dans la forme nom. sg. m.: l'adverbe *comminus* apparaît bien plus anciennement dans des phrases dont l'attribut est au pluriel et dans des phrases impersonnelles. A la pétrification de l'adjectif hypothétique dans la forme du nom. sg. s'opposerait donc l'usage syntaxique.

Il me semble que l'analyse, exposée dans mes *Esquisses de grammaire comparée de langues indo-europ.*, Cracovie 1919 (en polonais) présente le moins de difficultés. Je crois que le second élément qui compose ces mots est **-manos*, gen. abl. sg. du thème *man-* 'main' qui dépend, au point de vue syn-

taxique, des préfixes *com-* et *ex-*. L'existence dans le domaine italique du thème *man-* (à côté de *manu-*) n'est point douteuse. Il apparaît avec le plus d'évidence en ombrien: *manf easa vutu* Tab. Iguv. II a 38 'manus ex ara lavito', où *manf* est acc. pl. La désinence *-us* < *-os* appartient aux gén. et. abl. sg. et ne diffère pas de l'ancienne désinence italique gén. sg. dans les mots à désinence en consonne: *Diovo Diovos* CIL I² 60. 360; *Venerus* 675. 1541; *nominus* CIL I² 581. Il est vrai que l'abl. sg. des mots de la III^e^ décl. (par conséquent aussi des mots à thème en consonne) a, depuis les origines de la tradition littéraire, une désinence différente de celle du gén. sg.: *-e* ou *-īd* (cf. *airid* CIL I² 38, *coventionid* 581), mais c'est un état secondaire: la forme primitive de l'abl. sg., comme le montrent les langues indo-europ., n'a pas différé de la forme du gén. sg., c. à d. elle avait la terminaison *-os* (à côté de *-es* = *-is*). Il se peut que cet état ancien ait existé à l'époque de la formation de ces adverbes[1]). De cette manière la forme *-manos*, si l'analyse ici présentée est juste, témoignerait deux phénomènes anciens: l'ancien thème *man-*, inconnu par ailleurs en latin, et l'ancienne forme abl. sg. *-os*.

Le sens opposé de ces adverbes est l'effet du sens opposé des préfixes *com-* et *ex-*, ce qui est possible, car *com* avait ici l'acception non 'avec', mais 'chez, *apud, ad*'. Cette signification est attestée senoble-t-il, par des textes latins, p. ex. Ennius, *Ann.* 119 V. *Romulus in caelo cum dis... aevom degit.* Elle date d'ailleurs de l'époque italique commune, comme le prouvent des textes ombriens, p. ex. Tab. Ig. II a 39 *asa-ku vinu sevakni taçez persnihmu* 'apud aram vino sollemni tacitus precator', ibd. VI b 53 *enom termnu-co stahituto* 'tum ad terminum stanto'. Ainsi l'adverbe *comminus* signifiait primitivement *ad manum*. Cette explication s'accorde parfaitement avec celle de Végèce, *De re mil.* III 23: *comminus, hoc est, manu ad manum, pugnatur.*

Ces adverbes rappellent, du reste, leurs analogues grecs:

[1]) La forme de l'abl. sg. de la III^e^ déclinaison en *-e* n'est-elle pas une variante phonétique de la forme en *-es* = *-is*, localisé finalement au gén. sg.? Le rapport *-us -is -e* au gén. et abl. sg. serait alors le même que dans la forme 2. sg. déponent et passif: **sequeros* (cf. *spatiarus* CIL I² 1732, *utarus* CIL I² 1702): *sequeris : sequere.*

ἐμποδών et ἐκποδών que Brugmann, *Grundr.* II 2, 610. 721. 723 traduit: 'im Bereich der Füsse' et 'aus dem Bereich der Füsse': et, ce qui est encore plus significatif, il voit dans -ποδών une forme ancienne, syntaxiquement justifiée, du génitif. Si cette supposition est juste, *comminus* et *ēminus* auraient une acception analogue: 'à portée de la main' et 'hors portée de la main', où apparaît **-manos* non sous la forme de l'abl., mais sous celle du génitif. Cette dernière possibilité est d'autant plus importante, qu'elle rend superflue la supposition qu'à l'époque de la formation de nos deux adverbes en latin, l'abl. de la III^e^ déclinaison ait encore eu une forme identique à celle du génitif.

NOVATIANEA

Nov. *De Trin.* Fauss. 8, 16 *nisi quod uno modo (et hoc ipsum quo modo possumus, quo modo capimus, q u o m o d o intellegere licet?) quid sit deus mente capiemus, si cogitaverimus id illum esse, quod et quantum sit non possit intellegi.* Plotinum fere hic disserentem sentis: nam eadem plane ratione N. de dei immensitate disputat, quae ab hominibus minime adaequate exprimi possit. His praemissis N. subiungit eam quam exscripsimus magnificam periodum. Sententiam intercalatam difficiliorem esse nemo infitiabitur: namque *possumus* — ut ipsae voces indicant — refertur ad *uno modo... capiemus*, quod ipsum excipitur quadam graduatione rhetorica a membro subsequente: *quo modo capimus.* Apparet haec verba nec referri ad *uno modo... capiemus*, neque ad id quod antecedit obiectum *hoc ipsum:* multo magis id de tertio orationis membro affirmandum est. Quam ob rem quaerendum est obiectum membri enuntiati secundi, ne sententia quodam modo manca relinquatur: quod obiectum invenimus scribendo scil. *q u o d n o n intellegere licet.* Mutationem hanc ceterum parvam esse, statim videbis, si utrumque codicum more compendiose scripseris, ut *qd' nō* (=quod non): q^0 m^0 (=quomodo), ita ut ex hac quoque parte emendatio nostra plenissime probetur. Atque ne mireris N.-um utpote rhetorem idem idemque ad lectoris fere perplexitatem fastidiumve centies repetere, simile quid ex eius (Cypriani) *Epist.* 30, 4 afferam: *nam qui id, quod habet, non custodit in eo, ex quo illud possidet, dum id, ex quo possidet, violat, amittit illud quod possidebat.*

SENECA QUATENUS IN MULIERUM PERSONIS EFFINGENDIS AB EXEMPLARIBUS GRAECIS RECESSERIT

scripsit
SARA LANDMAN

Cum exemplaria, ad quae Seneca personas tragoediarum suarum applicuisse creditur, nec non dissertationes doctorum de hac materia conscriptas perscrutarer, gravium aliquot mutationum additionumque, quae quidem poeta Romano cum tragicis Graecis collato deprehenduntur, fontes adiisse mihi videor. Res paucis exemplis illustretur. In *Hercule Oetaeo* Deianira longe aliter a Sophocle atque a Seneca depicta est. Apud tragicum Graecum bonam uxorem, quae maritum exspectat videmus. Sine ulla suspicione captivas a marito missas excipit (*Trach.* 243—245), adulterio autem Herculis cum Iola comperto, non Iolen, sed maritum magis accusat (*Trach.* 535—542). Quamquam hunc quoque excusare conatur, cf. v. 543:

ἐγὼ δὲ θυμοῦσθαι μὲν οὐκ ἐπίσταμαι
νοσοῦντι κείνῳ πολλὰ τῇδε τῇ νόσῳ.

Bona uxor marito irasci non vult (*ibd.* 552) et nihil nisi remedium, quo Herculis amorem recuperet, quaerit.

Nunc Deianirae a Seneca fictae naturam et partes excutiamus. Quae, ubi primum captivas conspicatur, zelotypia incitata furit (*Herc. Oet.* 233—955) et Iunonem, cui Herculem invisum esse non ignorat, precatur, ut illum quovis modo perdat (*ibd.* 256—330). ipsa se ad ultionem instigat et maritum neci dare parat, cf. *ibd.* 435:

Nutrix: Perimes maritum? Deianira: Paelicis certe meae.
Nutrix: Ferrone? Dei. Ferro. Nutrix: Si nequis?
Dei. Perimam dolo.

Subito Deianira, cum ne verbo quidem significaverit se ab illo funesto consilio destitisse, magicis artibus, quae minime Herculi noceant et palla veneno tincta, quam olim a Nesso acceperat, maritum sibi reconciliare studet.

Nemo, qui Deianirae apud Sophoclem et Senecam partes et mores comparaverit, infitiabitur multum Romanum et Graecum poetam inter se differre et — quod gravius est — mores Deianirae in Senecae fabula omnino sibi non constare:

quae enim olim maritum peremptura erat, tandem eo continetur, ut ei pallam mittat, postquam autem de morte eius comperit, suicidium sibi parat.

Quod cum iam pridem docti animadvertissent, alii ut Birt[1]) non Senecam, sed alium quendam parvi ingenii poetam auctorem eius tragoediae perhibuerunt, cum Seneca in nulla tragoedia tralaticiam fabulae mythicae formam mutare ausus esset, alii a Seneca Ovidium, cuius Deianira pari zelotypia insignis erat, imitatione expressum esse contenderunt[2]). Sed utut se res habet, Deianirae partes non ad Sophoclis exemplar effictas esse et male inter se cohaerere omnes paene concedunt. Quomodo autem eiusmodi inconstantia unius personae explicetur?

Cum exemplaria Senecae tragoediarum invenire conarer, haec quasi ratio fabulas componendi apud Senecam statui posse mihi visa est: Seneca ubi semel personam aliquo affectu insignitam ad exemplar Graecum effinxit, cum in alia fabula ad aliud exemplar composita, aliam personam eodem affectu iactatam depingit, illius antea a se creatae personae notas et lineamenta huic addere solet. Cuius rei documenta permulta inveniuntur et, hac quidem ratione, efficitur, ut nonnullae personae a Seneca descriptae, prorsus ab exemplaribus Graecis differant. Nempe Seneca, qui semel in *Medea* mulierem zelotypia excruciatam accuratissime descripsit, quamquam posteriorem *Herculem Oetaeum* ad aliud exemplar Graecum composuit, tamen, quia hic etiam uxor gravi invidia excruciata depingitur, huic easdem morum et naturae notas, quas olim Medeae, impressit. Medea tamen Creontis Creusae liberorum necandorum consilium et capit et perficit, Deianira autem idem consilium capere quidem, salva fabula, potest, sed si perficere vellet, id nisi gravissimis mythopoeiae immutationibus redimi non posset. En habes, cur Deianira sibi non constet.

Deianiram autem ad Medeae imaginem fictam esse exemplis probare conabor. Scilicet et Deianira et Medea post adulterium compertum maritos amant, sed omnes earum sensus ira invidiaque superantur, cf. *Herc. Oet.* 330:

---

[1]) Birt, *Zu Seneca's Tragoedien* (*Rhein. Mus.* XXXIV 1879, p. 509 sq.).
[2]) J. Hartman, *De Ovidio poeta*, Leiden 1905.

Deianira: Maximum fieri scelus
et ipsa fateor sed dolor fieri iubet,

cum *Medeae* v. 136:

Med.: Omnia adhuc scelera
movit infelix amor.

Contra apud Sophoclem (*Trach.* 543) Deianira minime ultionis cupiditate flagrat. Eadem res maxime dolorem et Medeae et Deianirae movet, cf. *Herc. Oet.* 280:

Dei.: Iole meis captiva germanos dabit?

et *Med.* 508:

Med.: Meis Creusa liberis fratres dabit?

Ut Deianira a Iunone (*H. Oet.* 225 sq.) vindictam implorat, sic Medea a dis inferis (*Med.* 1 sq.), utraque solem testem iniuriarum invocat, tum denuo se ad scelus instigat; cf. *H. Oet.* 307:

Quid hoc recedit animus et posuit minas?
iam cessat ira, — quid miser langues dolor?

et *Med.* 45:

Quid nunc moreris, anime? iam cecidit ira?

Eadem invidia contra maritorum paelices et Medea et Deianira ardent et illas perdere parant, cf. *Med.* 425:

Sola est quies
mecum ruina cuncta si video obruta,
mecum omnia abeant, trahere cum pereas libet

et *H. Oet.* 350:

Felix iacet quicumque, quos odit, premit.

Eisdem paene verbis maritos accusant, *Med.* 1007:

Med.: I, nunc, superbe, virginum thalamos pete

et *H. Oet.* 419:

Dei.: Quod amet requirit, virginum thalamos petit.

Deianira easdem atque Medea artes magicas adhibet. Contra, apud Sophoclem (*Trach.* 582) Deianira dicit:

κακὰς δὲ τόλμας οὐκ ἐπισταίμην ἐγώ
μή τ' ἐκμάθοιμι τὰς δὲ τολμώσας στυγῶ.

Et Medeae et Deianirae mentem subito furor capit, cuius descriptio eadem in utraque fabula est, cf. *Med.* 960:

> Med.: quem trabe infesta petis
> Megaera?

et *H. Oet.* 1000:

> Dei.: Quid me flagranti dira persequeris face,
> Megaera, parce verberibus precor.

Med. 964:

> frater est, poenas poscit,
> dabimus

et *H. Oet.* 1906:

> Poenas poscis Alcidae dabo.

Et Medeam Corinthi incolae persequuntur et Deianira sibi a populo exitium imminere existimat. Senecae cum *Herculem Oetaeum* componeret, Medeae imaginem animo obversatam esse cum aliis tum etiam hac re probatur, quod aliquot versus et sententiae ex Euripidis *Medea* sumpti, quos auctor Romanus *Medeam* pangens in usum suum non convertit, in *Hercule Oetaeo* adhibiti deprehenduntur. Nimirum in *Herc. Oet.* 415 Deianira nutrici his verbis respondet:

> Levem esse credis paelicem nuptae malum?

Euripidis Medea (v. 1369) eisdem verbis Iasoni respondet:

> σμικρὸν γυναικὶ πῆμα τοῦτ' εἶναι δοκεῖς;

Quo in versu nulla vox non cum aliquo vocabulo versus Latini congruit.

Etiam alius locus, quem Seneca bis, sed ad unum exemplar, i. e. Euripidis *Medeam*, expressum adhibuit, sententiam meam confirmare videtur. In Euripidis *Medea* (v. 265) legimus:

> ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἡδυκηδὴς κορῇ,
> οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα.

Similia in Senecae *Medea* inveniuntur (v. 579):

> Nulla vis flammae timidive venti
> tanta nec teli metuenda torti,
> quanta cum coniunx viduata taedis
> ardet et odit.

Idem in *Hercule Oetaeo* ita illos Euripideos versus repetiit et commutavit:

> Est aliquid hydra peius: iratae dolor
> nuptae,

ubi voces *coniunx viduata, nupta irata* cum locutione ἐς εὐνὴν ἠδικημένη, *hydra* cum voce μιαιφονωτέρα conferendae sunt. Illa quidem re, i. e. versibus ex Euripidis *Medea* in *Hercule Oetaeo* adhibitis, etiam planius probatur auctorem Romanum in Deianirae partibus effingendis accuratissime *Medeam* in memoria tenuisse.

Disserenti igitur de fontibus tragoediarum Senecae non est obliviscendum Senecam non solum imitatorem exemplarium Graecorum fuisse, sed etiam sollerter fontes contaminavisse. Ergo statuendum est in *Hercule Oetaeo* fingenda praeter Sophoclis *Trachinias*, Ovidii *Metam.* l. IX, Euripidis *Herculem* Senecam, quod Deianirae partes attinet, non solum ex Euripidis, sed etiam ex sua ipsius *Medea* hausisse.

Nec tamen in hac sola fabula illa Senecae ratio scribendi suique ipsius imitandi et repetendi, verum in aliis quoque fabulis demonstrari potest. Discrepantiae *Agamemnonis* Aeschyleae et Seneceae tantae sunt, ut nonnulli docti[1]) non Aeschyli, sed alicuius posterioris tragici fabulam a Seneca expressam esse contendant. Nempe Cassandrae partes adeo mutatae sunt, ut Senecae heroina nulla prorsus nota Aeschyleam vatem referre videretur. Sed hoc mea quidem sententia simili modo atque in *Hercule Oetaeo* et in *Medea* explicari potest: nempe Seneca Euripideae Cassandrae partes, quas illa heroina in *Troadibus* agit, tribuit. *Troades* a Seneca ante *Agamemnonem* scriptam esse duobus iisque optimis codicibus, et Etrusco et cod. A, confirmatur. Seneca igitur, cum *Troades* ad exemplar cognominis fabulae Euripideae composuisset, et Cassandrae partes, quae ibi erant eximiae, prorsus omisisset, in altera fabula, i. e. *Agamemnone*, personam non Aeschyleam sed Euripideam imitando expressit: id quod liceat exemplis probare, ut Eurip. *Troad.* 359:

> κτενῶ γὰρ αὐτὸν κἀντιπορθήσω δόμους
> ποινὰς ἀδελφῶν καὶ πατρὸς λαβοῦσ' ἐμοῦ.

[1]) Brakman, *De Senecae Agamemnone* (*Mnemosyne* XLII 1914, p. 392—398 (et Fr. Leo, *Seneca* (*Rhein. Mus.* XLV 1890).

Eadem invidia Cassandra in Senecae *Agamemnone* affecta est, v. 869:

> vicimus victi Phryges:
> bene est, resurgit Troia, traxisti iacens
> parens, Mycenas, terga dat victor tuus.

Econtra in Aeschyli fabula Cassandra Agamemnonis mortem deflet.

Similiter conferendi sunt versus Sen. *Agam.* 743:

> iuvat per ipsos ingredi Stygios lacus,
> iuvat videre Tartari saevum canem,
> reserate paulum terga nigrantis poli,
> levis ut Mycenas turba prospiciat Phrygum,

cum Eurip. *Troad.* 458:

> χαῖρε μοι μῆτερ δακρύοις μηδὲν ὦ φίλη πατρὶς
> οἵ τε γῆς ἔνερθ' ἀδελφοὶ χώ τεκὼν ἡμᾶς πατήρ
> οὐ μακρὰν δέξεσθ' μ' ἥκω εἰς νεκροὺς νικηφόρος
> καὶ δόμους πέρσας Ἀτρειδῶν ὧν ἀπολόμεσθ' ὕπο.

Quorum affectuum nulla vestigia apud Cassandram, quam Aeschylus finxit, inveniuntur, cf. e. g. Cassandram Seneceam (*Agam.* 1005 sq.):

> Perferre prima nuntium Phrygibus meis
> propero: repletum ratibus eversis mare,
> captas Mycenas, mille ductorem ducum
> ut paria fata Troicis lueret malis
> perisse dono feminae: stupro, dolo
> iam, iam, iuvat vixisse, post Troiam iuvat

cum Aeschylea (*Agam.* 1280):

> ἀλλ' εἶμι κἂν δόμοισι κωκύσουσ' ἐμὴν
> Ἀγαμέμνονός τε μοῖραν.

Scaenam, in qua Clytaemestra cum nutrice colloquitur nonnulli docti [1]) ignoti alicuius exemplaris Graeci eiusque Alexandrini imitationem esse putant, cum colloquium illud in Aeschyli *Agamemnone* non exstet. At totum illud Senecae attribuendum esse ea de causa quam supra explicavi persuasum mihi est: Seneca sic tragoedias iam scriptas in memoria tenuisse videtur, ut eisdem fere verbis personas, quarum partes similes essent, depingeret. Quamquam igitur Seneca in Aeschyli *Aga-*

[1]) Liedloff, *Die Benützung griechischer und römischer Muster in Senecas Troades und im Agamemnon*, Brakman *ibd.*

memnone colloquium inter Clytaemestram et nutricem non invenit, tamen mulierem marito suo iratam, ultionis cupidine flagrantem eisdem coloribus atque in *Medea* depinxit. Conferas velim partes colloquii illius (*Agam.* 108):

Clut.: Quid segnis anima tuta consilia expetis?

cum Medeae (v. 400) verbis:

Segnis hic ibit dies?

Agam. 109:

Clausa iam melior via est
per scelera semper sceleribus tutum est ite

cum *Med.* 129:

Scelera te hortantur tua.

Denique *Agam.* 124:

Soror ista fecit, te decet maius nefas

cum *Med.* 49:

haec virgo feci,
maiora iam me scelera post partus decent.

Quibus exemplis satis comprobatur Senecam non solum ad aliquod Graecum exemplar, quod propositum haberet, fabulas suas composuisse, sed illas, quas antea scripsisset, in mente fixas magnam vim ad novas fabularum personas fingendas habuisse.

Senecam a Graecis auctoribus multum differre etiam propterea, quod non solum Graecorum, verum antiquam quoque Romanorum tragoediam exemplaris loco adhibuisset, iam pridem a doctis cognitum est. Sunt qui quatenus Seneca ab Ovidio[1]), Vergilio[2]), Horatio[3]), antiquis tragicis Romanis[4]) penderet, accuratius examinaverunt. Senecam autem non solum singulos Vergilii versus imitatum esse, ut Romeny et Bücheler probaverunt, verum etiam in personis earumque mori-

[1]) Zoellner, *Analecta Ovidiana*, Lipsiae 1892, p. .

[2]) Romeny, *De auctore tragoediarum, quae sub Senecae nomine feruntur Vergilii imitatore* 1897; F. Bücheler, *Vergilius et Seneca* (*Rhein. Mus.* XXXIV 1879, p. 623 n.).

[3]) *De versibus Senecae tragici ex Horatio derivatis*, Schönberg 1883.

[4]) R. Schreiner, *Seneca als Tragoediendichter in seinen Beziehungen zu den griech. Tragikern*, München 1907.

bus effingendis Vergilium secutum esse, paucis demonstrabo. In *Hercule furenti* introducitur Iuno, cuius persona, quippe quae in *Hercule* Euripidea omnino non prodeat, a Seneca addita est. Quia autem Iuno, quae in hac quidem tragoedia describitur, de quadam matrona potius, quam de Hera dea commonefacit, persuasi mihi, illius exemplar Romanum, non Graecum fuisse. Exemplar illud in Vergilii *Aeneide* invenisse mihi videor: Iuno, quae Herculem odit illique insidias parat, simillima Vergilianae Iunonis est, privignum suum persequentis. Iam velim consideres similia:

1. Irascitur Iuno, quod frustra privignum morti obicere conatur (*Aen.* VII 301 — *Herc. fur.* 27).

2. Quotiens et quo modo illum occidere temptaverit enumerat (*Aen.* VII 302 sq. — *H. fur.* 30—42).

3. Desperat se fata mutare posse (*Aen.* VII 313 — *Herc. fur.* 112).

4. Malis privignum si non vincere, tamen certe opprimere constituit (*Aen.* VIII 314 — *Herc. fur.* 114).

5. Furias ad consilium efficiendum vocat (*Aen.* VII 323 — *Herc. fur.* 100).

Fontem Latinum etiam in Megarae et Lyci partibus fingendis Senecam adhibuisse vel modo in memoria habuisse suspicor. Nulla enim, ne minima quidem vestigia in *Hercule* Euripidea illius commenti inveniuntur, quo Lycus Megaram uxorem ducere cupiat, ut meliore iure regnum sibi arroget, sed ab ea repudietur. Hausisse illud Seneca e Vergilii *Aen.* IV videtur, ubi Hiarbas, bellum minans, Elissae nuptias petit, quas illa negat. Etiam *Phoenissarum* immutatio, qua Iocaste filios, ut bellum omittant, obsecrans medias inter duas acies introducitur, historiae Romanae deberi videtur.

In nutricum partibus fingendis Senecam ab exemplaribus Graecis recessisse facile quisque animadvertet. Ea in re suum ingenium secutus est neque ad aliorum exemplum se applicavit. Nutricum partes non solum amplificatae, verum prorsus mutatae sunt; auctas illas a poeta Romano esse ex versuum numero, qui nutricibus tributi sunt, cognosci potest: Phaedrae nutrici a Seneca 183 versus dati sunt, quibus in Euripidis fabula 93 respondent. In Senecae *Medea* nutrici 112 versus, in Graeca 46, sed prorsus diversi argumenti tribuuntur, similisque ratio intercedit inter nutricem Deianirae Sopho-

cleam et Seneceam. Quod ad nutricem spectat, quae in Senecae *Agamemnone* partes agit, commonefacere oportet illam neque in Aeschyli *Agamemnone* neque in Euripidis *Troadibus* neque in Sophoclis *Electra* inveniri.

Ex exemplis supra allatis elucet Senecam in tribus fabulis nutricis partes aut addidisse aut prorsus alias, atque in Graecis exemplaribus exstabant, finxisse, in una autem fabula, i. e. *Phaedra*, Euripidis exemplum, quamquam non accuratissime, secutum eum esse. Alia lineamenta Seneca in exemplari Graeco invenit, alia finxit. Quamquam enim nutricis impudentissimae, quae omnino in litteris Graecis exstat, imaginem, quam imitaretur, sumpsit, tamen illam etiam audaciorem reddidit. Quam semel fictam postea in omnibus tragoediis auctorem Romanum secundum suum morem repetivisse vel imitatum esse, typicam igitur quasi fecisse, tragoediis illis comparatis nunc demonstrabo:

	Herc. Oet.	*Phaedra*	*Medea*	*Agamemno*	*Eurip.*
1 Domo nutrix subito evadit dominaeque animi affectionem eisdem fere verbis depingit:	v. 233—255	v. 360—386	v. 380—398	v. 125—128	*Med.* v. 24—33 *Phaedr.* v. 180—185
2 Alumnam adhortatur, ut animum concitatum coerceat:	v. 275—278	v. 129—176	v. 150—158	v. 125—130	Chorus, non nutrix, has partes explet
3 Pericula alumnae monstrat, quibus post scelus perpetratum opprimetur:	v. 332	v. 150—176	v. 160—175	v. 203—225	In exemplaribus Graecis non exstat
4 Denique tamen ipsa heram adiuvat et ut magicas artes adhibeat suadet:	v. 452—464	v. 406	v. 670	Hoc apud nullum tragicum poetam Graecum invenitur	
5 In nulla tragoedia nutrix post καταστροφήν apparet [1]).					

Hoc modo demonstratum esse puto Senecam ad nutricis partes describendas pauca ex Euripidea *Phaedra* hausisse, multa ipsum addidisse, postea in omnibus tragoedis imaginem semel fictam imitatum esse. Nutricem autem quae in *Phaedra* partes agit propterea imitandam sumpsit, quod in hac sola tragoedia nutrix non modo dominae sceleris conscia est, sed etiam ministra et fraudum machinatrix, quae Senecae praecipue placuisse videtur; in tribus enim tragoediis eam imitatus est.

[1]) Ex quo elucet versus, quos cod. A et nonnulli editores, nutrici melior autem cod. E nuntio attribuerunt, nuntio esse dandos.

NOVATIANEA

Nov. *De Trin.* 12, 7 Fauss. *...ut animus humanus ex manifestis occulta condiscens, de operum magnitudine, quae videret, mentis oculis artificis magnitudinem cogitaret.* Lepide quidem editor provocavit ad *Ephes.* I 18 *(illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis eius)* lepidiusque ad Epicharmi fgm. 249 Kaibel, quod Tertullianus *De anima* 18 ita latine reddidit: *animus cernit, animus audit, reliqua surda et caeca sunt.* Neque ego aliquando N.-um alia indicasse putavi. Dubium vero movit S. qui leg. proposuit: *quae videret oculis, mente artificis magnitudinem cogitaret*: quam emendationem evidentem libentissime amplector. Neque enim unquam homo — cum Epicharmi pace id dictum sit — oculis cogitat, sed mente rhetorique maxime accommoda oppositio oculorum corporis mentisque animi.

14, 13 *hoc enim in ipso quicquid illud <esse> potest quod est deus, semper sit necesse est.* Fausset bene vidit N.-um dicere *quod est deus* pro abstracto *deitas*, quam vocem ante Arnobium et Augustinum adhibitam non legimus quamque N. elegantiae studens evitavit. Quam ob rem patet locum ut impressus habetur minime integrum esse: latine enim dicere non licet: *quicquid potest deitas*, ubi non in divinitatis potentiam, sed essentiam inquiritur. Ergo potius expectaremus: *quicquid est.* Dubium vero dirimit similis plane locus 15, 8 ubi dictum invenimus: *quicquid esse potest quod deus est, summum sit necesse est.*

16, 6 aliquando *nomen suum deus ...adicit et praefert* S. nonnullas hic proposuit coniecturas quae cum non sint omnino necessariae, a me breviter tantum commemorantur: *sibi* pro *suum*, *accipit aut* pro *adicit et.* Acuti ingenii sunt documenta; alii fortasse meliores quam ipse attulit rationes invenient ad eas stabiliendas, quibus enuncleatis et nobis probentur. *Aut* particula etiam in uno cod. legitur.

17, 8 *corrumpi enim per haec homo potest, quia <et> corrumpi potest: corrumpi per haec deus non potest quia nec corrumpi potest.* Propter sententiarum parallelismum *et* addendum esse puto.

DE ARISTOPHANE ET IOPHONTE

scripsit
STEPHANUS SREBRNY

I

Apud Eustathium 1698, 32 fragmentum legimus ex comoedia, ut numeri atque sententia testantur, sine dubio desumptum: ἀχυρὸς κατὰ Λίλιον Διονύσιον ὁ ἀχυροβολών. ἕτερος δέ τις καὶ χρῆσιν εἰς τοῦτό φησιν· Ἑκάβην ὀτοτύξουσαν καὶ καιόμενον τὸν ἀχυρόν. Pro certo affirmare licet tetrametrum hoc fragmentum efficere anapaesticum primo pede carentem recteque Meinekium *FCG* IV 629 ἀχυρμόν pro ἀχυρῷ scripsisse[1]). Quam vocabuli formam (cf. ἀχυρμιά, ἀχύρμιος) iam antea introduxit Dindorf Aristophanis *Vesparum* v. 1310, ubi secundum R, V, Suidam legimus κλητῆρι τ' εἰς ἀχυρὸν ἀποδεδρακότι, quod trimetrum iambicum, quo opus est hoc loco, nullum praebet, secundum autem Γ— εἰς ἀχυρῶνας; haec vero lectio sine ulla dubitatione correctio est metri causa male inventa, cum numerus pluralis omni careat ratione. Eodem modo mutandum esse proverbium *Append. Prov. Gotting.* I 71 γέροντες εἰς ἀχυρὸν ἀποδεδρακότες recte monuit Meineke l. c.

Idem vir doctus hoc fragmentum ex Platonis comici *Adonide* desumptum esse suspicabatur, pro argumento usus scholio ad *Vesparum* v. 1310 supra laudatum: ὁ δὲ ἀχυρὸς παρ' Εὐπόλιδι ἐν Χρυσῷ γένει, ὅπου καὶ τὸ Πλάτωνος παράκειται ἐξ Ἀδώνιδος — coniectura sane incertissima — initioque supplebat dubitanter εἶδον δ'. Kock, *CAF* adesp. 783, aliter supplere conabatur — ἐχάρην — atque „exempli gratia" versus sequentis dimidiam adsuebat partem a se ipso compositam (καὶ Τρῳάδας ἑλκομένας ἐσιδών).

Quae omnia hodie abicienda sunt: nam e *Lexico Sabbaitico*, a Papadopulo Cerameo invento editoque anno 1892, didicimus versum de quo agitur ex Aristophanis Δαιταλεῦσι desumptum esse eiusque initium esse καὶ τήν. Ubi legimus 4, 9: Δαιταλεῦσι· καὶ τὴν Ἑκάβην Ἀριστοφάνης τὸ τύξουσαν καὶ ὁ μέντ̣ην τὸν ἄχυρον[2]). Qui locus, Eustathii verbis collatis, non est diffi-

[1]) Etiam καιόμενον in καόμενον mutabat Meineke.

[2]) Praeter oxytonon quod est ἀχυρός etiam proparoxytonon occurrit ἄχυρος. Cf. Phrynich. Bekk. *Anecd.* p. 7.

cilis ad emendandum. Scribit igitur Papadopulos Cerameus: <ἄχυρος> Ἀριστοφάνης Δαιταλεῦσι· καὶ τὴν Ἑκάβην ὀτοτύζουσαν καὶ καιόμενον τὸν ἄχυρον. Ubi etiam Meinekii opus est correctione (ἀχυρμόν), quam recte introducit Demiańczuk, *Supplem. com.* Aristoph. fgm. 10.

Meinekio veri videbatur simile, hunc versum 'ex comica descriptione incendii Troiani' petitum esse; qua de re certe dubitare non licet. Attamen videtur mihi nos, permultis fabularum Aristophanearum locis collatis, plura statuere posse: alludere scilicet hoc versu Aristophanem ad tragoediam nescio quam, ubi incendium Troianum Hecubaeque lamentatio repraesentabantur; quam scaenam tragoediae exodum fuisse paene certum est. Facile quivis de Euripidis *Troadum* scaena ultima cogitaret, nisi fieri non posset, ut Aristophanes in *Daetalensibus*, quae acta est Diotimo archonte, i. e. anno 427 (Anon. *de com.* p. 8 Kaib., cf. Schol. Arist. *Nub.* 529), ad *Troades* alluderet, quam fabulam Euripides, teste Aeliano *V. H.* II 8, olympiadi 91 (a. 416—413) scaenae commisit.

Unde sequitur etiam alteram extitisse tragoediam, cui scaena inerat — fabulae, ut opinor, exodus — Euripidis *Troadum* scaenae ultimae similiter formata. Quae tragoedia ante annum 427, atque, ut videtur, brevi ante hoc tempus, acta est: nam primum per se vix credi potest Aristophanem rei ante multos annos in tragoedia quadam spectatae populum admonere, deinde ipse poeta non poterat tunc temporis fabularum ante multos annos actarum meminisse, cum, ut ipse fatetur (*Nub.* 528—533), alieno nomine *Daetalenses* scaenae committens, adulescens esset, quem nondum leges sinerent chorum poscere.

Per se veri est simillimum Aristophanem de tragoedia loqui anno praecedente — i. e. 428 — acta. Quo anno Euripidem scimus *Hippolyto* vicisse. Cuius fabulae 'argumentum' affert etiam adversariorum eius nomina: ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἐπαμείνονος ἄρχοντος Ὀλυμπιάδι πζ' ἔτει δ'. πρῶτος Εὐριπίδης, δεύτερος Ἰοφῶν, τρίτος Ἴων. Quid si inter Iophontis vel Ionis Chii opera quaerenda est fabula de excidio Troiae, ad quam alludit Aristophanes? Et certe apud Suidam inter Iophontis fabularum titulos[1]) Ἰλίου πέρσιν invenimus[2]).

[1]) Ἀχιλλεύς, Τήλεφος, Ἀκταίων, Ἰλίου πέρσις, Δεξαμενός, Βάκχαι ἢ Πενθεύς.

[2]) Ionis Chii fabularum tituli atque fragmenta mullam hac in re ansam nobis praebent.

Iam videamus quae nobis cognita sint: 1. Brevi ante annum 427 acta est fabula de excidio Troiae, cuius scaena quaedam — ultima, ut videtur — Euripidis *Troadum* exodo similis erat; 2. anno 428 Iophontis fabula acta est; 3. inter Iophontis fabulas fuit Ἰλίου πέρσις. Unde paene pro certo colligere licet: 1. anno 428 Iophontem Ἰλίου πέρσιν scaenae commisisse; 2. cuius fabulae exodum similiter compositum esse Euripidis *Troadum* exodo, unde sequi Euripidem hac in re Iophontis fuisse imitatorem [1]).

II

At iterum revertamur oportet ad Aristophanis fragmentum, ubi nondum omnia sunt perspicua. Nam quaerendum est, qua de causa de incendio Troiano dicatur 'paleas cremari'. Kockio l. c. „ἀχυρμός... dici videtur rerum pretiosarum acervus". Qua tamen explicatione verba de quibus agitur dilucidiora non fiunt: neque enim intellegi potest, quid sibi velit tanta divitiarum Troianarum contemptio, neque sinit nos ita hunc locum interpretari Aristophanis verborum brevitas, quae si secundum Kockii sententiam intellegenda essent, latius explicare debuisset poeta, qua de causa paleas vocaverit Priami thesaurum; particula denique τόν adducimur, ut potius de vero palearum acervo quam de locutione metaphorica cogitemus.

Quaenam igitur vis inesse potest paleis illis quae cremantur? Quid si statuendum est nobis ridicule hic alludere Aristophanem ad res scaenicas, ut alibi eccyclematis vel machinae irridet usum? Nonne fieri potest, ut Iophon in tragoedia sua, dum Troiae excidium spectatoribus ostenderet, non solum dramatis personarum verbis ac motibus, sed etiam flammis oculos animosque percellere conatus sit? Quod simplici modo paleis incensis efficiebatur. Notatu dignum est simili Euripidis *Troadum* scaena adductum esse Wilamowitzium, ut de vero incendii spectaculo cogitaret. Qui *Troadum* versionis suae praefatione (*Griech. Tragödien* [3]III p. 287) sic

[1]) Iophon, Sophoclis filius, sine dubio inter principes erat tragicorum. Ex Aristophamis verbis (*Ran.* 71—79) elucet, comici sententia post Euripidis Sophoclisque mortem solum Iophontem fuisse, quem sperare liceret tragoedias scripturum esse scaena Dionysiaca dignas. Scholiasta Arist. *Ran.* 73 de insigni loquitur Iophontis victoria: ἠγωνίσατο καὶ ἐνίκησε λαμπρῶς ἔτι ζῶντος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ.

inter cetera loquitur: „Das Auge musste in Mitleidenschaft gezogen werden... Denn ganz wirklich muss die Burg von Ilion, die den Hintergrund der Bühne bildet, in Flammen aufgehen und in einem bestimmten Momente zusammenbrechen. Während des ganzen Dramas ist schwarzer Rauch aus ihr aufgestiegen, jetzt lodern die Flammen. Wir sehen die Krieger bei der Brandstiftung und dem Schleifen der Mauern beschäftigt. Die Entfernung zwischen Ilion und der Küste ist plötzlich so gering, dass Hekabe den Versuch machen kann in die Flammen zu laufen". Et revera totam scaenam cursim perlegenti facile in mentem venit usum hic esse poetam apparatu scaenico ad verba sua illustranda. Attamen concedamus oportet contextu accurate examinato non cogi nos, ut sine dubitatione Wilamowitzii amplectamur sententiam. Qui vir doctissimus nimis hic (ut etiam alibi haud semel in huiusmodi quaestionibus) regi videtur re scaenica aetati suae propria neque persuadere sibi posse non esse necessarium, ut res quas se videre perhibent dramatis personae revera in theatro repraesententur. Omnium qui huc facere possunt fabulae Euripideae locorum (v. 1256—1264, 1282 sq., 1294—1297, 1325) soli versui 1325 (ΕΚ. ἐμάθετ', ἐκλύετε; ΧΟ. Περγάμων <γε> κτύπον) haud dubie respondere debuit actio, i. e. strepitus ingens aedificiorum significans ruinam; de ceteris non potest pro certo affirmari vera facta scaenica eos illustrasse. In eiusdem Euripidis *Bacchabus* secundum textum ruinam spectamus domus Penthei (v. 591: εἴδετε λάϊνα κίονιν ἔμβολα διάδρομα τάδε;), quae tamen postea integra manet, quasi nihil accidisset (v. 914: ἔξιθι πάροιθε δωμάτων[1]); ubi in rem incurrimus theatro Graeco propriam quae etiam aliis locis potest indicari: theatri scilicet formam non semper cum rebus a poeta fictis congruentem nihilo minus ingenium eius regere variisque modis in fabulae irrumpere actionem.

Ex solis igitur Euripidis verbis colligere non licet incendium Troianum vere esse repraesentatum. Si vero Aristophanis consideramus fragmentum, quod, ut videtur mihi, nisi hoc unico modo intellegi non potest, cogimur, ut aliter iudicemus: in Iophontis scilicet fabula veras in scaena spectatas esse flammas. Quod non naturae imitandae causa factum est: oculis tantum inserviebat percellendis flammarum conspectus, incendii

[1]) Cf. etiam v. 1212—1215, 1238—1240.

quasi ideam exprimens, ut etiam magis commoveantur spectatorum animi. Cuiusmodi fabulam si nostrae aetatis διδάσκαλος scaenae committeret, etiamsi maxime odisset naturam in theatro imitandam, sine dubio machinis lucem proicientibus uteretur!

Cum, ut iam vidimus, *Troadum* exodus simillima sit scaenae de qua loquitur Aristophanes, maxima cum probabilitate suspicari licet Euripidem, dum scaenam ipsam imitaretur, etiam flammarum spectaculum artissime cum ea conexum ab Iophonte mutuatum esse; hac igitur in re verum sensisse Wilamowitzium. Quod si statuemus, nihil certe insoliti vel dubii apud Euripidem admittendum est nobis: immo vero proprium est ei argumenta iam ab aliis tractata iterum retractare eo consilio, ut adversariorum artis censuram scribat ostendatque se ipsum rectius agere posse.

NOVATIANEA

Nov. *De Trin.* 18, 1 Fauss. dei iracundiae *ex consilio, non ex vitio venerunt, nec ex fragilitate descendunt.* Mireris sane cur iuxta perfecti temporis formam in eadem sententia praesens tempus invenias: unde alterutrum verbum corruptum esse apparet. Compendiose *descenderunt* scribitur ita: *descēd'ūt*, vel posterius *descēd^{nt}*: neque mirum si ex illo compendio factum sit *descendunt*. Perfecti enim temporis formam, non praesentis N.-um hic posuisse, similis locus 14, 12 evidentissime docet.

18, 12 corrumpentia in deo *non ex vitio, sed ratione venerunt.* Praepositio mihi repetenda videtur rescribendaque sententia: *e ratione.* — Ceterum S. confirmat pro 18, 11 Fausseti sententiam (scil. reiciendum esse Pamelii *quandoquidem* pro *quoniam quidem*) simili loco 33, 18 *quoniam quidem nostram carnem sermo suscepit.*

19, 8 Fausset alios secutus editores initio sententiae *sed* delevit: *sed nos qui dicimus* etc., cum oppositio non habeatur. Illud vero retinendum esse, docet S. haec dicens: „Cave cum editore doct. coniunctionem in his *sed nos qui* etc. pro librarii additamento habeas: quippe quae toties post coni. *licet quamvis* etc. aut vacet, aut τοῦ *tamen* vice adhibeatur (cf. N.-um 22, 10—11. 46, 12; Fulgentius, *Virg. contin.* p. 144: *et quamvis oportuerit ... primum personam edicere ... sed quia*

laudis est adsumta materia, ante meritum viri ediximus. Verg. *Georg.* IV 206)".

22, 1 N. docet haec quae nata sint dissolutionem pati: *sed haec quae concreta non sunt sentire non possunt.* Haec integra essent, si inquireretur in sententiam: at cum disputetur de dissolutione, proposito non respondent. Mutandum ergo est pronomen *haec* in *hanc* (scil. dissolutionem), quod iam Jackson vidit et imprimi fecit.

23, 3 deus dicitur spiritus *ut dum mens hominum intellegendo usque ad ipsum proficit spiritum, conversa iam ipsa in spiritu, aliud quid amplius per spiritum conicere deum possit.* N. demonstrare nititur deum non solum esse spiritum, sed spiritum in deo cuiuslibet virtutis vel attributi agere vices. At cognitio horum nostro ex intellectu pendet: quo magis illuminati et ab huius mundi rebus avulsi, eo propiores sumus deo meliusque deum cognoscimus: tunc enim et mens nostra reformatur. Si mens *in spiritu* convertitur idem est acsi dicas: per spiritum vel spiritu operante, scil. spiritu sancto: quo nil magis alienum a N.-o esset, qui hic non de Spiritu trinitatis persona, sed de spirituali dei substantia disputat, id quod Fausset in sua introductione p. LVIII manifesto confudit. Ergo omnino leg. *in spiritum*: recordatus enim est N. quae Paulus *1 Cor.* XV 44 de diversis corporibus, animali scil. et spirituali, disputaverat. Neque N.-i sententiae respondere videtur quod dicitur: *per spiritum conicere,* ubi de dei substantia quaeritur: manifesto ipse N. scripserat: *amplius quam spiritum,* nam hoc erat caput quaestionis, ut apparet ex 22, 9 Christus sic locutus est *de patre, ut adhuc aliquid plus intellegi velit quam spiritum deum,* idemque repetit 23, 11: *si acceperis spiritum substantiam dei, creaturam feceris deum.*

28, 13 *hunc enim Abrahae filium, hunc David, hunc <dei> non minus et vetera praedicta et evangelia testantur.* Illud *non minus* non referri ad ea quae sequantur apparet tum ex omisso *quam* ante *evangelia* tum praecipue ex addito *et — et* ante *praedicta* et *evangelia.* Ceterum N. hic Iesum et hominem et deum esse est demonstraturus: idem Fausset sensisse videtur, qui sub contextu saltem suspicioni locum dedit: „fort. legendum: *Hunc non minus dei*". At ita leg. esse ut proposui, praeterea clausula ´ ∪ ˘ ´ ∪ — suadet.

SENTENTIAE QUAEDAM HORATIANAE CUM VETERIS TESTAMENTI LOCIS COMPARATAE

scripsit

IACOBUS HANDEL

Horatium accuratius qui legit deprehendet sententias nonnullas mirum in modum cum Veteris Testamenti, imprimis *Psalmorum* et *Proverbiorum*, locis quibusdam concinentes. Cuius similitudinis causa certa proferri nequit. Coniecturas tantummodo tentare licet: Aut igitur consensum locorum illorum nisi fortuitum non putabimus aut poetam Venusinum e libris sacris sive ipso e fonte, hoc est e LXX virorum versione hausisse suspicabimur sive augurabimur alius cuiusdam auctoris opera eum usum esse.

Quaestio utique oritur poetane noster Veteris Testamenti versionem Graecam noverit necne (textum enim Hebraeum ei innotuisse ne conicere quidem audeo). Notatu certe dignum est Horatium aliquotiens Iudaeorum mentionem fecisse atque ut nuper Th. Zieliński[1]) optime demonstravit eum 'morum Iudaicorum non mediocriter peritum fuisse'.

Quae cum ita sint, non plane a vero abhorrere censeo auctorem *Sat.* I 4, 143. 5, 100. 9, 70 litterarum quoque Iudaicarum non prorsus ignarum fuisse. Praecipue *Psalterio* delectari potuisse egregium poetam lyricum, qualis fuit Horatius, quis est qui neget? Verumtamen non nego etiam fortuito vatem Venusinum et *Psalmorum* vel *Proverbiorum* poetas inter se consentire ac respondere posse.

Utcumque res se habet paucos hos locos a nobis in comparationem vocatos afferre liceat:

HORATIUS	SEPTUAGINTA	VULGATA
1 *C.* I 3, 25 Audax omnia perpeti gens humana ruit per vetitum nefas.	*Gen.* VIII 21 ...ἔγκειται ἡ διάνοια τοῦ ἀνθρώπου ἐπιμελῶς ἐπὶ τὰ πονηρὰ ἐκ νεότητος.	*Gen.* VIII 21 Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.
2 *C.* I 4, 13 Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turris.	*Iob* III 19 μικρὸς καὶ μέγας ἐκεῖ ἐστιν.	*Iob* III 19 Parvus et magnus ibi sunt.

[1]) Th. Zieliński, *Iudaei Horatiani* (Eos XXX 1927, p. 58). I. Handel, *Tricesima Sabbata* (Kwartalnik Klasyczny I 1927, p. 230).

3	*C.* I 4, 15 vitae summa brevis spem nos vetat incohare longam.	*Ps.* CIII 15 μνήσθητι ὅτι χοῦς ἐσμεν. ἄνθρωπος, ὡσεὶ χόρτος αἱ ἡμέραι αὐτοῦ· ὡσεὶ ἄνθος τοῦ ἀγροῦ, οὕτως ἐξανθήσει.	*Ps.* CIII 15 Recordatus est quoniam pulvis sumus, homo sicut foenum dies eius tamquam flos agri sic efflorebit.
4	*C.* I 16, 22 Compesce mentem.	*Prov.* XVI 32 κρείσσων ἀνὴρ μακρόθυμος ἰσχυροῦ, ὁ δὲ κρατῶν ὀργῆς κρείσσων καταλαμβανομένου πόλιν.	*Prov.* XVI 32 Melior est patiens viro forti et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.
5	*C.* I 28, 15 Omnes una manet nox et calcanda semel via leti.	*Eccl.* III 20 τὰ πάντα εἰς τόπον ἕνα, τὰ πάντα ἐγένετο ἀπὸ τοῦ χόος καὶ τὰ πάντα ἐπιστρέψει εἰς τὸν χοῦν.	*Eccl.* III, 20 Et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt et in terram pariter revertuntur.
6	*C.* I 34, 12 Valet ima summis mutare et insignem attenuat deus obscura promens.[1])	*Ps.* CXII 7 ὁ ἐγείρων ἀπὸ γῆς πτωχόν, καὶ ἀπὸ κοπρίας ἀνυψῶν πένητα, τοῦ καθίσαι αὐτὸν μετὰ ἀρχόντων...	*Ps.* CXII 7 sq. suscitans a terra inopem et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus.
7	*C.* II 3, 20 divitiis potietur heres.	*Ps.* XLVIII 11, 12 καὶ καταλείψουσιν ἀλλοτρίοις τὸν πλοῦτον αὐτῶν.	*Ps.* XLVIII 11, 12 Et relinqent alienis divitias suas.
8	*C.* III 2, 31 Raro antecedentem scelestum deseruit pede Poena claudo.	*Prov.* XIII 21 ἁμαρτάνοντας καταδιώξεται κακά, τοὺς δὲ δικαίους καταλήμψεται ἀγαθά.	*Prov.* XIII 21 Peccatores persequitur malum et iustis retribuentur bona.
9	*C.* III 4, 65 Vis consilii expers mole ruit sua.	*Zach.* IV 6 Οὐκ ἐν δυνάμει μεγάλῃ οὐδὲ ἐν ἰσχύι ἀλλ' ἐν πνεύματι...	*Zach.* IV 6 Non in exercitu nec in robore, sed in spiritu...
10	*C.* III 6, 1 Delicta maiorum immeritus lues...	*Ierem.* XXXI 29 Οἱ πατέρες ἔφαγον ὄμφακα, καὶ οἱ ὀδόντες τῶν τέκνων ἠμωδίασαν.	*Ierem.* XXXI 29 patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt.

[1]) Hom. π 211 Ῥηϊδίον δὲ θεοῖσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν, Ἠμὲν κυδῆναι θνητὸν βροτὸν ἠδὲ κακῶσαι. Hesiod. Ἔργα 6 Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει καὶ ἄδηλον ἀέξει... Ζεύς. Archil. fragm. 56 Bgk. πολλάκις μὲν ἐκ κακῶν ἄνδρας ὀρθοῦσιν μελαίνῃ κειμένους ἐπὶ χθονί, πολλάκις δ' ἀνατρέπουσι καὶ μάλ' εὖ βεβηκότας ὑπτίους κλίνουσι (sc. οἱ θεοί). Aristoph. *Lysistr.* 772 τὰ δ' ὑπέρτερα νέρτερα θήσει Ζεὺς ὑφιβρεμέτης. Tac. *Hist.* IV 47 documenta mutabilis Fortunae summaque et ima miscentis.

11	*C.* III 8, 27 Dona praesentis cape laetus horae.	*Eccl.* V 17 sq. Ἰδοὺ ἴδον ἐγὼ ἀγαθὸν ὃ ἐστιν καλόν, τοῦ φαγεῖν καὶ τοῦ πιεῖν καὶ τοῦ ἰδεῖν ἀγαθωσύνην ἐν παντὶ μόχθῳ αὐτοῦ ᾧ ἐὰν μοχθῇ ὑπὸ τὸν ἥλιον ἀριθμὸν ἡμερῶν ζωῆς αὐτοῦ.	*Eccl.* V 17 sq. Hoc itaque visum est mihi bonum ut comedat quis et bibat et fruatur laetitia ex labore suo quo laboravit ipse sub sole numero dierum vitae suae.
12	*C.* III 30, 6 Non omnis moriar multaque pars mei vitabit Libitinam.[1])	*Ps.* XLVIII 18 ὅτι οὐκ ἐν τῷ ἀποθνήσκειν αὐτὸν λήμψεται τὰ πάντα, οὐδὲ συνκαταβήσεται αὐτῷ ἡ δόξα αὐτοῦ.	*Ps.* XLVIII 18 quoniam cum interierit, non sumet omnia neque descendet cum eo gloria eius.
13	*C.* IV 4, 29 Fortes creantur fortibus et bonis.	*Prov.* XVII 6 στέφανος γερόντων τέκνα τέκνων, καύχημα δὲ τέκνων πατέρες αὐτῶν.	*Prov.* XVII 6 Corona senum filii filiorum et gloria filiorum patres eorum.
14	*C.* IV 8, 28 Dignum laude virum Musa vetat mori.	*Prov.* XI 3 ἀποθανὼν δίκαιος ἔλιπεν μετάμελον, πρόχειρος δὲ γίνεται καὶ ἐπίχαρτος ἀσεβῶν ἀπώλεια.	*Prov.* XI 3 Iustitia autem liberabit a morte.
15	*C.* IV 12, 28 Dulce est desipere in loco.	*Eccl.* III 1 sq. τοῖς πᾶσιν ὁ χρόνος... καιρὸς τοῦ κλαῦσαι καὶ καιρὸς τοῦ γελάσαι, καιρὸς τοῦ κόψασθαι καὶ καιρὸς τοῦ ὀρχήσασθαι.	*Eccl.* III 1 sq. Omnia tempus habent... tempus flendi et tempus ridendi, tempus plangendi et tempus saltandi.
16	*C.* IV 13, 17 Quo fugit venus, heu quove color?	*Prov.* XXXI 30 ψευδεῖς ἀρέσκειαι καὶ μάταιον κάλλος γυναικός.	*Prov.* XXXI 30 Fallax gratia et vana est pulchritudo.
17	*Ep.* II 1 Beatus ille qui...	*Ps.* I 1 Μακάριος ἀνήρ, ὃς...	*Ps.* I 1 Beatus vir, qui... (passim).
18	*Sat.* I 1, 33 sq. Parvola nam exemplo est magni formica laboris ore trahit quodcumque potest atque addit acervo, quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.	*Prov.* VI 6 Ἴσθι πρὸς τὸν μύρμηκα, ὦ ὀκνηρέ, καὶ ζήλωσον ἰδὼν τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ, καὶ γενοῦ ἐκείνου σοφώτερος· ἐκείνῳ γὰρ γεωργίου μὴ ὑπάρχοντος, μηδὲ τὸν ἀναγκάζοντα ἔχων μηδὲ ὑπὸ δεσπότην ὤν, ἑτοιμάζεται θέρους τὴν τροφήν, πολλήν τε ἐν τῷ ἀμήτῳ ποιεῖται τὴν παράθεσιν.	*Prov.* VI 6 Vade ad formicam, o piger, et considera vias eius et disce sapientiam, quae cum non habeat ducem nec praeceptorem nec principem, parat in aestate cibum sibi et congregat in messe, quod comedat.

[1]) cf. Seneca, *Troad.* 382 An toti morimur, nullaque pars manet Nostri?

19	*Sat.* I. 1, 73 nescis, quo valeat nummus, quem praebeat usum.	*Prov.* XVII 16 ἵνα τί ὑπῆρξεν χρήματα ἄφρονι; κτήσασθαι γὰρ σοφίαν ἀκάρδιος οὐ δυνήσεται.	*Prov.* XVII 16 quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?
20	*Sat.* I 4, 67 sq. At bene si quis vivat puris manibus.	*Ps.* XXIV 4 ἀθῷος χερσὶν καθαρὸς τῇ καρδίᾳ.	*Ps.* XXIV 4 Innocens manibus et mundo corde.
21	*Epist.* I 1, 41 Virtus est vitium fugere et sapientia prima stultitia caruisse.	*Prov.* IX 10 ἀρχὴ σοφίας φόβος Κυρίου, καὶ βουλὴ ἁγίων σύνεσις.	*Prov.* IX 10 Principium sapientiae, timor Domini: et scientia sanctorum prudentia.
22	*Epist.* I 2, 69 Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.	*Prov.* XXII 6	*Prov.* XXII 6 Proverbium est: Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.
23	*Epist.* I 5, 12 Quo mihi fortunam si non conceditur uti?	*Eccl.* V 18 καί γε πᾶς ἄνθρωπος ᾧ ἔδωκεν αὐτῷ ὁ θεὸς πλοῦτον καὶ ὑπάρχοντα, καὶ ἐξουσίασεν αὐτῶν, φαγεῖν ἀπ' αὐτοῦ καὶ λαβεῖν τὸ μέρος αὐτοῦ καὶ τοῦ εὐφρανθῆναι ἐν μόχθῳ αὐτοῦ, τοῦτο δόμα θεοῦ ἐστίν.	*Eccl.* V 18 Et omni homini cui dedit Deus divitias atque substantiam potestatemque ei tribuit ut comedat ex eis et fruatur parte sua et laetetur de labore suo: hoc est donum Dei.
24	*Epist.* I. 16, 52 Oderunt peccare boni virtutis amore.	*Prov.* XXI 15 εὐφροσύνη δικαίων ποιεῖ κρίμα, ὅσιος δὲ ἀκάθαρτος παρὰ κακούργοις.	*Prov.* XXI 15 Gaudium iusto est facere iudicium et pavor operantibus iniquitatem.

NOVATIANEA

Nov. *De Trin.* 24, 4 Fauss. enumerationis seriem ita claudit: deum *terrae verentur, inferna quaeque suspiciunt. Quaeque* quid hic designet, me fugit, cum nisi unum Orcum ipse N. non noverit. Puto N.-um scripsisse: *quoque* — id quod Jackson suspicatus est — qua coniunctione N. etiam alibi seriem claudit, scil. 111, 7 *infideles arguit, simulatores ostendit, improbos quoque corrigit.*

25, 2 deus ultro *bonus est, ne totus hic orbis aversus gratiae eius fluminibus aresceret.* Locum ut impressum legimus a mendis non vacare elucet. Fausset innixus in cod. Woweri lectione *(adversis)* leg. proponit *aversis:* idemque dudum fecerat S. multisque id exemplis stabiliverat (Ovid. *Fast.* VI 410. Frontin. *Strat.* III ext. 4 ex. 1. Iustin. XXXI 5).

STUDIA BYZANTINA

scripsit
ALEXANDER TURYN

I. De Homeri et Ioannis Actuarii codicibus Varsoviensibus.

1. De Iliadis Homericae codice Varsoviensi Zamoysciano ea imprimis de causa vel paucissimis verbis hic agemus, quod librorum Graecorum bibliothecae Zamoyscianae index, quem a Thaddaeo Korzon eiusdem bibliothecario confectum R. Foerster *Rhein. Museum* LIII 1898, p. 571 vulgavit, falsa de eo docet (saec. XVI in membranis scriptus esse dicitur), tum ideo, quod a librario notissimo exaratus — Michaelem Apostolim Byzantium dico — quam maxime est memorabilis.

Hic igitur codex Varsoviensis bibliothecae[1]) comitum Zamoyski, 57 *Cimelia* signatus, Iliadem continet paraphrasi inter singulas lineas scripta. Est chartaceus, saec. XV, 212 *mm* × 292 *mm*, scripturaque occupat spatium 13 *cm* × 18 *cm*. Uno folio (pag. 1—2) praeposito ipse codex ex 529 foliis (p. 3—1060) ordine conscriptis constat; sunt vero 66 quaterniones custodibus $\alpha' - \xi\varsigma'$ (p. 3—1058) signati uno folio (p. 1059—1060) subiuncto. Iam Iliade ad finem perducta etiam in calce duo folia sunt adiecta, quorum alterum p. 1061—1062 numeratur, alterum numero caret. Scriptus est codex una manu litteratura minuscula satis nitida, compendiis fere paucissimis nisi in paraphrasi minio picta non usurpatis, pagina tricenos fere versus (scilicet Homeri quinos denos et totidem versus paraphraseos) exhibente, unicuique carmini argumento praefixo item miniato. A librario autem in p. 1060 haec facta est subscriptio: † Μιχαὴλος ἀποστόλης βυζάντιος[2]), μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς φιλτάτης αὐτοῦ

[1]) De Bibliotheca Zamoysciana cf. Jos. Kallenbach, *Les Humanistes Polonais*, Fribourg (Suisse) 1891, p. 32; Richard Foerster, *Zur Handschriftenkunde und Geschichte der Philologie*. V. *Eine griechische Handschrift in Russisch-Polen (Rhein. Museum* LIII 1898, p. 547—574). VI. *Handschriften der Zamoyski'schen Bibliothek (ibd.* LV 1900, p. 435—459).

[2]) De Michaele Apostoli cf. Émile Legrand, *Bibliographie hellénique XV—XVI s.*, Paris 1885, I p. LVIII sqq. II p. 246[0] (de subscriptionibus); Hippolyte Noiret, *Lettres inédites de Michel Apostolis* [*Bibliothèque des Écoles françaises d'Athènes et de Rome* fasc. LIV], Paris 1889, cum scripturae exemplis phototypicis; V. Gardthausen, *Griechische Palaeographie*[1], Leipzig

πατρίδος, πενίᾳ, τῷ πολυκεφάλῳ θηρίῳ συζῶν, ἐν Κρήτῃ, καὶ τήνδε τὴν θείαν βίβλον μισθῷ ἐξεγράψατο :-

Michael Apostolis Cretae inde ab anno 1454/5 (Legrand I p. LIX sq.) usque ad annum fere 1480, quo anno est mortuus (Noiret p. 24), vitam egit. Ut pateat codicem Varsoviensem inter annum 1454/5 et 1480 Cretae scriptum esse.

Codex tabulis ligneis et corio compactus est. Viles quaedam inscriptiones, quae in tegimentorum partibus interioribus necnon in paginis 1—2, 1061—1062 et in folio ultimo exstant, nihil dignum habent, quod afferatur. Ipsi Iliadi disputationes aliquot simillimae earum, quae passim in scholiis Homericis occurrunt, praemissae sunt. Velut

p. 3 περὶ τῶν ποιητῶν
p. 3 περὶ τῶν γάμων τοῦ Πηλέως καὶ Θέτιδος
p. 4 βίος Ὁμήρου (=Antonius Westermann, ΒΙΟΓΡΑΦΟΙ. *Vitarum scriptores Graeci minores*, Brunsvigae 1845, p. 27 sq.: Vita Homerica 3.)
p. 5 Ἡ ὑπόθεσις τοῦ πρώτου στοιχείου
p. 5 Ζητήματα.

In p. 6 alia manu epigramma est exaratum:

Ἥτοι ἐγὼν πεδίον τὸ βαρύστονον οἷος ἀλῶμαι
θυμὸν ἐμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

p. 7—1060 Ilias cum paraphrasi singulorum versuum inter lineas scripta continetur.

Exempli gratia lectionis Varsoviensis specimen ad versus liadis A 1—300 afferemus. Eas tantum lectiones enotabimus, quae discrepant ab editione cl. virorum David B. Monro et Thomas W. Allen, *Homeri opera. Tomus I Iliadis libros I—XII continens*, Editio altera, Oxonii s. a. [1908], e Typographeo Clarendoniano.

Cod. Varsoviensis Zamoyscianus 57 *Cimelia*, p. 7 sqq. *Ilias* A 1 sqq. p. 7 periocha: Ἰλιάδος ἄλφα ὁμήρου ῥαψῳδίαι :- ἄλφα· λιτὰς χρύσου· λοιμὸν στρατοῦ· ἔχθος ἀνάκτων:- A 4 δ' ἐλλώρια 11 ἠτίμησ' 14 στέμμα τ' 15 ἐλίσσετο 20 λύσαιτε man. prior, λῦσαι τε man. post. (δέχεσθαι man. pr.?) δέχεσθε m. post. 27 αὖθις 33 ἔδδεισε 49 κλαγκὴ 54 ἀγορήνδ' ἐκαλέσσατο 65 εἴθ'] ἠδ' 66 κνίσσης 67 ἀμύνναι 73 ὅς 90 εἴποις 91 Ἀχαιῶν] ἐνὶ

1879, p. 331 sq.; Marie Vogel und Victor Gardthausen, *Die griechischen Schreiber des Mittelalters und der Renaissance* [*Beihefte zum Zentralblatt für Bibliothekswesen* XXXIII], Leipzig 1909, p. 305 sqq.

στρατῶ 93 οὔθ'] οὐδ' 97 Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἀπώσει] λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει 106 ἔειπας 108 οὐδ' ἐτέλεσσας 117 σόον 120 λεύσσετε 124 πω 128 ἀποτίσομεν 139 κεχολώσεται 142 ἐς δ' ἐρέτας 158 χαίρεις 172 ἔπειτ' 175 τιμήσωσι 186 στυγέει 191 ἐναρίξοι 193 ἕως 204 τετελέσθαι 221 Οὔλυμπόνδ' ἐβεβήκει 241 τότε δ' οὔ τι δυνήσεαι] τοῖς δ' οὔτι δυνήσῃ (-εαι m. post.) 253 ὅς 258 βουλῇ 271 ἑμαυτὸν 273 ξόνιεν] σόνιον 277 ἔθελ'] θέλ' 281 ὅ γε] ὅδε 283 λίσσομαι 298 οὔτι. Michael Apostolis videtur lectionem vulgatam secutus esse.

Tum exempli causa paraphrasim versuum A 1—12 afferam: τὴν ὀργὴν εἰπὲ ἡμῖν ὦ θεὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ Πηλέως, Ἀχιλλέως / τὴν ὀλεθρίαν· ἥτις πολλὰ τοῖς Ἕλλησι κακὰ καὶ λύπας εἰργάσατο / καὶ πολλὰς ἰσχυρὰς ψυχὰς τῷ Ἅιδῃ προέπεμψε / τῶν ἡμιθέων ἀνδρῶν· τὰ δὲ σώματα αὐτῶν, τοῖς κυσὶν ἑλκύσματα κατεσκεύασε / καὶ τοῖς σαρκοβόροις ὀρνέοις· τοῦ δὲ Διὸς ἐπληροῦτο ἡ βουλὴ / ἀφ' οὗ χρόνου τὸ πρῶτον διεχωρίσθησαν φιλονεικήσαντε / ὁ υἱὸς τοῦ Ἀτρέως ὁ βασιλεὺς τῶν ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων καὶ ὁ ἔνδοξος Ἀχιλλεύς. / τίς δὴ αὐτοὺς ἐκ τῶν θεῶν τῇ φιλονεικίᾳ συνέβαλε μάχεσθαι· / τῆς Λητοῦς καὶ τοῦ Διὸς ὁ υἱός, ὁ Ἀπόλλων· οὗτος γὰρ τῷ βασιλεῖ ὀργισθεὶς / νόσον λοιμικὴν κατὰ τὸ στρατόπεδον διήγειρε κακήν. ἀπώλλοντο δὲ οἱ ὄχλοι / διότι τὸν Χρύσην ἀτίμως ὕβρισε, τὸν ἱερέα αὐτοῦ / ὁ υἱὸς Ἀτρέως ὁ Ἀγαμέμνων.

2. Iam si bibliothecae Zamoyscianae thesauros spectas, fas est codicis 155 *Cimelia* admoneri, quo Ioannis Actuarii Byzantii[1]) opera medica traduntur. Quem codicem Zamoyscianum ut raptim quidem hic indicem, variis eiusdem fatis adducor. Idque eo libentius facio, quod liber ille olim Meletii Pegae patriarchae Alexandrini fuerat, quem per annos 1597—1599 etiam patriarchae Constantinopolitani vice functum esse constat[2]), tum forte fortuna Zamoscium *(Zamość)*, deinde Varsoviam pervenit. Quod ut demonstretur, ea quae huc spectant testimonia undique conquisita lectori proponemus.

[1]) Cf. Karl Krumbacher, *Geschichte der byzantinischen Litteratur*[2], München 1897, p. 615. 618; Jo. Alb. Fabricius, *Bibliotheca Graeca* XII, Hamburgi 1724, p. 635—639.

[2]) Cf. Michael Le Quien, *Oriens Christianus*, Parisiis 1740, I col. 430 B; II col. 503 C sq.; Μανουὴλ Ι. Γεδεών, Πατριαρχικοὶ πίνακες, ἐν Κωνσταντινουπόλει [1885—1890], p. 540 sq.; Iv. Małyševskij, *Aleksandrijskij patriarch Meletij Pigas* I, Kiev 1872.

Cod. graec. Varsov. Zamoyscianus 155 *Cimelia*, chartaceus, saeculi ut videtur XIV, 145 *mm* × 225 *mm*, scripturae spatio 9 *cm* × 15 *cm*, foll. 372, aliquot manibus litteratura minuscula conscriptus, collectanea medica continet, ante omnia Ioannis Actuarii scripta (cf. *Physici et medici Graeci minores* edid. Iul. Lud. Ideler I—II, Berolini 1841—1842; G. A. Costomiris, *Etudes sur les écrits inédits des anciens médecins grecs, Revue des Etudes grecques* X 1897, p. 414 sqq.). Et quidem haec opera in codice insunt:

p. 1—34: Actuarii *de spiritu animali* (περὶ ἐνεργειῶν καὶ παθῶν τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος καὶ τῆς κατ' αὐτὸ διαίτης) lib. I (=Ideler I p. 324, 3—349). Initio contextus mancus est (p. 1 inc. λεπτότερον μὲν ὂν πολλῷ καὶ καθαρώτερον καὶ θερμότερον...: Idel. I p. 324, 3) amisso quaternione qui olim α' fuit (= Idel. I p. 312—324, 3 ?). Nunc quidem in p. 1 custos β' exstat.

p. 35—84: *de spiritu animali* lib. II (= Idel. I p. 350—386).

p. 85—168: Actuarii *de diagnosi* (περὶ διαγνώσεως καὶ αἰτίας τῶν τε καθ' ὅλον καὶ τῶν κατὰ μέρος τοῦ σώματος παθῶν, καὶ τῆς τούτων θεραπείας) lib. I (=Idel. II p. 353—417).

p. 169—226: *de diagnosi* lib. II (=Idel. II p. 418—463).

p. 226—280: Actuarii *de curandi methodo* (περὶ τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου) lib. I. Inc. Ἐπειδὴ πᾶσα διδασκαλία καὶ μέθοδος, πρός τι τέλος ἀφορῶσα σπουδάζεται, ἀεὶ δὲ τὰ τέλη τῶν πρὸ αὐτῶν πρότερα τῇ δυνάμει... Des. ἡμῖν δὲ ἱκανὸν ἤδη ἐκτεθεικόσι μέτρον τῶ λόγω, ὡδὶ τὸ πᾶν τοῦ λόγου μέτρον συμπεραντέον. Haec nondum typis vulgata sunt. Cf. Costomiris p. 424.

p. 280—376: *de curandi methodo* lib. II. Inc. Ἡ μὲν παροιμία φησὶ, χειμῶνος κρέα ἢ φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν... Des. ἡμῖν δὲ ἱκανὸν καὶ τῶ παρόντι λόγω μέτρον ἐπιτεθεικόσι, προσῆκον ὡδὶ καὶ τουτονὶ ἐνταῦθά πη συγκαταπαῦσιν. Haec item non edita.

p. 377—614: Actuarii *de urinis* (περὶ οὔρων) (=Idel. II p. 3—192).

p. 614—615: περὶ διαχωρημάτων ἐκ τῆς βίβλου τῆς πονηθείσης Παύλῳ τῷ Αἰγινήτῃ.

p. 615—618: ἐκ τῶν τοῦ ἀκτουαρίου: ζουλάπια τοῖς καθαρθησομένοις διδόμενα πρὸ τῶν καθαρσίων φαρμάκων.

p. 619—706: ἡ λεγομένη μικρὰ τοῦ Γαληνοῦ θεραπευτική: Γαληνοῦ τῶν πρὸς Γλαύκωνα θεραπευτικῶν βιβλία α' β'.

p. 706—714: Γαληνοῦ περὶ κράσεων.

p. 715—734: περὶ σφυγμῶν ἐκ τοῦ βιβλίου Παύλου τοῦ Αἰγινήτου.

p. 734—743: ἐκ τῶν Ἱπποκράτους περὶ σίτων καὶ ἄρτων.

Hoc de codice haud parva investigari possunt. Georgius enim Dousa Batavus [1]) iuvenis philologus, quem ter Poloniam adisse [2]) et familiaritate Ioannis Zamoyscii et Simonis Simoni-

[1]) Cf. Kallenbach p. 32 sq., Małyševskij p. 534 sqq.

[2]) Iam fere anno 1592 Dousam in Poloniam venisse et inde in nostra patria duos annos versatum apparet loco collato Dousicae *De itinere suo*

dis usum esse novimus [1]), anno 1597 Constantinopolim profectus per Poloniae fines iter fecit et Leopoli cum Simonide amicitiam contraxit, eodem vero illo anno 1597 Byzantium venit. Quam peregrinationem Dousa enarravit epistula de itinere Constantinopolitano Lugduni Batavorum anno 1599 edita [2]). Iam cum Constantinopoli versaretur, a Meletio patriarcha, cui Simonidis litteris commendatus erat [3]), codicem Ioannis Actuarii dono accepit. Quod litterae [4]) a Meletio patriarcha ad Ianum Dousam, Georgii patrem, Constantinopoli X Kal. Nov. 1597 datae testantur [5]): *ne iuuenem ornatissimum ad ornatissimum patrem ἀγέραστον patremur reuerti; dono dedimus id quod efflagitavit opus perelegans Actuarij, medicis in rebus non postremum obtinentis locum. Quod ego opus magno consequutus orbi communicare destinaram: laetorque hanc nostri summam desiderij et vobis futuram ornamento, et amoris nostri argumentum, et ad utilitatem studiosorum profituram: Quod ut quam emendatissimum prodeat cupimus, praestantissimi medici, atque elegantissimi opus.* Quantopere vero Meletii patriarchae interfuerit, ut Dousarum opera Actuarius typis vulgaretur, e simili epistula

Constantinopolitano Epistolae (p. 8): „Anni fere quatuor elapsi sunt, cum e Polonia, ubi biennium idiomatis causa transegeram, domum reuerterer". Ut per biennium 1592—1594 in Polonia fuisse Dousam videamus. Tum iterum anno 1597, cum Constantinopolim iret, et tertium iam Constantinopoli reversus exeunte anno 1597 et 1598 ineunte in Polonia fuit.

[1]) Cf. August Bielowski, *Szymon Szymonowic* [odb. z *Pamiętnika Akademii Umiejętności*], Kraków 1875, p. 25. 26; Kallenbach p. 49—55.

[2]) Georgii Dousae, *De itinere suo Constantinopolitano Epistola. Accesserunt veteres Inscriptiones Byzantio et ex reliqua Graecia nunc primum in lucem editae, cum quibusdam doctorum virorum epistolis,* [Lugduni Bat.] 1599. Postea prodiit editio: *Thesaurus Graecarum antiquitatum,* Contextus et designatus ab Jacobo Gronovio VI, Lugduni Bat. 1699, col. 3343—3386.

[3]) Dousa, *De itinere* p. 115: „is secum attulerat literas eruditissimi hominis Simonis Simonidis, quibus iuuenem commendabat".

[4]) *Epistola Meletii Papae ac Patriarchae Alexandrini, etc. Praesidis Constantinopolitani ad Ianum Dousam Nordovici Dominum super obitu filij, consolatoria; Quam Georgius, defuncti Dousae frater, post continuam quinquennij peregrinationem, una cum festiua codicum manuscriptorum copia hactenus ineditorum Domum secum Constantinopoli redux attulit Prid. Idus Majas, Anni 1598,* Hagae Comitis 1598 (Legrand, *Bibliogr. hell.* IV, Paris 1906, p. 345—347). Iterum Meletii litterae prodierunt in Georgii Dousae *De itinere... Epistola* p. 112—121.

[5]) *De itinere* p. 117. Cf. Małyševskij p. 541 sq. De Meletii studiis medicis cf. Małyševskij p. 112 sq.

Meletiana ad Georgium Dousam eodem fere tempore d. 31 Oct. 1597 data [1]) colligi licet: Παρέχομεν σοὶ τῇ φιλοκαγαθίᾳ (Γεώργιε τέκνον) τὰ Ἀκτουαρίου προθυμότερον ἤπερ ἐζήτεις... ἀλλά σοι καὶ τοῦδε μετασχεῖν ἐξέσται τοῦ κλέους τῆς μεταδόσεως, εἴγε σπουδάσῃς κοινῶσαι τὴν βίβλον τοῖς χρήζουσι, χρώμενος τῶν τύπων ταῖς εὐεργίαις, ὀργάνῳ τῆς διαδόσεως... Codicem autem illum Actuarii a Meletio donatum reapse a Dousa in Bataviam allatum esse probat *Librorum quos G. Dousa secum Constantinopoli advexit catalogus*. Etenim iam anno 1897 Henricus Omont (p. 70) inventum in Bibliothecae Parisinae schedis *Catalogi* codicum Dousicorum prototypi apographum vulgavit, ubi primum locum tenent: *Actuarius. Templi Sophiae descriptio.* Tum Aemil. Legrand (IV p. 345—347) *Catalogi* exemplum primum in *Epistolae Meletii* (vide supra p. 509[4]) indice verso impressum detexit, a quo apographum fere non discrepat, nisi quod in catalogo prototypo *Homeri Iliadis metaphrasis* [2]) desideratur et *Templi Sophiae descriptio* separatim affertur, ut primo loco solus *Actuarius* nominetur. Iam quaeri par est, quae postea Actuarii Dousani fata fuerint. Quippe non desunt testimonia, quibus res optime illustretur. Etenim e litteris Zamoyscii et Simonidis ad Dousas datis et ab illis acceptis, quas J. Kallenbach (p. 49—55) ex codice Harleiano 4935 edidit [3]), colligimus Georgio Dousa mortuo Diedericum (vel Theodorum) Dousam, Georgii fratrem, Georgii Acropolitae futurum illum editorem principem (cf. Omont p. 68), cum anno 1601 in Poloniam venisset [4]), illum Actuarii codicem Ioanni Zamoyscio a Iano Dousa patre dono attulisse. Quod epistulae Zamoyscianae ad Ianum Dousam d. 19 Iun. 1601 datae loco hoc demonstratur (Kallenbach p. 52): *De Actuario misso gratias ago.* Quin suspicari sane nobis licet, Ianum Dousam desiderii Meletiani memorem magnopere Ioanni Zamoyscio mandasse, ut Actuarium edendum

[1]) Dousa, *De itinere* p. 122. Cf. H. Omont, *Martin Crusius, Georges Dousa et Théodose Zygomalas* (*Revue des Études grecques* X 1897, p. 66—70 et maxime p. 69[1]).

[2]) Cf. Wilhelm Weinberger, *Studien zur Handschriftenkunde*, Progr. Iglau 1901, p. 5. 6.

[3]) cf. Foerster, *Rh. Mus.* LV p. 445; Stanisław Łempicki, *Działalność Jana Zamoyskiego na polu szkolnictwa* [*Komisja do badania dziejów wychowania i szkolnictwa w Polsce*, Serja I Nr. 2], Kraków 1921, p. 251 sq.

[4]) Theodorus Dousa stipendia in exercitu Polonorum meruit et anno exacto ex Polonia profectus est.

curaret. Nec est mirandum, quod hoc negotium Simoni Simonidi est traditum, quippe qui etiam artis medicae peritissimus esset[1]). Iam legas velim ea, quae tribus annis interiectis Kal. Aug. 1604 Simonides Iano Dousae scripsit (Kallenbach p. 54 sq.): *puto te velle scire, quid illo manuscripto Actuario fiat, quem heroi meo* [scil. Zamoyscio] *dono Diedericus tuus attulerat. Eum ubi accepit statim mihi negotium datum fuit edendi illius. Arripui laudem tantam cupide et iam in eo eram*[2]*), ut typographum occuparem: cum ecce reperio non integrum esse exemplar; in methodi libris posteriores duos de compositione medicamentorum omnes desiderari. Statim mihi curae fuit per Italicas bibliothecas inquirendi, sicubi supplementa haec parari possent. Et in Vaticana et in caeteris frustra fui; nusquam comparent. Itaque quid facerem, incertus fui. Ederem quicquid hoc a te nacti sumus? an etiam studium caetera acquirendi non omitterem? Hoc sequendum et te appellandum putavi, si forte opera tua beneficium hoc solidum habere possimus. Cum enim methodi libros Mathisius transtulerit, in vestris alicubi bibliothecis exemplar hoc haerere spero. Ruellius, qui de compositione medicamentorum edidit, ex Bibliotheca Gallicana forsan habuit. Per claritatem nominis tui et auctoritatem facile tu reliquias istas ubi ubi sint erues, quas ubi ad nos transmiseris, illico, uti ante monueras, medicorum tersissimus lucem aspiciet; beneficiumque tuum bono publico testabitur. Postremo quicquid censueris, effectum dabimus.* Sequitur illo Actuarii codice libros qui sunt de compositione medicamentorum non tradi. Quippe in codicis Zamoysciani *155 Cim.* p. 376 libri περὶ διαγνώσεως desinunt his verbis subscriptis: ἡ ζήτει καὶ τοὺς ἑξῆς περὶ συνθέσεως φαρμάκων λόγους. His rebus respectis et *Simonis Simonidis* nomine in codicis p. 1 adscripto et omnibus argumentis quae supra explanavimus collatis codex Zamoyscianus idem ille esse luculenter probatur, qui olim Meletii, tum Georgii Dousae fuerit et per Diedericum Dousam in Poloniam pervenerit.

Actuarii editionem a Simonide non esse paratam constat (Łempicki p. 251 sq.).

---

[1]) Cf. Bielowski, *Szymonowic* p. 42**; Stan. Łempicki, *Szymon Szymonowicz jako lekarz* [odb. z *Kurjera Lwowskiego*], Lwów 1920, p. 6 sq.

[2]) *iam mihi eram* Kallenbach.

II. De Theodosio Zygomala observationes.

1. Catalogo illo codicum, quos Georgius Dousa Constantinopoli in Bataviam anno 1598 redux attulerat, ab H. Omontio (p. 70) iuris publici facto, W. Weinberger (p. 3—6) inquisivit, quid illis libris a Dousa in Bataviam allatis factum esset ubique nunc asservarentur. Quae investigatio fere optime cessit. At est quod suppleamus. Velut Catalogo Dousico inspecto novimus a Dousa comparatum esse codicem, quo continerentur *I.*[oannis] *Chrysostomi Epistolae in exilio scriptae.* Tum tenemus [1]) Oxoniae nunc exstare codicem Bodleianum *Misc.* 53 *(Auct. E. 4. 8)* et in codicis p. 2 indicem legi: *Johannis Chrysostomi Epistolae in Exilio ad Reginam aliosque Magnates scriptae. manu Theodosii Zygomalae exaratae* (quod benigne mecum communicavit Edgar Lobel Oxoniensis). Ac reapse Theodosii Zygomalae est manus, ut etiam scripturae specimine phototypo mihi est probatum. Iam reputa Georgium Dousam, cum Constantinopoli esset, in codicibus Graecis comparandis opera usum esse Theodosii Zygomalae [2]), clarissimi illius protonotarii patriarchici, qui iam tempore illo δικαιοφύλακος [3]), i. e. defensoris, ecclesiae Constantinopolitanae officio fungeretur [4]). Itaque cum sciamus Ioannis Chrysostomi epistularum codicem a Dousa in Bataviam Byzantio allatum esse, codicem vero

[1]) Cf. Henricus O. Coxe, *Catalogi codicum manuscriptorum Bibliothecae Bodleianae. Pars prima recensionem codicum graecorum continens,* Oxonii 1853, col. 649 C; cf. [Σπυρ. Π. Λάμπρος], Βιβλιογράφοι ἐκ τοῦ οἴκου Ζυγομαλᾶ (Νέος Ἑλληνομνήμων IV 1907, p. 489 sq.).

[2]) Cf. Émile Legrand, *Notice biographique sur Jean et Théodose Zygomalas* (Extrait du *Recueil de textes et de traductions publié par les professeurs de l'École des langues orientales vivantes à l'occasion du VIII^e Congrès international des Orientalistes tenu à Stockholm en 1889.* Tome II. [=*Publications de l'École des langues orient. viv.* III^e *série* — vol. VI]), Paris 1889, p. 70 sq. [134 sq.]; Omont p. 66—70.

[3]) Sane ignoramus quid hoc quidem loco δικαιοφύλαξ valuerit: utrum ad πρωτεκδίκου dignitatem primae officiorum ecclesiasticorum pentadi ascriptam promotus sit Theodosius — nonnumquam enim pro πρωτεκδίκῳ usurpatur δικαιοφύλαξ (cf. Jos. Zhishman, *Die Synoden und die Episkopal-Ämter in der morgenländischen Kirche,* Wien 1867, p. 137) — an vero ex superiore ordine ad inferius ἐκδίκου officium capessendum detrusus sit (cf. Zhishman p. 130), quod verisimilius videtur esse.

[4]) Quod subscriptione docemur in Georgii Acropolitae cod. Lipsiensi bibl. urb. *Repert. I 22,* fol. 30^r facta (Aug. Heisenberg, *Georgii Acropolitae opera* I, Lipsiae 1903, p. XXI).

Bodleianum et easdem epistulas continere et a Theodosio Zygomala exaratum esse et eadem illa aetate Oxoniam pervenisse, facere non possumus, quin contendamus codicem, qui hodie sit Bodleianus *Misc.* 53 *(Auct. E. 4. 8)*, olim Dousanum fuisse. Ante annum 1611 aut eodem anno codex Oxoniam allatus est, nam in calce scripta sunt haec: *collation ended. 17 — Julij. 1611* (cf. Coxe l. l.). Equidem suspicor codicem a Dousis commodatum esse Henrico Savile [1]) Oxoniensi, quippe qui illa ipsa aetate Ioannis Chrysostomi opera ederet [2]). Namque ipse Savile in epistularum Chrysostomi editione sua haec adnotavit [3]): *Epistolas ad Olympiadem ex Regio ms. Lutetiae descriptas, ex cod. Palatino et alio ms. eruditissimi Jani Douzae nuper allato Constantinopoli accurate castigavimus.* Tum codex Dousanus haud scio an una cum libris Savilianis in Bibliothecam Bodleianam transierit [4]).

2. Georgium Dousam, cum Constantinopoli versaretur, Georgii Acropolitae librum, qui in bibliotheca Georgii Cantacuzeni exstaret, describendum curasse constat [5]). Etenim tabellae nobis servatae sunt, quibus Dousa Acropolitae editionis a se parandae lucra communicanda cum Cantacuzeno pactus est. Quibus in tabellis haec expressis verbis scripta legimus: Ὁμολογῶ ἐγὼ Γεώργιος Δουσιάδης πῶς ἔλαβον ἀπὸ τῶν χειρῶν τοῦ τιμίου ἄρχοντος κυρίου Γεωργίου Καντακουζηνοῦ τὸ ἴσον τῆς ἐγγράφου ἱστορίας, ἣν συνέγραψε Γεώργιος λογοθέτης περὶ ἁλώσεως Κωνσταντινουπόλεως ὑπὸ Λατίνων, καὶ αὖθις παρὰ Λατίνων ὑπὸ Γραίκων. Quem Acropolitae codicem re vera in Bataviam pervenisse

---

[1]) De Henrico Savile (1549—1622) cf. *Dictionary of National Biography* edited by S. Lee vol. L, London 1897, p. 367—370.

[2]) *Io. Chrysostomi opera Graece* ed. H. Savilius 8 voll., Etonae 1612 (secundum J. G. Th. Graesse, *Trésor de livres rares et précieux* IX, Dresde 1861, p. 151). Cf. Legrand, *Bibliogr. hell.* II, p. LXI sq. 151[2].

[3]) v. *Joannis Chrysostomi opera*, *Patrologia Graeca* cur. Migne LII, Lutetiae Par. 1862, col. 853.

[4]) De codicibus Savilianis cf. J. L. Heiberg, *Bibliotheksnotizen*, (*Philologus* LV 1896, p. 738).

[5]) Cf. Omont p. 68 sq.; Legrand, *Bibl. hell.* IV p. 352 sq.; Aug. Heisenberg, *Zwei wiedergefundene Handschriften des Georgios Akropolites* (*Eranos. Acta philologica Suecana* II 1897, p. 117—119) et *Studien zu Georgios Akropolites* (*Sitzungsberichte d. phil.-hist. Cl. d. K. Bayer. Akad. d. Wissensch. München* II 1899, p. 545 sq.) et *Georgii Acropolitae opera* I, p. III. XX sq. Weinberger, *Studien* p. 4.

librorum Dousanorum *Catalogo*[1]) probatur. Tum anno 1614 Theodoricus (vel Diedericus) Dousa, Georgii frater, ille qui in Polonia militaverat (Kallenbach p. 32. 52—54), Georgii Acropolitae historiae editionem principem e codice illo Constantinopolitano paravit, de quo haec refert[2]): *Repertum olim Galata (Pera vulgo) redemptumque a Georgio Cantacuzeno, ex cujus libro apographum transcriptum fuit manu Theodosii Zygomalae Naupli, ex petitione Domini Georgii fratris mei P. M., qui auctorem illum inter alios superioribus annis attulit.* Sed temporibus posterioribus diu viri docti ignoraverunt, quid esset illo codice Dousano factum. Tum ante hos triginta annos repperit Aug. Heisenberg codicem Georgii Acropolitae Lipsiensem urb. I 22, in cuius folio 30r haec verba, quae a Theodoro Dousa Latine versa supra modo attulimus, Graece scripta leguntur[3]): μετεγράφη χειρὶ θεοδοσίου ζυγομαλα ναυπλίου, δικαιοφύλακος / τῆς εν κωνσταντινου πόλει ἐκκλησίας, τοῦ πατρια(ρ)χίου :-/ ἀξιώσει σπουδαίου ἀνδρός κυρίου / γεωργίου δουσιάδου :/ Τω παρον αὐτόγραφον ἐγράφη ἐκ τῆς βίβλου γεωργίου / Καντακουζηνου, ἐν τῇ γαλατᾷ εὑρισκομένου[4]). τοῦ καὶ τὸν / Ιωαάννην ζωναράν δώσαντος εἰς τυπογραφίας. En vides quam neglegenter haec sint exarata. Immo Heisenbergio[5]) haec indiligens Theodosii Zygomalae scriptio displicebat mihique, cum scripturae perelegantis Zygomalianae exempla undique collecta inspicerem, ilico suspicionem movit. Num vero Theodosio talem spirituum et accentuum omissionem tribuere nobis licet, accentum in suo ipsius nomine scribendo

[1]) *Epistola Meletii* in indice verso (Legrand, *Bibl. hell.* IV p. 346): „Georgij Logothetae de Constantinopoli a Latinis capta historia".

[2]) *Georgii Logothetae Acropolitae chronicon Constantinopolitanum... ex bibliotheca Theodori Dousae*, Lugduni Bat. 1614, *Ad lectorem* (laudat Omont p. 68[1]).

[3]) Subscriptionis imagine phototypica utor. Cf. Heisenberg, *Ge. Acropolitae opera* I, p. XXI; cf. Aem. Guil. Rob. Naumann, *Catalogus librorum manuscriptorum qui hodie in Bibliotheca senatoria civitatis Lipsiensis asservantur*, Grimae 1838, p. 10 sq. — Etiam notandum est Bonaventuram Vulcanium codicem Acropolitae Dousanum inspexisse et inde subscriptionem in schedis suis descripsisse emendate, sed et ordine mutato et quibusdam retractatis ac die et anno ascripto. Quae haud scio an ipse Vulcanius e Dousa percontatus sponte addiderit, cum in exemplari Lipsiensi eadem desiderentur: κατὰ τὸ ᾳϱζ-ον... μηνὶ ὀκτωβρίῳ ιε' ἰνδικτιῶνος ια' (cod. Leidensis Vulc. 17, fol. 70v: cf. P. C. Molhuysen, *Bibliotheca Universitatis Leid. Codices manuscripti* I. *Codd. Vulcaniani*, Lugduni Bat. 1910, p. 8; Lambros, Σταχυολογία ἐκ κωδίκων τοῦ βαταβικοῦ Λουγδούνου, Νέος Ἑλληνομνήμων XII 1915, p. 390).

[4]) εὑρισκόμενον manus posterior.

[5]) Heisenberg, *Eranos* II 1897, p. 118 sq.

omissum, mendum in voce πατριαρχείου exaranda factum, quam millies exarare solebat, errorem in τω scripto pro τὸ factum? Iam postquam subscriptionis eodem illo temporis spatio — annum 1600 dico — a Theodosio Zygomala in codice Cantabrigiensi *Univ. Dd* II 51, fol. 232 v factae[1]) exemplum phototypicum inspexi luceque clarius vidi, codicis Lipsiensis scripturam dissimillimam esse omnium manus Zygomalianae exemplorum genuinorum, nunc praefracte nego codicem Lipsiensem urb. I 22 a Theodosio Zygomala scriptum esse. Qui ergo factum est, ut verba, quae supra attulimus, in codice subscriberentur? Equidem puto Dousam cum Theodosio pactum esse, ut Theodosius manu sua codicem pro certo quodam quaestu describeret, tum Theodosium cum aut ipse non vacaret aut negotiis distentum Dousae profectione fortasse etiam proxime instante iam spatium officii exsequendi deficeret, cuidam administro mandasse, ut codicem describeret suo ipsius Theodosii nomine in calce subscripto, quippe qui quavis ratione promisso stetisse vellet videri. Quae nostra opinio etiam eo fulciri potest, quod codex Bodleianus a Zygomala scriptus, qui olim Dousanus fuit (v. supra p. 512), ad finem perductus non est. Id autem haud scio an ideo sit factum, quod Theodosius non vacaret aut Dousa opinione citius egrederetur ex urbe. At utcumque res se habuit, tene codicem Lipsiensem Zygomalae autographon non esse[2]).

3. Postquam Theodosium Zygomalam modo attigimus, occasione oblata testimonium quoddam afferemus ad vitam Theodosianam[3]) spectans. Etenim Ed. Gollob[4]) subscriptionem

[1]) Cf. *Catalogue of the manuscripts preserved in the Library of the University of Cambridge* I, Cambridge 1856, p. 68; Lambros, Νέος Ἑλληνομνήμων III 1906, p. 489; Περικλῆς Γ. Ζερλέντης, Παραλειπόμενα τοῦ οἴκου Ζυγομαλᾶ, ἐν Ἀθήναις 1923, p. 10. Moneo tantum adnotationem, quae est in codicis calce, Zygomalae αὐτόγραφον esse, codicem ipsum alia manu alio tempore scriptum esse.

[2]) Quod Naumann p. 10 sq. coniecit fieri etiam potuisse, ut codex Lipsiensis ab ipso Theodoro Dousa ex exemplo Zygomaliano describeretur et hoc Theodori apographon typothetis excudendum traderetur, verum non est: nec enim Theodori Dousae manum esse vel scripturae imaginibus collatis scio.

[3]) Cf. Legrand, *Notice biographique* p. 50 sqq. [114 sqq.].

[4]) Eduard Gollob, *Verzeichnis der griechischen Handschriften in Österreich ausserhalb Wien* [*Sitzungsberichte d. philos.-hist. Cl. d. Kais. Akad. d. Wissensch.* Band 146, Wien 1903, Abh. VII], p. 79 sq.

codicis Nikolsburgensis I 141 bibliothecae principum Dietrichstein (quae est in oppido Nikolsburg vel Mikulov Bohemiae) vulgavit, quam a Theodosio notario factam ad Theodosium Zygomalam referendam esse statim cognovit Weinberger[1]), tum subscriptionis imago phototypa, quae nobis est praesto, scripturam esse Zygomalae optime comprobat. Iam cum Gollob in unius loci lectione dubitaverit, alterum prorsus falso legerit, totam subscriptionem afferre libet (cod. Nikolsburg. I 141, fol. 37 v): Μετεγράφη τὰ θεῖα διατάγματα ταῦτα, διὰ χειρὸς θεοδοσίου | νοταρίου πατριαρχικοῦ τῆς κωνσταντινουπόλεως μεγάλης ἐκκλησίας· ἐν ἔτει ζοθ-ω:

Noli mirari anno 1570/1571 Theodosium etiam tum notarii officio functum: quin etiam anno 1573 exeunte notarium agebat, nondum scilicet ad protonotarii munus obeundum promotus[2]). Quod e Stephani Gerlach copiosissimo illo *Diario Turcico*[3]) colligimus (p. 33): *Den 18.* [Octobr. 1573] *hab ich des Gregorii / des Heil. Basilii Bischoffs zu Nissa / Bruders / Ausslegung dess Hohen Lied Salomonis / von des Patriarchen Notario und dessen Redners Sohn / Teodosio Zigomala / umb .5. Tahler gekaufft.* Itaque suspicamur Theodosium Zygomalam anno 1574 demum protonotarium agere coepisse.

4. Hic quoque non alienum putamus de codice quodam Norimbergensi agere, qui cum ad Theodorum quendam Zygomalam pertineat, nonnumquam errore ad Theodosium Zygomalam refertur[4]). Illo autem codice excerpta ex actis concilii Florentini tradi feruntur secundum Murr[5]). Singula, quae de

---

[1]) Wilhelm Weinberger, *Berliner philologische Wochenschrift* XXV 1905, col. 167.

[2]) Cf. Legrand, *Notice biographique* p. 51 [115]; Κ. Ι. Δυοβουνιώτης, Θεοδόσιος Ζυγομαλᾶς [seors. impr. ex. comm. q. i. Θεολογία I 1923], Ἀθήνησιν 1923, p. 15; neuter locum, quem e Gerlachio deprompsimus, animadvertit.

[3]) Stephan Gerlachs dess Aeltern *[Türckisches] Tage-Buch...* Herfür gegeben durch... M. Samuelem Gerlachium. Franckfurth am Mayn 1674. De diario Gerlachiano cf. Legrand, *Notice* p. 18 [82].

[4]) Cf. Wilhelm Weinberger *Beiträge zur Handschriftenkunde* I [*Sitz. ber. d. Akademie Wien, Philos.-hist. Kl.*, Bd. CLIX 1908 Abh. VI] p. 7^{1}; II [Bd. CLXI 1909 Abh. IV], p. 18^{2}.

[5]) Christoph. Theophilus de Murr, *Memorabilia bibliothecarum publicarum Norimbergensium* I, Norimbergae 1786, p. 55 sq.

ipso codice cognosse ad rem fuit, Bibliothecae Norimbergensis praefectus benigne per litteras mecum communicavit.

Est codex Norimbergensis Bibliothecae urbicae *Cent. V app. 43*, chart., saec. XVII, pp. 101. In folio, quod ipsi codici praepositum est, legimus: *Manuscriptum hoc Constantini Lascaris, de Synodo Florentina, a se congestum, e Bibliotheca Veneta D. Marci, ab Aloysio Gradenico*[1]*), Abbate Graeco, et Bibliothecario ejusdem, descriptum, mihique, cum Venetiis anno 1674 viverem, ex singulari benevolentia dono datum, Bibliothecae Illustris reipublicae Noribergensis grato animo offero et consecro. Anno 1723. Johannes Wülferus... Bibliothecae patriae Bibliothecarius.* Dein in codicis p. 1 haec:

Ἐντεῦθεν τὸ βιβλίον ἀπάρχεται τῆς ἐν κωνσταντινοπόλει ὑστάτης συνόδου ἐν τῇ ἁγίᾳ σοφίᾳ επιτελεσθείσης μετὰ τὴν γένεσιν τοῦ Ψευδοσυλλόγου φλωρεντίνου ἑνὸς ἐνιαυτοῦ διαστήματι καὶ ἡμείσεως, καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ λατινόφρονος Ἰωάννου τοῦ παλαιολόγου τοῦ ἀπατηθέντος ὑπὸ τῶν ἰταλῶν ἐπὶ βοηθείᾳ καὶ ἐπὶ τελευτῆς συμφρονείσαντος τῷ ὀρθοδόξῳ δόγματι ἐπὶ τοῦ ὀρθοδόξου υἱοῦ αὐτοῦ κωσταντίνου: —

Ἐξεβλήθη, ἐκ τῶν τῆς Βιβλιοθήκης ἰδιοχείρων κωσταντίνου τοῦ λασκάρεως, τοῦ ὄντως σοφωτάτου καὶ τὴν ἀνεπτυγμένην γραμματικὴν διδάξαντος, ἐπιταγῇ τοῦ σοφωτατου τοῦ βυζαντίου πατριάρχου ἀθανασίου κωσταντίνου πόλεως, καὶ μετεγράφη ὑπὸ Θεοδώρου ζυγομάλα πρωτεκδίκου[2]) τῆς μεγάλης ἐκκλησίας.

Hoc prooemium videlicet cum Murr legisset ac verba τοῦ Ψευδοσυλλόγου φλωρεντίνου animadvertisset, praepropere et leviter videtur collegisse, acta Florentina in libro inesse. At legas velim ea, quae Leo Allatius, *De Ecclesiae occidentalis atque orientalis perpetua consensione libri tres*, Coloniae Agrippinae 1648, col. 1380—1395, scripsit. Qui loco laudato primus exempla ex Actis Synodi Sophianae attulit, quorum prooemium plane idem est, atque prooemium Norimbergense, quod modo exscripsimus. Iam continuo apparet hoc codice Norimbergensi non Florentini concilii acta excerpta contineri, verum acta cuiusdam Synodi quam Allatius dixit Sophianae, quae anno 1450 Constantinopoli habita esse perhibetur. At haud scimus, an omnino illud concilium Constantinopolita-

[1]) Cf. Legrand, *Bibliogr. hell. XVII s.* II, Paris 1894, p. 495 index s. v.

[2]) Cuius nulla fit mentio apud M. Ἰ. Γεδεών, Χρονικὰ τοῦ πατριαρχικοῦ οἴκου καὶ τοῦ ναοῦ, ἐν Κωνσταντινουπόλει 1884, p. 194.

num sit fictum. Papaioannu[1]) verisimillime probavit Acta ficticia esse, in prooemio patriarcham spectari Athanasium III Patellarium, quem primum anno 1634 solium patriarchicum obtinuisse constat (cf. Gedeon p. 559), et Theodorum Zygomalam illius aequalem necessario saeculo XVII floruisse[2]).

DE MELETII PIGAE PATRIARCHAE *DIALOGO*

K. Estreicher, *Bibliografia polska* XXII, Kraków 1908, p. 274, solo Jochero bibliographo auctore usus, Dialogum Meletii Pigae patriarchae Alexandrini Vilnae a. 1596 editum haud ita accurate laudavit, cum ipsum libellum nusquam repperisse videretur. At apud E. Legrand, *Bibliographie hellénique des XV^e^ et XVI^e^ siècles* II, Paris 1885, p. 115—119, opusculum Meletii ita indicatur: ΔΙΑΛΟΓΟΣ / Ορθόδοξος χρῖστιανὸς. / ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΩΤΑ/του καὶ παναγιωτάτου πάπα καὶ / πατριάρχου ἀλεξανδρείας κυρίου / μελετίου. εἰς τὴν τῶν σπουδαίων / ὠφέλειαν. / Μικρὰ μὲν ἡ βίβλος μεγάλα κεύθει τάδ' ἐν αὐτῇ / ὄργια, τῆς κρατερᾶς πίστεος ὀρθοδόξων./ ΕΝ ΒΥΛΙΝΗ / αφς. / Μηνὶ ἰουλίου λά. Unum solum exemplar, quod sciamus, exstat in Museo Britannico 869. a. 2. notis manu ipsius Meletii scriptis ornatum. De hoc Meletii dialogo cf.: Iv. Małyševskij, *Aleksandrijskij patriarch Meletij Pigas* I, Kiev 1872, p. 279 sqq.; Ph. Meyer, *Die theolog. Litter. d. griech. Kirche im sechzehnten Jahrhdt.* [*Studien zur Gesch. d. Theol. u. d. Kirche* hrsg. von N. Bonwetsch und R. Seeberg III 6], Leipzig 1899, p. 60 sq.

AESCHYLI PROMETH. ΛΥΟΜ. FGM. 199, 6

Vulgo legimus:

ἰδὼν δ' ἀμηχανοῦντά σ' ὁ Ζεὺς οἰκτιρεῖ,

ubi οἰκτερεῖ codd. exhibent, σ' οἰκτιρεῖ πατήρ Cobet legendum proposuit. At ne lex Porsoniana violetur, legendum est:

ἰδὼν δ' ἀμηχανοῦντα σὲ Ζεὺς οἰκτιρεῖ

A. TURYN

[1]) Ch. Papaioannu, *Akty tak nazyvajemago Poslědniago Sofijskago sobora (1450 g.) i ich istoričeskoje dostoinstvo* (*Vizantijskij Vremennik* II 1895, p. 394—415). Haec commentatio etiam Graece edita est (Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια XV 1895/96).

[2]) Cf. Β. Α. Μυστακίδης, Ὀκτὼ κεφάλαια ἀναφερόμενα εἰς τὴν ἱστορίαν τῶν Σχολείων κατὰ τὸν ιη' καὶ ιθ' αἰῶνα, in libro q. i. Τεσσαρακονταετηρὶς τῆς καθηγεσίας Κ. Σ. Κόντου, ἐν Ἀθήναις 1909, p. 405 sqq. Mystakides falso haec ad Athanasium II (patriarcham a. 1450 electum) refert.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ET QUELQUES AUTRES TITRES ÉGÉO-ASIANIQUES DU ROI

par

CASIMIR WINIEWICZ

La langue grecque renferme toute une série de mots pour désigner le roi, le maître, le chef, et tous ces mots, comme il a été maintes fois démontré [1]), sont d'origine non-indoeuropéenne. L'expression dont les Indoeuropéens se servaient pour désigner le roi, dérivait d'une racine **rēĝ-* [2]) et ne s'est conservée que dans le vieil-indien (*rāj-*), l'italique (*rēx*), le celtique (ir. *rí*, gen. *ríg*; gall. *-rīx* dans des noms tels que *Dumno-rīx*, *Catu-rīx* etc.) et germanique (got. *reiks*). Les Grecs n'ont pas conservé cette racine dans leur langue, mais ont emprunté aux autres peuples des noms étrangers: βασιλεύς, βαλλήν, πάλμυς, ἄναξ, τύραννος, κοίρανος, πρύτανις. Sans aucun doute tous ces mots ne sont pas d'origine indoeuropéenne, bien qu'il soit difficile — au moins pour le moment — d'établir la vraie source pour quelques-uns d'entre eux. Dans le présent article je m'occuperai particulièrement du mot βασιλεύς, un des plus discutés et commentés par les savants. Sur le mot ἄναξ le lecteur trouvera ici même un article spécial de M. A. Śmieszek. Quant aux autres dénominations du roi, citées plus haut, j'en parlerai brièvement.

Commençons par κοίρανος. L'étymologie de ce mot nous est devenue claire dès que nous avons connu la langue hétéenne. A savoir, dans les textes, trouvés à Boghaz-keuï, on mentionne les Achéens (*Aḫḫiyava*); leurs princes ou plutôt leurs rois, par leur dignité et leur importance égalant les potentats hétéens, égyptiens et babyloniens [3]), sont généralement appelés en hétéen *ku-ir-va-na-aš* ou *ku-ri-e-va-ni-eš*. M. E. Forrer [4]) le premier a prouvé que ce mot hétéen qui désigne,

[1]) cf. p. e. A. Meillet et J. Vendryes, *Traité de grammaire comparée des langues classiques* 1924, p. 16.

[2]) cf. O. Schrader, *Reallexikon der indogermanischen Altertumskunde*, 2. Aufl. v. A. Nehring 1923, I, p. 619.

[3]) C'est pourquoi le roi hétéen Muršiliš II (ca. 1345—1320 av. J.-C.) honore le roi des Achéens Tavag(a)lavaš (='Ετεοκλῆς?) du nom de 'frère'.

[4]) *Orientalistische Literaturzeitung* XXVII 1924, col. 117; cf. A. Cuny, *Questions gréco-orientales* XVII *(Revue des Etudes Anciennes* XXVIII 192); malheureusement, je ne connais cette étude que du titre; cf. aussi G. Glotz, *Histoire grecque* I 1925, p. 90.

selon lui, le souverain indépendant, se rattache au point de vue étymologique au grec κοίρανος qu'on peut déduire de *κοίρ-Fανος. Il faudrait donc considérer le mot grec comme un emprunt fait aux langues de l'Asie Mineure, plus exactement au proto-hétéen, d'où plus d'un mot fut introduit, on le sait, dans le lexique grec.

Quant au mot τύραννος, M. Klostermann[1]) le met en relation avec le titre des princes philistins indépendants (il y en a eu cinq, comme on le sait), dont voici la transcription hébraïque: סְרָנִים (*-īm* est la terminaison du pluriel en hébreu). *Sᵉrān-īm* peut sans aucune difficulté dériver de **suran-īm* et on peut le comparer avec le nom étrusque de Vénus: *turan* qui, selon M. G. Herbig[2]), signifie littéralement 'maîtresse, souveraine'[3]). Le philistin **suran-* 'prince, maître' et l'étrusque *turan* 'souveraine, maîtresse' seraient donc, on le voit, le même mot égéen (préhellénique), que les Grecs, en doublant la consonne *-n-*, ont emprunté comme τύραννος. Le rapport entre *t-* et *s-* dans la syllabe initiale (τύραννος, *turan*: **suran-*, *sᵉrān-īm*) serait le même que celui entre *-d-* et *-s-* de l'époque préhellénique dans le mot qui désignait la rose: gr. *(F)ρόδον*: lat. *rosa*. Le grec τύραννος, l'étrusque *turan* et le philistin **suran* formeraient donc un groupe étroitement lié[4]) et n'auraient rien de commun avec le nom ethnique des Etrusques: Τυρσᾱνοί-Τυρρηνοί, auquel les rattache M. Herbig[5]). Le nom ethnique des Tyrsènes, si nous voulions à tout prix en rechercher l'étymologie (il vaut mieux ne pas s'y risquer), se rattacherait plutôt au préhellénique τύρσις—τύρρις, signifiant 'tour, château, cité'[6]).

Le πρύτανις (ou πρύτανις) grec avait d'abord une signifi-

---

[1]) cf. W. Gesenius, *Hebräisches und aramäisches Handwörterbuch*, 14. Aufl. bearb. v. Fr. Buhl, 1905, s. v. סְרָנִים

[2]) *Kleinasiatisch-etruskische Namengleichungen (Sitz.-Ber. d. K. Bayerischen Akad. d. Wissensch.*, München 1914, philos. Klasse, 2. Abh.), p. 28; id. chez Ebert, *Reallexikon der Vorgeschichte* III, 1925, p. 138, s. v. 'Etrusker'.

[3]) cf. aussi l'étrusque *maristuran* = Mars τύραννος 'maître Mars'.

[4]) C. Autran, *Tarkondemos*, fasc. Iᵉʳ 1922, p. 72 croit qu'au סרן philistin appartient non seulement τύραννος, mais aussi κοίρανος; les deux formes grecques ne seraient que dialectiques; cela me paraît peu probable.

[5]) chez Ebert, *Reallexikon der Vorgeschichte* III, 1925, p. 138, s. v. Etrusker'.

[6]) cf. G. Herbig, *l. c.*

cation plus large que celle de l'employé, connu sous ce nom à Athènes; il signifiait le maître, le chef, le prince en général. M. Hammarström [1]) rattache, avec raison, ce mot au *eprϑne*|| *purϑne*|*purϑ* étrusque [2]), qui désigne de même un employé, dont nous ne connaissons que vaguement les fonctions. La forme première du mot étrusque était probablement **prϑ*|| *prt* ou peut-être **pruϑ *prut; -ne* est sans doute le suffixe identique avec le suffixe asianique: *-ani-*, *-ano-*, *-eni-* etc. [3]). On peut donc supposer que ce mot, sans aucun doute préhellénique, était primitivement **prϑ-ani* ou **pruϑ-ani* ou **prut-ani* [4]); les Grecs ont adapté ce mot comme πρύτανις, tandis qu'en étrusque cela a donné *purϑne*, et, par syncope, *e-prϑ-ne*.

Le mot πάλμυς 'roi' que nous trouvons chez Hipponax et Lycophron a une double déclinaison: gén. πάλμυδ-ος ou πάλμυ-ος. Chez Homère [5]) ce mot apparaît comme nom propre. Hésychius note à côté de la forme πάλμυς aussi: παλμυός [6]). Le fait que c'est le nom d'un Troyen chez Homère, puis que les Grecs ne connaissaient pas la forme de ce mot d'une manière exacte et qu'en conséquence ce mot avait une déclinaison double, indique qu'il n'est pas d'origine grecque, mais qu'il est un mot d'emprunt. M. Danielsson [7]) a raison en comparant πάλμυς au lydien *paλmλuλ* [8]). Ce mot ne s'est conservé que dans cette forme de cas oblique; *-uλ* est le suffixe de ce cas tandis que *paλmλ-* est son radical qu'il est facile de faire dériver de l'ancien **paλmuλ-*; on sait que la syncope des voyelles est un phénomène très fréquent dans les langues asia-

[1]) *Glotta* XI 1921, p. 214 ss.

[2]) Déjà avant M. Hammarström B. Carra de Vaux lia le πρύτανις grec au *eprϑneuc, purtsvana* étrusque, cf. P. Kretschmer, *Glotta* XI, p. 276 n.

[3]) cf. P. Kretschmer, *Einleitung in die Geschichte der griechischen Sprache* 1896, p. 329.

[4]) L'apophonie des aspirées et des explosives correspondantes est un phénomène fréquent dans la langue étrusque comme dans celles de l'Asie Mineure, cf. C. Autran, *op. cit.*, p. 48 ss., 54 s.

[5]) *Il.* XIII 792.

[6]) s. v. παλμυός· βασιλεύς, πατήρ. οἱ δὲ πάλμυς.

[7]) *Zu den lydischen Inschriften (Skrifter utgifna af Kungl. Humanistiska Vetenskaps-Samfundet i Uppsala* XX, 2, 1917), p. 22 ss.

[8]) Le son, transcrit par le λ grec, signifie un *l* spécial qui ne nous est pas connu exactement (peut-être *l*?), cf. Danielsson, *op. cit.*, p. 14 ss.; la transcription de Danielsson a été acceptée aussi par W. H. Buckler, *Sardis*, vol. VI: *Lydian Inscriptions*, part II, 1924.

niques [1]) (comme du reste dans les langues caucasiques, apparentées aux précédentes). Au radical lydien **palmul-*, acquis grâce à cette reconstruction, correspond littéralement le radical grec παλμυδ-, avec la seule différence que les Grecs ont rendu le lydien λ final par δ. En empruntant ce mot, les Grecs ont dissimilé les deux *l*; du reste, le changement de *l* en *d* et réciproquement de *d* en *l* arrive, vu leur rapprochement au point de vue de l'articulation, dans de nombreuses langues, on le sait, fréquemment; c'est aussi un phénomène bien connu dans les langues asianiques. Du radical παλμυδ- les Grecs ont formé d'abord, selon les principes de leur langue, le nominatif πάλμυς; ils déclinaient πάλμυς, πάλμυδ-ος (comme p. ex. νέηλυς — νεήλυδ-ος, κροκύς — κροκύδ-ος etc.). Plus tard, sous l'influence de l'analogie de mots tels que νέκυς—νέκυ-ος, ἄρκυς—ἄρκυ-ος, βότρυς—βότρυ-ος etc., on a ajouté secondairement le génétif πάλμυ-ος.

Le mot βαλλήν (ou βαλήν) est d'après Hésychius un mot phrygien [2]). M. Walde [3]) et M. Boisacq [4]) ont tâché d'expliquer ce mot en l'envisageant au point de vue de l'étymologie indoeuropéenne et l'ont rattaché au grec βελτίων, βέλτερος, au sanskrit *bála-m* 'force', au vieux-slave *bolijь* 'plus grand', au latin *dē-bilis* 'privé de force, faible'. Ce rapprochement est d'une valeur assez problématique; je suis plutôt porté à croire que les Phrygiens ont emprunté ce mot, comme tant d'autres, à une des langues asianiques. Ce qui nous frappe surtout c'est que le mot est écrit tantôt par un lambda, tantôt par deux. On trouve des cas analogiques dans les langues de l'Asie Mineure, p. ex. Ὀσσωλος : Ὑσσωλλος : Ὑσσωλδος [5]); ici nous rencontrons même l'apophonie λ ‖ λλ ‖ λδ. Nous pouvons donc admettre une troisième forme: *βαλδήν à côté des formes déjà citées βαλήν et βαλλήν.

Jusqu'à présent on considérait l'apophonie λ(λ) ‖ λδ comme

[1]) cf. par ex. G. Herbig, *Kleinasiatisch-etruskische Namengleichungen*, p. 33; G. Deeters parle aussi de la syncope dans la langue lydienne (Pauly-Wissowa, *Realencyclopädie der Altertumswissenschaft* [abrév.: *RE*] XIII, col. 2159).

[2]) s. v. βαλήν· βασιλεύς. Φρύγιοι.

[3]) *Lateinisches etymologisches Wörterbuch*[2], 1910, s. v. 'debilis'.

[4]) *Dictionnaire étymologique de la langue grecque*[2], 1923, s. v. βελτίων.

[5]) cf. J. Sundwall, *Die einheimischen Namen der Lykier nebst einem Verzeichnisse kleinasiatischer Namenstämme* (*Klio*, Beiheft XI 1913), p. 241.

une particularité exclusivement carienne[1]), cependant sans raison, car nous la retrouvons dans d'autres langues de l'Asie Mineure et du Caucase, bien que nous n'en ayons malheureusement que peu d'exemples. Je citerai ici le lycien Πελλεμις à côté du carien Πελδεμος, ensuite Πελεκας (montagne en Mysie) à côté du carien Πελδηκος[2]), le lydien *Pλdān-ś*[3]) à côté du grec *Ἀπελδων > Ἀπέλλων, Ἀπόλλων, le lydien σάρδι-ς 'année' à côté du géorgien *tseli* (<*$t\widehat{s}^{e}/_{a}ldi$)[4]), le géorgien *mšvildi* à côté du mingrélien *škvili* 'arc'. Dans tous ces cas il s'agit évidemment d'un procès d'assimilation (*ld* > *ll*), et non, comme le prétend M. Sundwall[5]), d'une dissimilation secondaire (*ll* > *ld*); c'est tout-à-fait le même procès phonétique, comme celui du latin: gén. *mell-is* <**meld-es* <**melt-es* <**melit-es*: gr. μέλιτ-ος, — ou bien p. ex. dans le nom des Gaulois: *Galli* <**Gald-oi* <**Galt-oi* <**Galat-oi* = Γαλάτ-αι ‖ Κέλτ-αι[6]).

